BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
C
63
NAPOLI

XXV
C
63

Digitized by Google

VXA

Digitized by Google

DE
MIRACULIS,

quæ

PYTHAGORÆ, APOLLONIO Thya-
nenſi, FRANCISCO Aſſiſio, DOMINICO &
IGNATIO LOJOLÆ tribuuntur,

LIBELLUS.

EDITIO TERTIA,
multis Adnotamentis aucta.

Auctore
PHILELEUTHERO HELVETIO.

Ut Religio propaganda etiam, quæ eſt juncta cum cognitione naturæ; ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes ejiciendæ. CIC. *Lib. II. de Divinatione.*

EDIMBURGI,
Typis PETRI FOX.
MDCCLXII.

VIRO

Plurimùm Reverendo, Celeberrimoque,

DANIELI GERDESIO,

S. Theologiæ in Academia Gröningana Doctori præſtantiſſimo,

AMICO VETERI,

HUNC LIBELLUM

In devotæ mentis & nunquàm intermorituræ amicitiæ teſſeram

D. D. D.

Auctor.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM AUCTORIS
DE
NOVA HAC HUJUS LIBELLI EDITIONE.

Viginti elapſi ſunt anni, (*) ex quo libellus hic à me conſcriptus, & in lucem editus erat. Distractis primæ editionis exemplaribus, Amici, quibus multum tribuo, exiſtimàrunt, opusculum hoc à mendis, quibus ſcatebat liberandum, & denuò acceſſione quâdam facta, prelo eſſe ſubjiciendum. Cùm nullæ obſtiterint rationes, quò minùs vacivas

(*) Anno 1753.

illis præberem aures, utrumque præſtare anniſus ſum. Hinc inde notulas quaſdam adſperſi. Facilè quidem mihi fuiſſet, libellum prolixo adaugere Commentario. At cùm omnia, quæ dici poſſent, dudùm à Viris eruditis excuſſa ſint, & in gratiam cujusvis ordinis hominum hic libellus ſit compoſitus, brevitati conſulendum eſſe putavi.

Libellus ipſe à Viris veritatis amantibus, & tetræ ſuperſtitionis hoſtibus, non malè acceptus eſt, indignantibus licèt illis, qui impoſturas Sacerdotum & fraudes illorum promotas eſſe vellent. Accidit mihi hunc libellum ſcribenti, quod ſibi eveniſſe narrat ὁ Μακαρίτης cel. LENFANT libellum ill. Fœminæ, contra Reformatos editæ, refutaturus. Verba ita ſonant in præfatione primæ parti præmiſſa: „Je ne diſſimulerai pas, que dans l'occaſion tantôt j'ai ris, tantôt je

me

me ſuis fâché. Il y a certains ſujets, où il eſt fort difficile, de ne prendre pas un ton ſatyrique. DIFFICILE EST SATYRAM NON SCRIBERE. D'ailleurs on ſait par une longue experience, que la verité paſſe mieux avec le ſaufconduit de la raillerie, qu'avec celui de la cenſure. RIDENDO DICERE VERUM, QUIS VETAT? RIDICULUM ACRI FORTIUS ET MELIUS PLERUMQUE SECAT RES. Il eſt auſſi fort mal-aiſé de refuter de ſang froid des impoſtures & des ſotiſes, qui ſeroient capables de faire fuir un honnête homme au delà des Sauromates, & de la Mer Glaciale. „ Hactenùs DOCTISSIMUS ILLE VIR. In gratiam delicatiorum quarumdam auricularum verba quædam, in ſpeciem duriora, emollivi, quandoquidem homines quosdam religioni pontificiæ addictos, & magnificè de virtutibus S. Franciſci &c. ſentientes, iis offendi audivi. Ipſiſſima

ſemper Biographorum, qui vitas Sanctorum illorum & fata deſcripſerunt, verba adduxi; nihilque ex proprio ingenio commentus ſum. Quidquid adjeci, nonniſi Corollaria ſunt, quæ ex dictis Biographorum neceſſariò fluunt.

Aut mendaciſſimi homines fuerunt horum Sanctorum Biographi; aut verè res illæ ſunt geſtæ, quæ ad confirmanda hominum illorum Decreta, futilia planè & ſanæ rationi contraria, ab iis afferuntur. Prius an poſterius tueantur Pontificiæ Religionis Defenſores, mihi perinde eſt. Licet enim, alterutro conceſſo, talia elicere conſectaria, quæ ad Sanctulos illos denigrandos plurimùm conferunt. Cæterùm ſuperſtitionis, quæ Religioni plus nocet, quàm errores graviſſimi, hoſtem me acerrimum eſſe non diffiteor. Sed plura non addo.

Vale; Benevole Lector!

PRÆFATIO.

Lectoribus, qui præfationes legere dignantur,
Salutem!

ANtequàm Te, *Benevole Lector!* ad ipſius libelli lectionem admitto, quædam præmonenda eſſe duxi. Unum ſpectat *argumentnm ipſum;* alterum *ejusdem tractandi methodum.* Et *prius* quidem quod attinet, non dubito, *fore multos, qui exiſtument argumentum ipſum, quod tractavimus, leve, & vix dignum curâ Sapientis.* Dicent:

Digitized by Google

actiones Apollonii, Franciſci &c. adeò eſſe ſtultas, ineptasque, ut refutatione prorſùs ſint indignæ; non eſſe credendum, fore quemquam, cui ſenſus communis ineſt, qui miracula illa, quæ iis adſcribuntur, vel pro divinis habiturus, vel actiones eorum defenſurus ſit; alia nunc quidem eſſe tempora, mores alios; homines acutiùs jam cernere, neque adeò facilè pati, ſibi imponi, &c. Ego verò (ut ad hæc quædam reſpondeam) non diffiteor, argumentum ipſum ita eſſe comparatum, ut ſi quis vel ſcribendo, vel legendo nonniſi delectationem quærat, haud facilè capere poſſit, quid nos ad opuſculum hocce conſcribendum impellere potuerit. Vitæ enim hominum illorum tot ſcatent nugis & actionibus inſulſiſſimis, ut ſine tædio & temporis diſpendio evolvi non poſſint. Non ſemel etiam fateor legenti eas in mentem incidit illud Poetæ: *Ite in ignem -- chartæ!* præſertim cùm in id ſemper pro viribus incubuerim, ut nonniſi optimos Scriptores legerem, At hæc tamen non impediverunt, quò minùs ad finem perducerem libellum, & moleſtiam aliquam devorarem. Semper exiſtimavi, & adhuc exiſtimo, eos, qui animum ad ſcribendum inducunt, in id cumprimis conniti debere, ut, quod ſcribunt, utile ſit atque profuturum. Non quæritur: quàm jucundus ſit labor, ſed quàm utilis Lectori? Si ullibi, certè hîc locum habet illud: *Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.* Exiſtumo autem,

tem, *nugas illas, quas invitus tamen enarro, ad ſeria ducere.* Quod, ut pateat, jam quidem oſtendendum. Et initio quidem, nemo veritatis & pietatis ſtudioſus, & temporum, quibus vivimus, gnarus, in dubium revocabit, nihil magis utile atque neceſſarium, *quàm ut veritas atque divinitas Religionis Chriſtianæ ſolidiſſimis argumentis probetur, atque contra quosvis impiorum & incredulorum inſultus defendatur.* Hinc Viri dignitate, eruditione, ingenio præcellentiſſimi, omnes ingenii vires impenderunt, ut ſanctiſſimam Religionem in tuto collocarent. Res notior eſt, quàm ut Exemplorum inductione probetur. At tenuis hic labor noſter ad eumdem tendit unicè finem. *Sanctiſſimam Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, & miracula defendere volumus.* Dum enim ineptas hominum illorum actiones & ementita miracula explodimus, eô ipſô oſtendimus, quàm iniquè nobiscum agant Increduli, qui, ut Chriſti atque Diſcipulorum actiones & miracula repellere poſſint, ad tot mendacia & figmenta Monachorum impudenter provocant. Cùm autem in eo eramus, ut quantum ſit discrimen, inter cœleſtem Chriſti doctrinam & hominum illorum ſuperſtitionem, inter veri nominis miracula & ſtolida prodigia atque geſticulationes hominum verſutorum, probaremus, perſpeximus, neceſſe eſſe quàm maximè, ut ineptos libellos, quos *Legendas* vocant, inſpiceremus,

atque

atque paulò prolixiùs ſtultiſſimas hominum illorum actiones exponeremus. Nolui illis, qui fabulas illas ineptas defendere ſolent, occaſiònem dare conquerendi, me libros illos, unde argumentatus ſum, non rectè inſpexiſſe, ſed alios temerè ſecutum. Hâc viâ ad demonſtrandam veritatem Religionis Chriſtianæ ingreſſi ſunt olim *primitivæ Eccleſiæ Patres* in ſuis libellis contra *Paganos* editis. Quanquàm enim non omnes eorum argumentationes ſolidæ & ad rectæ ratiocinationis regulas exactæ; certum tamen, eos ſuperſtitionis fontes ritè detexiſſe, atque probâſſe, quàm ineptæ, ridiculæ atque caſtæ Religioni inimicæ ſint opiniones *de Deo & Religione* publicè apud *Gentiles* receptæ. Tam altè ſuperſtitio hominum animis erat infixa, totque fraudibus Sacerdotum munita, ut cœleſtis veritatis ſemina fructum ferre non potuiſſent, niſi evulſis primò ſuperſtitionis & ineptarum opinionum radicibus. At (inquiunt alii) neceſſe non eſt, ut Seculo noſtro querelas eaſdem repetamus; prudentiores enim ſunt homines, quàm ut portentoſis narrationibus & nugaciſſimis fabulis fidem habeant. Non meliùs ad hanc objectionem reſpondere poſſum, quàm verbis cl. *Jurieu*, cui idem fuit objectum. Verba extant p. 402. in libro, cui titulus: *Prejugés legitimes contre le Papiſme.* „ Pour être aſſuré, (inquit) que cet eſprit d'illuſion, & de ſens reprouvé eſt comme

comme eſſentiel au Papiſme, il n'y a qu'à voir que malgrè les efforts, qu'on fait depuis cent cinquante ans un petit nombre d'eſprits ſages dans l'Egliſe Romaine, pour ôter le credit à ces fables', ils n'ont encore pû en venir à bout. Qu'on aille dans l'Italie & dans l'Eſpagne, on trouvera, que ces honteuſes Legendes ſont encore l'Evangile des peuples, qu'il ne ſçait ce que c'eſt que parole de Dieu, & qu'on ne le nourrit que de ce ſuc de fables & de menſonges. Ceux qui voudroient bien nous ôter ces armes invicibles, & ſi propres à les confondre, eſſayent de perſuader, que le regne de ces folies eſt paſſé, que c'eſt une maladie dont on eſt bien gueri. Mais je ſupplie ces Meſſieurs, de me faire un peu voir quelques efforts juridiques, qui ayent été faits pour l'abolition de ces folies criminelles; la ſainte congregation de l'Inquiſition a-t-elle cenſuré les livres? où ſont les indices expurgatoires, qui en ſoient chargez? où ſont les Bulles, qui les condamnent aux ténébres éternelles, qu'ils méritent? Ces horribles ouvrages ne peuvent être du nombre de ceux, qu'on appelle médiocrement mauvais. On y fait dire à ceux, qu'on appelle les Saints, de Dieu des extravagances, & des impuretés propres à donner un profond mépris pour la Réligion Chrétienne. Il n'y a pas de milieu. Ces livres meritent d'être brulés, où ils ne méritent rien; cependant

pendant ils courent le monde, les lit qui veut, ils ne ſont fletris nulle part, d'aucune cenſure. Et dans les deux tiers de l'Empire du Papiſme, ils ſont pour ainſi dire, ſur les Autels. Depuis nôtre Réformation, il s'eſt dit tant de choſes contre ces ouvrages, que les Protecteurs & les Imitateurs de ces Legendaires en devroient avoir de la confuſion. Mais cela n'y a rien fait, & l'on pourroit former une grande Bibliotheque des livres de même veine, qui ſe ſont compoſés depuis cent ans, & qui ſe compoſent encore aujourd'hui. L'Italie, l'Eſpagne, l'Allemagne, & même la France, en eſt couverte. Tout nouvellement le Pere *Craſſet*, avec approbation de ſa Societé & l'applaudiſſement de tous les Dévots, a mis au jour un Volume de l'honneur dû à la Sainte Vierge, où il a renouvellé toutes les anciennes extravagances, dont on croyoit que ces Meſſieurs commençoient à avoir honte. „ Ita cl. *Jurieu.* Diu ante hunc Theologum Reformatum *de Legendis* ſimiliter judicârunt duo Eccleſiæ Romanæ Doctores præſtantiſſimi, nimirùm *Melchior Canus* & *Ludovicus Vives.* Prior ita loquitur: „ Dolenter hoc dico potiùs quàm contumelioſè, multò *à Laërtio* ſeveriùs vitas Philoſophorum ſcriptas, quàm *à Chriſtianis* vitas Sanctorum; longèque incorruptiùs & integriùs *Suetonium* res Cæſarum expoſuiſſe, quàm expoſuerunt *Catholici;* non res dicam Impera-

Imperatorum, ſed Martyrum, Virginum & Confeſſorum. Illi enim in probis, aut Philoſophis, aut Principibus, nec vitiorum ſuſpiciones tacent; in improbis verò etiam colores virtutum produnt. Noſtri autem plerique vel affectibus inſerviunt, vel de induſtria quoque ita multa confingunt, ut eorum me non ſolùm pudeat, ſed etiam tædeat; hos enim intelligo Eccleſiæ Chriſti cùm nihil utilitatis attuliſſe, tùm incommoditatis plurimum. „ Verba verò *Vivis*, *de Cauſſis corruptarum Artium* Lib. II. Sect. 92. Edit. Colon. ita ſonant: „ In Actis Sanctorum ſcribendis major eſt veritatis cuſtodia, in quibus omnia oportebat eſſe exacta & abſoluta. Unusquisque eorum Acta ſcribebat, ut in quemque erat affectus; ita ut animus hiſtoriam dictaret, non veritas. Quàm indigna eſt Divis & hominibus Chriſtianis illa Sanctorum hiſtoria, quæ *Legenda aurea* appellatur? quàm neſcio cur auream appellent, quùm ſcripta ſit ab homine ferrei oris & plumbei cordis? Quid fœdiùs dici poteſt illo libro? O quàm pudendum eſt nobis Chriſtianis, non eſſe præſtantiſſimos noſtrorum Divorum actus meliùs & accuratiùs memoriæ mandatos, ſive ad cognitionem ſive ad imitationem tantæ virtutis, quùm de ſuis Ducibus, de Philoſophis & ſapientibus hominibus tantâ curâ Græci & Romani Auctores perſcripſerint. „ Ita *Vives*. Quanti etiam à recentioribus emunctioris

ctioris naris Viris, Eccleſiæ Romanæ addictis, hi libri æſtimentur, oſtendit Abbas *Lenglet* in *Supplemento Catalogi Hiſtoricorum*, ubi agit de libro, cui titulus: *Chroniques des Freres Mineurs, traduites du Portugais.* IV. Tomis in 4to. ubi Auctor inter alia hæc addit, dicens: „J'ay connu des Savans, entre autres le célébre Mſr. *Nicole* & le Sieur *Pethetre*, qui pour ſe delaſſer l'eſprit par quelque lecture agréable & romaneſque ne liſoient pas d'autre livre que celui-ci, qu'ils regardoient comme le Don Quichote de la Spiritualité. „ Vide *die Halliſche Bibliothec*, Tomo V. At nec ab eo tempore, quo librum hunc egregium ſcripſit *celebris ille Theologus*, ſoliciti fuerunt *Viri docti in Eccleſia Romana*, de emendandis Sacrorum ritibus. Quot, quæſo, ab eo tempore ſolemni Canoniſatione in Divorum numerum relati? Plures hoc labente Seculo XVIII. à ſanctiſſimis Patribus totius Eccleſiæ vel BEATIFICATOS, vel CANONISATOS, (utor ſtylo Curiæ Romanæ) ex hiſtoria rerum in Eccleſia Romana geſtarum patet. *Clemens XI.* in Sanctorum numerum 1712. retulit *Pium V. Andream de Avellino*, *Felicem de Cantalicio* & *Catharinam de Bononia.* 1723. hoc officium *Andreæ Conti*, *Franciſcano*, præſtitit *Innocentius XIII. Benedictus XIII.* 1726. *Hyacintham Mareſcotti*, Romæ natam, illibatam Virginem inter Divas eſſe juſſit, cœloque locavit. Eodem anno eamdem gloriam adepti ſunt

ſunt *Turibius Mogrobeſius*, *Archiepiſcopus Limæ in America*, *Jacobus de Marchia*, *Franciſcanus*, *Agnes de monte Politiano*, *Peregrinus Læziaſi*, *Joannes della Croce*, *Franciſcus Solano*, *Aloyſius Gonzaga & Stanislaus Coſtka*. 1729. eadem fata experti *Vicentius de Paola*, *Petrus Forrieri*, *Joannes Nepomucenus*. Imò eò uſque ſingularis *Benedicti* erga genus humanum Benevolentia progreſſa, ut *Hildebrandum* ſeu *Gregorium VII.* mitiſſimum & caſtiſſimum hominem denuò cunctis mortalibus adorandum exhibere voluerit, renitentibus quibusdam ingratis & contumacibus optimi Parentis filiis. Et elapſo denique anno 1732. Vir antiquâ probitate & fide, & multis aliis Sanctulis præſtantior, *Frater Claus* ex Pago *Underwalden*, ſupra ſpem ſuam inſignem hanc gloriam obtinuit. Et ſatis probabiles adſunt rationes, quæ inducunt ut credamus, Pontifices in poſterùm etiam dignum honoribus & meritis aliis pretium poſituros. Quid dicam de novis portentis & miraculis? Vix annus eſt, quo hinc inde nova non fiant. Utinam de iis ita loquerentur Defenſores, uti *Livius*, *Romanæ Hiſtoriæ Scriptor*, de prodigiis, quæ ſingulis annis Romæ geſta eſſe dicebantur, judicavit. At omnis hîc de fronte periit pudor. Afferamus unum atque alterum exemplum. Vir doctiſſimus *Jacobus Serces*, in eleganti libello, *de Miraculis*, ante triginta circiter annos *Amſtelodami* edito, mentionem facit miraculo-

rum in *Italia* editorum : „ Tout le monde (inquit pag. 320.) a oui parler du fameux prodige, qui ſe fait toutes les années à *Naples*, le jour de la Fête de *St. Janvier*, le Patron, ou pour mieux dire, le Dieu du Païs. Chacun ſait, que l'on prétend y conſerver une partie de ſon ſang, laquelle eſt congelée pendant toute l'année, mais qui ſe liquefie lorsque l'on approche de la tête du Saint la petite bouteille, dans laquelle elle eſt renfermée. Mais tout le monde ne ſait peut-être pas, qu'il s'y fait par année cinq liquefactions de cette nature. L'on aſſure à *Naples*, & les livres imprimés le confirment, que la quantité du Sang *de St. Jean Baptiſte, de St. Etienne, de St. Pantaleon, & de Ste. Patrizia*, que l'on y garde avec reſpect, y devient liquide le jour même de leur Fête. „ Ut Auctor hoc probet, provocat ad duos libros 1725. in urbe *Neapoli* editos. Paucis interjectis quid de miraculis illis ſentiat, ita aperit: „ Ce qui rend tous ces miracles fort ſuſpects, c'eſt 1. qu'ils ne ſe font pas ſur le champ. Par exemple; on aſſigne ſept ou huit jours pour la production de celui de *St. Janvier*; ſans doute, afin que ſi les Prêtres manquent leur coup, le premier ou le ſecond, ils puiſſent être plus heureux dans les ſuivans. 2. Ce même miracle ne ſe fait, que dans l'endroit le plus reculé de l'Egliſe, où il ne ſe trouve, que des perſonnes, qui enviſagent tout ce

qui

qui ſe paſſe avec des yeux, ou intereſſés, ou credules, & peu critiques; & lors qu'il y a des Etrangers à *Naples*, qui veulent voir cette ceremonie, ſi l'on a la complaiſance de les admettre dans l'Egliſe, on eſt attentif à les placer dans le lieu le plus éloigné, d'où ils ne ſauroient voir, quoi que ce ſoit, d'une maniere un peu diſtincte. 3. Enfin; on peut tellement douter de la verité de ces miracles, que l'on peut douter, je ne dirai pas, ſi ce, qui ſe liquefie, eſt du ſang méme du Saint, mais ſi c'eſt du ſang de quelque eſpece qu'on le ſuppoſe. En effet, étant moi méme à *Naples* dans le mois de Mars de l'an 1726. j'eus occaſion dans l'Egliſe de *St. Jean Carbonara*, de voir ce que l'on donne pour étre le ſang de *S. Jean Baptiſte*. Le Sacriſtain me remit entre les mains la phiole, dans laquelle il étoit contenu, & me donna le tems de l'examiner à mon aiſe. Ce que je puis aſſurer ſincerement, c'eſt que la liqueur epaiſſie, qui y étoit renfermée, ne me parut rien moins que du ſang, mais plutôt une eſpece d'huile condenſée, ou de pomade, à laquelle on avoit donné une couleur rougeatre, qui imitoit méme très mal celle du ſang. Mais, quelle abſurdité ne peut-on pas perſuader à des gens, qui paroiſſent croire, dur comme fer, qu'une ſtatue de marbre a eu la peſte, qu'elle en a encore une partie du viſage enflée, que l'on peut actuellement découvrir ſur ſa joue

la marque que le bubon y a laiſſée en ſortant? C'eſt pourtant ce, qu'il ne tint pas à deux Eccléſiaſtiques, que je cruſſe fermement d'un Buſte de *St. Janvier*, que l'on garde dans une petite Egliſe ſervie par des Capucins, à quelques mille de *Naples*, près de la Solfatara. Au reſte le jugement que je fis du pretendu ſang de *St. Jean Baptiſte*, ne m'eſt pas particulier. Un Prêtre de l'Oratoire, *Italien*, qui l'avoit vû auſſi bien que mois, mais dans un autre tems, & avec qui je m'en entretenois à *Turin* quelques mois après, m'en parla ſur le même ton. Une marque auſſi caracteriſée de fourbe & d'impoſture, ne doit elle pas décrier abſolument tous ces prétendus miracles? „ (*) Ita D. *Serces.* Hoc unum ſufficiat

(*) Herr NEMEIZ in der *Nachleſe beſonderer Nachrichten von Italien*, erzehlet dieſes von dem heiligen Januario: „ Eine kleine Viertelſtund davon, (nemlich *Solfatara*) nachdem man einen groſſen ſchlimmen Berg, da man meiſtens die Pferde führen muſs, paſſiret, kömmt mau zu einer kleinen Capellen, welche man an eben demſelben Orte, wo der heilige Januarius nebſt andern Chriſten geköpft worden, aufgerichtet. Weil eben Gottesdienſt darinnen gehalten ward, bin ich mit meiner Reiſe-Geſellſchaft hineingegangen, um das marmorne Bruſtbild dieſes Heiligen zu ſehen. Selbiges ſtehet gleich rechter Hand der Thüre in einem in der Wand eingemauerten Schranke; und ſahen wir dieſes ſteinerne Portrait, welches ein heidniſcher Bildhauer nach der Idee, ſo eine heilige

ficiat exemplum adduxiſſe, inter innumera alia, quibus *Italia*, fœcundiſſima ſuperſti-

heilige Matrone, die eben bey der Execution geweſen, und deſſen zu Neapel verwahrtes Blut aufgefangen, gegeben, ſoll gemacht haben. Es iſt aber an daſſelbe die Naſen angeleimt. Auch zeiget man an dieſem Ort einen Stein, worauf Blutstropfen zu ſehen, die bey der Köpfung des heiligen Januarii darauf gefallen. Es können aber auch wol natürliche Fleken in dem Stein ſeyn. Ueber dem Altar ſtehet die Hinrichtung dieſes Heiligen in Marmor eingegraben, mit dieſer Ueberſchrift: *D. O. M. Divo Januario ſupremo Neapolitani, Regni Patrono hic loci ante XIV. Secula ſanguine è cæſis cervicibus in ſacrum juxta lapidem guttis adhuc recentibus aſperſum effuſo, ampullisque vitreis Neapoli ſummâ Religione ſervato, atque ad perenne Catholicæ Fidei teſtimonium cum Capiti concretus occurrit mira ebullitione liqueſcente unà cum SS. Sociis Martyrii laudem adepto Jacobo Cardinalis Cantelmus Archiep Neap. 1695.* Bey Anlaſſe der dem Bildniſs angehängenen Naſe thut der Auctor in den Noten folgendes hinzu: Einer von den daſigen Patren hat mir folgendes Mährlein erzehlt: Es hätten die Saracenen in Italien unmenſchlich gehauſet, und alle marmorne Statuen über einen Hauffen geworffen; und da wäre es geſchehen, daſs ſie auch des heiligen Januarii ſeiner nicht verſchonet, ſondern derſelben die Naſe abgehauen hätten; hierauf hätten viele ihr wiederum eine Naſe machen wollen, es wäre aber keine feſt daran geblieben, bis endlich ein Fiſcher um dieſe Gegend gefiſchet, und in ſeinem Netze die Naſe mit aus dem Waſſer gezogen; welche, ob er ſie gleich vielmals als einen ſchlechten Stein wieder hinein geworffen, hätte er ſie doch allemal wieder

tionis mater, ſuperbit. Vix enim pagus eſt, nedùm urbs, quæ inſignibus miraculis non nobilitetur. Idem de *Hiſpania* & *Luſitania* dictum velim. *Gavini* liber non unum ſpecimen fraudis & incredibilis ſuperſtitionis Sacrificulorum regni *Hiſpaniæ* ſuppeditat. Quis neſcit, quot adhuc in dictis regnis ſint Statuæ, quibus divina vis & honos tribuitur? Atque ut hoc unum jam moneam, narrat *Wilhelmus Gumpenberg* in *Atlante Mariano* Statuas D. Virginem referentes, ſingularique potentiâ, miracula patrandi, inſtructas dari,

Romæ 73.
Venetiis 45.
Neapoli 72.
Bononiæ 93.
in Sicilia circiter 100.
in tota Italia 463.
in Hiſpania 499.
in Germania 558.

Mirum

---

der heraus bekommen, bis man endlich probiert und gefunden, daſs es juſtement die rechte Naſe vor dieſe Statue geweſen. Mein Lehn-Laquay ſagte mir auch, ich ſollte mich nicht befremden laſſen, wenn der Pfaff, der mir es wieſe, mir ſtarr in die Augen ſehen würde; denn ſo bald (nach ihrer Redens-Art ein Ketzer hinkäme, und dieſe Statue anſchauete, würde er feuer-roth im Geſicht. Ich remarquierte auch, daſs der Pfaff mich ſtark anſahe; bekümmerte mich aber wenig darum.,, Conferatur cum hiſce Epiſtola IV. cel. **Pfaffii, de Invocatione Sanctorum pag. 50. Tom. II.**
Libri

Mirum autem eſt in florentiſſimo Regno *Galliæ*, imò regina urbium *Pariſiis*, ubi Virorum eruditiſſimorum & perſpicaciſſimorum maximus eſt prov ntus, paſſim tamen jactari miracula; nil dicam, quòd cultus Sanctorum, totusque ille apparatus ineptiſſimorum rituum, à nemine fuerit apertè & publicè reprehenſus atque rejectus. Novimus quidem, *Mabillonium*, *Papebrochium*, *Thierſium*, *Boſquetum*, *Bailletum* aliquid in hoc negotio tentâſſe; at timidè ſatis, nec eo animo, ut ineptiſſimum cultum Sanctorum ex animis hominum evellerent. Et, ut de miraculis aliquid dicam, quis neſcit, quid in ipſa urbe ſplendidiſſima ab aliquo tempore fuerit non ſine prudentiorum offenſione publicatum? Notum eſt, quid cum fœmina illa, cui nomen *la Foſſe*, actum fuiſſe dicatur. Publicè traditum: *eam ultra viginti annos profluvium ſanguinis paſſam, nullis medicamentis à graviſſimo morbo liberari potuiſſe, demum Anno* 1725. *cùm incredibili deſiderio Venerabile* (uti loquuntur) *ſequeretur, fuiſſe ſanatam.* Unde etiam *Cardinalis de Noailles* publico quodam edicto id credi voluit.

†† 4 Quàm

Libri ſub hoc titulo editi: *Reponſe aux douze Lettres du Pere Scheffmacher, Jeſuite de Straſbourg, contre les Proteſtans; où les principales Controverſes, qui s'agitent entre l'Egliſe Romaine & celle des Proteſtans, ſont traitées. A Frankfort*, 1733.

Quàm incertum autem ſit hoc miraculum? imò quàm falſum, ſive teſtimonia audiamus, aut cauſſam efficientem & finalem miraculi ſpectemus, eruditè oſtendit præſtantiſſimus *Vernetus*, Eccleſiæ Genevenſis Miniſter doctiſſimus, in Epiſtolis duabus de hoc argumento editis, & reſponſionibus ad objectiones, quas quidam nomine Doctoris Sorbonici duabus illis Epiſtolis oppoſuit. Digniſſima etiam lectu eſt ejusdem *Verneti* Epiſtola, *de miraculo Jeſuitæ Romevillo*, ad quod Jeſuita *Deſpineul*, cùm pro more ſuo *Clericum* in *Commentariis Trivoltienſibus* perſtrinxiſſet, provocat. Factum id dicebatur in Ducatu *Sabaudiæ*, & quidem in vicinia urbis *Genevæ*, unde facilè *Hæretici* illius loci rem explorare potuerunt. Quid dicam de laudibus ſtultiſſimæ & fanaticæ fœminæ, quas ebuccinavit in *Gallia*, & publicè ſine pudore edidit non aliquis è fæce Monachorum, ſed florentiſſimi regni Epiſcopus? Sanè is liber non ſolùm ipſi Epiſcopo æternam inuret maculam, ſed & opprobrium eſt Religionis Romanenſium. Si quis inter nos talia chartis traderet, nemo non crederet, eum vel mente captum, vel omnis Religionis & cultûs divini irriſorem eſſe. Hunc librum tamen multi laudârunt, & Pontifex ipſe, *Sanctiſſimus & Religioſiſſimus hominum*, miris extulit laudibus. (*) Cumprimis

(*) Quid de religione & viſionibus fœminæ ineptiſſimâ ſuperſtitione captæ judicandum, vide ingenioſiſſimi

primis autem noſtro tempore multus fuit inter nos ſermo de miraculis *Pariſii*, Diaconi in Eccleſia Pariſienſi. Cùm libellum *de Vita ejus*, & miraculis, *Ultrajecti* (utì titulus præ ſe fert) editum, evolverem nuper, ſalvo meliore aliorum judicio, quid de doctrina & miraculis ejus ſentiam, aperiam. Et *I.* quidem laudamus in *Pariſio* acerrimum ſtudium, veritatem ex ipſis fontibus Sacrarum Literarum repetendi. Tali animo non fuerunt *Franciſcus*, *Dominicus* & *Lojola*. *II.* Laudamus libertatem, quâ uſus eſt in rejicienda Bulla *Papæ*, cujus Decretum cum aliis Viris doctis admittere noluit, licèt multa ideò eſſent ferenda. *III.* Non negaverim, *Pariſium* amore Dei & proximi fuiſſe tactum. Multa ſunt in hac Βιογραφια hujus rei veſtigia. *IV.* Neque negaverim etiam, eum in victu & amictu temperantem fuiſſe. At multa tamen ſunt, quæ impediunt, quò minùs credam, hominem extraordinariâ quâdam voluntate Dei fuiſſe excitatum, ad humani generis ſalutem promovendam. Huc pertinet, quòd multa in eo deprehendantur veſtigia ingenii ad ſuperſtitionem & fanaticiſmum maximè proni. Qualia ſunt *(a)* incredibile illud deſiderium, loca ſola & deſerta petendi, hominumque conſortia, quos emendare omnibus modis debebat, fugiendi. Rarò hoc à Chriſto &

 Apo-

nioſiſſimi Holbergii Tomum tertium Epiſtolarum, cumprimis quadrageſimam primam.

Apoſtolis factum. Culpari autem in *Pariſio* hoc poteſt, quòd publico Miniſterio fuerit admotus. Certè ; ſi tantâ flagravit cupiditate, veram & ſalutarem doctrinam explicandi, & contra receptas opiniones homines muniendi, ampliſſimam habuiſſet in urbe florentiſſima occaſionem. *(b)* Auſteritatem vitæ, ultra id quod rectæ rationis & revelationis leges poſtulant, urſit. Vide pag. 33. 46. ſq. Pag. 56. ita ait Auctor vitæ: „ Durant tout le Carême il ſe priva de la petite nourriture, qu'on avoit la liberté de prendre à midi, & ſon jeune fut toujours ſans aucune interruption, & prolongé, ſelon l'ancienne coutûme de l'Egliſe, juſqu'après ſix heures, où étoit fixé le repas. L'épuiſement où le réduiſit ce jeune dont il commençoit alors à faire épreuve, lui cauſa de ſi vives douleurs, que tout ſon corps en étoit quelque fois agité de convulſions & de mouvemens extraordinaires. Sa conſtance n'en fut point ebranlée, & il ſurmonta toutes les difficultés par un courage, qui *NB.* eſt plus facile d'admirer, que d'imiter. „ Confer inde à pag. 134. ad 147. nec dubium, quin auſteritate vitæ mortem ſine neceſſitate ſibi acceleraverit. Poſtquàm enim nudis pedibus difficillima feciſſet itinera, & ad ſuperſtitionem uſque in victu & amictu hactenùs uſitato fuiſſet tenax, redux in hoſpitium, quo erat uſus, corpore erat atque pedibus æger, unde poſteà nunquàm

quàm convaluit. Ita Auctor paginâ 147. „ *Monſieur de Paris* de retour *de Villeneuve le Roi*, ne pût diſſimuler la douleur, que lui cauſoient les bleſſures de ſes pieds; & ſes amis l'obligerent, d'avoir recours au Chirurgien. Il voulut malgré eux aller le trouver lui même. Il ſe traina donc depuis la rue *de Bourgouignion* juſqu'à la rue *S. Jaques*, vis-à-vis *S. Mayloire*, où logeoit *Mr. Maublan*, ſon Chirurgien, qui fut bien étonné de le voir venir chez lui dans l'état où il étoit. Il le fit approcher du feu, & vint peu après pour examiner le mal. *Mr. de Paris* ne pouvoit ſe déchauſſer, parce que ſes bas, qu'il n'ôtoit jamais pour ſe coucher, ſe trouverent collés à la chair, par la grande quantité de Sang, qui étoit ſortie. On l'aida à les detacher & cette operation, qui dura long tems, ne fut pas la moins douloureuſe. Le Chirurgien, après l'avoir penſé, le condamna à ſe menager, & même à ſe tenir au lit. Il vint dans la ſuite le ſoigner; mais il avoit affaire à un malade, que le zêle de la Penitence rendoit peu docile. On ne put obtenir, qu'il rabatit rien de l'auſterité, qui lui étoit ordinaire tous les hyvers, qui étoit de les paſſer ſans feu. Il ne fut bien guéri de ce mal, qu'environ au bout de cinq mois, un mois avant ſa mort; mais à peine en fut-il un peu ſoulagé, qu'il reprit le cours de tous ſes exercices, ſans même y oublier ſon petit metier, où le mou-

mouvement des jambes n'étoit pas moins neceſſaire, que celui de bras. Le mal étoit rien, comme parloit le ſaint Diacre. Il ſoupiroit ſans ceſſe vers un état, & une retraite qui le ſeparat entièrement du monde. Il en étoit bien près, mais dans un autre ſens qu'il ne penſoit. Pour s'y préparer, il réſolut, de ſe rétirer à l'écart dans une éſpece d hermitage, que la Providence ſembloit lui avoir menagé dans ſa propre maiſon. C'étoit un appentis preſque à jour, ſeparé du logement, ſitué dans un coin du jardin, qui n'avoit que dix ou douze pieds en quarré ſur huit ou dix de hauteur. *Monſieur T.* uſant alors de tous les droits de l'amitié, rejetta bien loin une telle propoſition, & ſe crût même obligé d'en donner avis au Confeſſeur. „ Mox *Pariſius* exſpiravit. Ex hoc & aliis locis patet, *Pariſium* ſine neceſſitate damnum vitæ ſuæ intuliſſe. (c) Ex eodem fonte repetendum ſtudium, antiquos Anachoretas imitandi. Certè non omnes illorum actiones vel probandæ, vel imitandæ; ſi qui olim metu perſecutionis loca deſerta petere debuerunt, atque tenui victu vitam ſuſtentare, id non poteſt omnibus in univerſum virtutis ſtudioſis pro regula, quam imitentur, proponi. Qui in civitatibus piè atque caſtè vivunt, pravis animi ſtudiis fræna injiciunt, aliosque ad virtutem exemplo ſuo incitant, hominibus, qui loca montana atque ſpeluncas inhabitant,

habitant, atque ex aliorum ſudoribus victitant, longè ſunt præferendi. *(d)* Quamquàm ſtudium pauperibus liberaliter elargiendi non vituperemus, præſertim cùm amplis facultatibus ornatus fuerit, non tamen probare poſſumus, quòd non ſemel omnia ferè vitæ præſidia abjecerit, atque in eo ſe Chriſto ſimilem fore putaverit. Ita pag. 64. „ Tout ne reſpiroit que la pauvreté, ou plutôt l'indigence la plus extrême ſur ſa perſonne dans ſon logement, dans ſes meubles, & même dans ſon maintien. Il s'appliquoit à reſſembler en tout à ces hommes, que ſa foi lui rendoit d'autant plus reſpectables, qu'il voyoit en eux l'état où Jeſus Chriſt lui même avoit bien voulu ſe rendre pour nôtre ſalut. On a peu d'exemples ſemblables à ceux qu'il a donné ſur ce ſujet. Il lui eſt arrivé pluſieurs fois, ſe trouvant avec des pauvres, ſur tout en faiſant quelque voyage, d'être pris lui même pour un d'entre eux, de manger de leur pain, & d'être logé avec eux. On tient d'une perſonne qu'il honoroit particulièrement de ſa confiance, que ce Saint inconnu étoit alors en comble de ſa joye, ſe voyant ainſi avec ſes freres. Mais il ſavoit en même tems leur faire part du thréſor, qu'il cachoit en ſon cœur, en leur apprenant par des diſcours également ſimples & touchans, à faire de leur état tout le cas qu'il méritoit, & à y honorer Jeſus Chriſt, qui s'eſt fait

pauvre

pauvre lui-même, afin de nous enrichir par ſa pauvreté. „ Hæc aliaque, quæ ex libello illo adducere poſſem, ſatis probare videntur, quó ingenio fuerit ornatus *Pariſius*, atque oſtendunt, minùs eſſe probabile, hominem illum à Deo, præter ordinem, ad emendandum genus humanum miſſum. At provocat Auctor vitæ ad miracula, quæ poſt obitum illius facta per eum dicuntur. Duo vidi opuſcula *Pariſiis* eo tempore, quo hæc geſta dicuntur, edita, in quibus in dubium ea vocantur. Prioris titulus eſt: *Lettres au ſujet des choſes ſingulières & ſurprenantes, qui arriverent en la perſonne de Monſieur l'Abbé Beſcherant à Saint Medard, à Paris le 18. Octobre 1731.* Poſterius ita inſcribitur: *Declaration du Sieur Abbé le Franc, Frere de la Demoiſelle Anne le Franc, connue par le prétendu Miracle, operé dans ſa perſonne, au tombeau du Sieur de Paris, le 3. Novembre, jour de St. Marcel 1730.* Abbas ille non ſolùm apertè negat, miraculum in ſorore ſua contigiſſe; ſed & contendit, eam ad hoc fingendum & divulgandum à maleferiatis hominibus inductam. Cùm autem Auctor vitæ fortè reſpondere poſſet, hæc ab inimicis fuiſſe in odium *Janſeniſtarum* excogitata; ad alia provocabo, quæ efficiunt, ut miracula illa mihi ſuſpecta ſint: Et 1. quidem, ſi Religionem ipſius expendimus, liquebit, eum nec ſuperſtitionem, nec Miſſam, vel alios errores Eccleſiæ Romanæ damnâſſe. Pag. 9.

9. & 55. Miſſam celebravit. Pag. 17. traditionem pro regula fidei habuit. Et ut in compendio ſententiam ipſius de Religione proponam, audi quid Auctor Vitæ p. 201. dicat: *Monſieur de Paris* a été non ſeulement Chrêtien en reſſerrant cette idée; mais il a été Chrêtien Catholique-Romain, en la maniere qu'il faut l'être pour le ſalut, toujours inviolablement uni au Siège de Saint Pierre, comme au centre de l'unité, & ſoumis au Succeſſeur de Saint Pierre, ſelon toute l'étendue de ſon authorité, & le droit ſacré & divin de ſa primauté dans le Corps paſtoral. „ Ex hoc patet, cum cuncta Eccleſiæ Romanæ placita approbâſſe & credidiſſe. At perſuadere mihi nunquàm poſſum, Deum ad probandam *Tranſſubſtantiationem*, *Invocationem Sanctorum*, cæterumque cultum, rationi & revelationi adverſum, miracula facturum. Imò hæc ipſa Confeſſio *Pariſii* argumentum exhibet contra veritatem miraculorum, quæ ipſi tribuuntur. Credidit *Pariſius*, Papam eſſe à Deo inſpiratum & infallibilem judicem in rebus divinis explicandis. Papa editâ Bullâ ſententiam *Janſeniſtarum*, cui *Pariſius* addictus erat, *de Gratia*, damnavit; igitur aut Papa non eſt *infallibilis judex*, aut Deus *nulla miracula* edidit per *Pariſium*. At ſecundùm *Pariſium* Papa eſt inſpiratus à Deo, eſt infallibilis controverſiarum judex; ergo miraculis Deus confirmare non poteſt doctrinam,

nam, quam per os *infallibilis judicis & Chriſti in terris Legati* ſolemniſſimè condemnavit. 2. Pag. 193. narratur, Deum miracula feciſſe ad Decreta eorum ſtabilienda, qui in *Gallia Janſeniſtæ* vocantur. At quis ſibi perſuadebit, Deum ad probandam veritatem aliquam ſingularem, captui omnium non ſatis accommodatam, miracula editurum? Si in ipſa revelatione ſatis perſpicuè ſententia *Janſeniſtarum* tradita eſt, quid opus eſt miraculo? Quæ cauſſa eſt, cur Deus demum hoc tempore miraculum ederet, ſi animis hominum ſententiam *Janſeniſtarum* inſinuare voluit? Diu eſt, ex quo vehementiſſimè eorum ſententiæ fuerunt exagitatæ & proſcriptæ. Quòd ſi ergo Deus voluit, ut omnes mortales, quibus Evangelium revelatum eſt, hanc ſententiam crederent, quomodo fieri potuit, ut demum hoc tempore, non item alio, ſuccurreret miſeris mortalibus? 3. *Pariſius* dum vixit, nunquàm ad miracula provocavit, nullum inſpectantibus amicis & inimicis præſtitit; nunquàm asſeruit, ſe à Deo miſſum, ad *Janſenii* dogmata miraculis confirmanda; at talia poſtulamus ab eo, qui ſe divinitùs miſſum eſſe ait, ad Religionis capita, hactenùs turpiter neglecta vel negata, confirmanda. Deus miraculis omnibus, cumprimis plebi proſpicere vult. Plebs Controverſiarum, quæ de hoc argumento ſubtili ventilantur, ignara eſt. Quòd ſi igitur Deus *Janſenii* ſenten-

ſententiam per miraculum probare voluiſſet, neceſſe fuiſſet, ut priùs monuiſſet *Pariſius* omnes promiſcuè, ſe ad eam probandam miraculum editurum. At nihil horum unquàm factum eſt. Demum poſt obitum hæc miracula dicuntur facta. Populus ſententiarum ipſius ignarus cuncta ad ſuperſtitionem traxit. Ita pag. 178. Auctor Vitæ: „ Du lieu de la ſepulture du Saint pluſieurs vont viſiter la chambre, où il eſt mort, & prier dans ſon petit hérmitage. Le matelas ſur lequel il a expiré, l'armoire ſur laquelle il couchoit, auſſi bien que ſes habits & ſon linge ont éte miſes en pièces, pour ſatisfaire à la dévotion des Fidéles; & on ne ceſſe point encore d'en diſtribuer. „ Ecce, quâ ratione populus finem Dei interpretatur! *Nemo*, *nemo* ait, ſe in poſterùm crediturum dogmata *Janſenii* propter miraculum. Sed quoniam ſuperſtitioſâ auſteritate ſibi famam adquiſivit, inductus populus per eos, quorum intererat hæc commendare, ut ad eum confluerent poſt mortem. Quòd ſi dicas, plebem demum viſis prodigiis, quæ poſt mortem edita ſunt, in admirationem raptam, nihil meâ opinione lucraris. Si enim verè geſta fuiſſent miracula ad ſepulchrum ipſius, nihil aliud inferre potuiſſet populus, quàm vitam hujus hominis fuiſſe Deo placentem. Unde autem ſcire potuit ſententias, quas fovit, Deum confirmare hâc ratione voluiſſe, cùm ad eas ſingillatim

nunquàm provocaverit vivus? Unde ſcivit, ea tantùm Deum confirmare voluiſſe, quæ à cæteris capitibus Religionis publicæ receptæ diſcedunt? Si *Pariſius* per omnem vitam operam dediſſet, ut ſuperſtitionem & idololatriam ex mente tot hominum miſerè deceptorum radicitùs evelleret, caſtumque Dei cultum commendaret, atque conteſtatus eſſet, Deum miraculo ſanctiſſimum inſtitutum comprobaturum, attentionem mererentur ea, quæ traduntur; at cùm hæc omnia cum cætera ſuperſtitioſorum turba admiſerit, non ſinit Sanctitas Numinis credere, in hominis illius gratiam portenta edita. 4to tandem ſuſpecta reddunt illa miracula circumſtantiæ quædam. Audivi à Viro fide digniſſimo, teſte oculato, equidem homines ſepulchro *Pariſii* impoſitos agitari, cunctaque eorum membra miris motibus raptari; at neminem inde abductum ſtatim à morbo liberari, ſed in proximum duci aut ferri Sacellum, poſtmodum demum famam tàm veri quàm falſi nunciam, per urbem increbeſcere, hunc vel illum, ſepulchro *Pariſii* impoſitum, ſanatum. At non ea erat miraculorum *à Chriſto & Apoſtolis* editorum ratio. *Surge & ambula*, inquiebat *Jeſus*. Dictum factum. Provocat equidem Auctor ad *Gregorium Turonenſem*, teſtantem, miracula quædam non in inſtanti facta. At nihil agit exemplum, quod litem lite reſolvit. Quàm parùm fidei mereatur circa hæc

Turc-

Turonenſis, norunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ periti. Nil jam dicam, quæ ſuſpiciones oriantur, ſi homines ipſos contemplemur, in quorum gratiam hæc fieri dicuntur, & quibus artibus locus ſit, poſtquàm è ſepulchro ablati in Sacellis illis degunt. Atque hæc eſt mea de miraculis *Pariſii* ſententia. (*)

(*) Plura Scripta poſt id tempus, quo hæc Præfatio exarata eſt, de vita, moribus & miraculis ejus edita ſunt. Vide Diſſertationem celeb. MOSHEMII, hodie Cancellarii Academiæ Göttingenſis, *de vita & moribus Pariſii*, & Cap. XXII. XXIII. & XXIV. *Veritatis Religionis Chriſtianæ*, probatæ à clariſſimo & amiciſſimo VERNETO, Profeſſore Genevenſi, Sect. VII. ubi eruditè omnia expendit, quæ de miraculis hujus Diaconi Pariſienſis utramque in partem allata ſunt. Adde *l'Hiſtoire d'un Voyage litteraire, fait en* 1733. pag. 121. Verba nobiliſſimi LYDLETTONI in egregio libello *de Converſione Pauli*, de negotio Pariſienſis Diaconi & jactatis miraculis pag. 71. ſic ſonant: „Als die Wundervverke, die bey des Abt *Paris* Grabe ſollen geſchehen ſeyn, ein ungevvöhnliches Aufſehen in der Welt machten, ſo trugen alle beyde Stüke das ihrige dazu bey Sie vvurden zvvar nicht von der Regierung unterſtützet, und verdienen daher mehr Aufmerkſamkeit als andere papiſtiſche Wunder. Jedoch es vvar der ganzen Janſeniſtiſchen Parthey, die in Frankreich mächtig und zahlreich vvar, (vvorin ſich viele vveiſe uno tüchtige Männer, aber auch abergläubiſche Enthuſiaſten befunden,) daran gelegen, daſs ſie dieſelben als Wunder vertheidigten. Dieſe vereinigten ſich zuſammen, ihnen Beyfall zu verſchaffen, vveil die Ehre ihrer Parthey davon abhieng.

Ex quibus omnibus patet, ſuperſtitionem, falſa miracula, Sanctorumque cultum in Eccleſia Romana non decreſcere, ſed augeri potiùs; atque adeò neceſſe eſſe, ut ſubinde hoc ulcus tangatur. Me quod attinet, diffiteri non poſſum, vehementer me dolere, quoties in Muſeo meo video, ex longè diſſitis oris ſingulis annis tot millia hominum ad Sacellum in vicinia poſitum,

---

hieng. Einige davon, vvelche dieſe Wunder vvahrhaftig glaubten, vvaren zu ſolchem Glauben vorhero bereitet, und lenkſam gevvorden. Ob ſie nun gleich ſolche Vortheile auf ihrer Seite hatten, mit vvie vveniger Mühe vvurden ſie unterdrüket? Es vvurde nur eine Mauer an der Seite der Kirche, vvo das Grab des heiligen Wunderthäters vvar, aufgeführt. Kaum vvar ſolches geſchehen, ſo fand man an der Mauer einen Zettel angeheftet mit dieſer Ueberſchrift:

De par le Roi déſenſe à Dieu,
De faire miracle en ce lieu.

Der König verbietet unſerm HErrn GOtt, daſs er hier keine mehrere Wunderwerke thun ſolle. Dieſe Schmächſchrift vvar vvitzig; aber der Ausgang lehrete, daſs ſie der Parthey, vveſche ſie verfertiget hatte, den gröſten Schaden that. Würde ſich GOtt an dieſes närriſche Verbott gekehret haben, vvenn er daſelbſt einige Wundervverke verrichtet hätte? Würde er ſich in ſeinem Vornehmen haben ſtören laſſen durch eine aufgeführte Mauer? Confer cum hisce doctiſſimi DE VOEUX *Critique générale du livre de Monſieur Montgeron*; item *le Journal des Savans* Tomo CLII. Menſis Maji Anno 1750.

tum, tanquàm ad ſacram anchoram confluere. Doleo, homines adeò ſuperſtitione dementatos eſſe, ut ſibi perſuadere poſſint, Statuam quamdam, ex ligno vel argento factam & eleganter veſtitam, majus auxilium ferre poſſe rebus in arctis, quàm Deum Optimum Maximum, quem ubique locorum præſentem invocare licet, ſine itinere moleſto vel pecunia Sacerdotibus ſolvenda. Doleo, Sacrorum Antiſtites de puro caſtoque Dei cultu tam parùm eſſe ſolicitos. Novi, quàm varia ſint hominum ingenia, variæ opiniones. At nunquàm mihi perſuadere poſſum, ut credam, homines illos adeò hebeti ingenio eſſe, ut intelligere non poſſint, ineptum illum ceremoniarum apparatum, cultum eſſe Optimo Sapientiſſimoque Numine indignum & rectæ rationis principiis contrarium. Nil dicam de fraudibus manifeſtiſſimis & in oculos incurrentibus, quarum illi & auctores & inſpectores ſunt. Utinam tandem ruptis ſuperſtitionis vinculis homines ea edocerent, quæ ad λογικην λατρειαν unicè ſpectant! Sanè ipſi *Ethnici* perſpexerunt, Deo gratum eſſe non poſſe cultum, qui externis ritibus unicè abſolvitur. Quis ignorat *Perſii* verba?

Dicite, Pontifices, in Sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id Superis - - -
Compoſitum jus, faſque animi, ſanctoſque receſſus

 Mentis,

Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto:
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

Novi quidem longè maximam generis humani partem in ſpiſſioribus ignorantiæ tenebris verſari; at plerique miſerorum hominum Eccleſiæ Romanæ placitis addictorum, ſi quàm maximè vellent è tanta miſeria eluctari, haud poſſunt, cùm nemo ad manus ſit, qui facem præferat, melioraque doceat. At illi, de quibus loquimur, ſiquidem rationem audire vellent & ſanctiſſima Dei præcepta, ſanari poſſent. Cujusvis autem, certè publicorum Doctorum eſt, ſuperſtitionis torrenti obicem ponere; & quantum in iis eſt, omnibus viribus conniti, ut caſtiſſima ſanctiſſimaque Religio altiſſimas in animis hominum agat radices. Et eum in finem unicè libellus iſte à me conſcriptus eſt. *Satis me vixiſſe arbitrarer, ſi vel unum hominem à ſuperſtitione & erroribus retractum, ad veræ ſapientiæ caſtique cultûs amorem transferrem.*

Reſtat, ut de tractandi hoc argumentum methodo aliquid addam. Præcipuum, quod in hac opella probare intendi, in eo conſiſtit, ut oſtendam, *miracula, quæ Pythagoræ, Franciſco, cæteriſque, de quibus ago, tribuuntur, non poſſe à Deo originem habere.* Ad hoc collineat totius libelli ſcopus; hoc ideò moneo, ut ſi quis fortè, quemadmodùm magna eſt vis ſuperſtitionis, contra Auctorem

in

in arenam deſcendere in animum inducat, *hoc unum* perſpicuis argumentis probet, neque in verbis quibusdam carpendis, vel circumſtantiis quibusdam, ad rei Summam nihil facientibus, diu inhæreat; ſed *jugulum cauſſæ* premat. Potuiſſem, cùm fœcundiſſima ſit hæc materia, multa adducere, quæ ab argumento hoc, quod tractavimus, aliena non eſſent; at conſultò ab iis Controverſiis, quæ nobis cum Eccleſia Romana intercedunt, abstinui; tot libri à doctiſſimis Viris, inde ab eo tempore, quo ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecimus, de erroribus Eccleſiæ hujus ſunt conſcripti, idque tanto eruditionis apparatu, ut vix quicquam iis addi poſſe videatur. In ipſa tractatione riſi non ſemel, atque perſtrinxi ineptas actiones hominum, Romanenſium religioni addictorum, qui Numinis juſſu ad emendandum genus humanum ſe miſſos jactitant; quamobrem non eſt, quòd iraſcantur Eccleſiæ Romanæ Doctores, ſi fortè libellus iſte in manus eorum incidit. Novi, in rebus ſacris ſeriò eſſe agendum. At res ipſæ, de quibus agimus, aliquando ita ineptæ inſulſæque ſunt, ut *Catoni* ipſi riſum extorquerent. Perſuaſiſſimus ſum, ſapientes & eruditos Viros hujus cœtûs aculeos ſermonis non ſolùm boni conſulturos, ſed &, ſi quando ſtolidiſſima dicta factaque quorumdam legunt, volentes nolentes in riſum erupturos. In cæteris ſatis oſtendi,

me naturâ ad jocos riſusque proclivem noſ eſſe. Non ſemel excandui, quoties ſanctisſimum Dei Nomen & divina Volumina adeò abjectè & ſine reverentia ab inſulſis hominibus tractari animadverti. Ferreæ frontis hominem eſſe oportet, & nullius Religionis, qui, cùm audiat *Chriſto* conferri fanaticos homines, & turpiſſimæ ſuperſtitioni addictos, non exhorreſcat atque indidignetur. *Cæterùm; ſi quis eſt, qui neminem lædere, & quàm plurimis placere ſtudeat, inter eos ego nomen profiteor meum. Neminem*, (Deus mihi teſtis eſt) *cuicunque tandem Religioni addictum, odio habeo; nulli, in Religionis negotio à me disſentienti, nocere per vitam cupio.* Novi, quanta ſit ingenii humani diverſitas, & arreptarum ſemel perceptionum vis atque efficacia. Illi, quos tango, dudum ad plures abierunt. Perſuaſus ſum, Virum cordatum & Religionis Chriſtianæ amantem ineptiſſimarum & ſtolidiſſimarum actionum & dictorum patrocinium in ſe nunquàm ſuſcepturum; ronchos imperitorum Monachorum nec curo, nec timeo. Illi ipſi Auctores ſunt tot fabellarum ineptiſſimarum & efficторum miraculorum, quibus vitam Auctorum ſuorum, quos laudibus in cœlum extollere voluerunt, omnium bonorum riſui & execrationi expoſuerunt. Nemo igitur mihi vitio vertet, quòd poſt multorum doctiſſimorum hominum conatus, ex ipſo etiam cœtu Eccleſiæ Romanæ, impu-

impudentiam eorum perſtrinxerim, atque ſcapham ſcapham appellaverim. In Auctores *Legendarum*, non Viros eruditos, recidit quicquid liberiùs dictum eſt. Quanquàm nec illi innocentes ſint, qui cùm publicè hæc nobiscum carpere, imò deteſtari deberent, altùm ſileant, atque in ſinu tantùm vel rideant, aut vim ſuperſtitionis incredibilem deplorent.

Ita Præfationi huic, *Benevole Lector!* finem imponere volui. Incidi autem, aliud agendo, in *Commentarios Trivoltienſes*, atque hîc aliquid legi, quod ad argumentum, de quo in Præfatione illa agere incepi, explicandum aliquid conferre poteſt, ſimulque præſcindere quasdam objectiones, quas quidam ex cœtu Eccleſiæ Romanæ allaturi fortè ſunt. Jeſuita quidam ad An. 1726. menſis Aprilis mentionem facit libri Patris *Theodorici de S. Rene*, qui defendit, *Pariſiis* in templo *S. Joannis* miraculum per Hoſtiam (uti vocant) factum eſſe. Occaſione hujus libelli Jeſuita (pro more) invehitur in eos, qui *Tranſſubſtantiationis* dogma concoquere non poſſunt, dicens: „ Les Proteſtans intereſſés à decrediter le myſtêre de la Transſubſtantiation & de la préſence réelle de Jeſus Chriſt dans l'Euchariſtie, ſe ſont toujours fait impies, de railler ſur les miracles operés, pour confirmer ce dogme de

nôtre Foi. Ils ont crû, que les railleries auroient plus d'effet que les raiſonnemens. Et véritablement cette maniere de refuter coute beaucoup moins, & fait ſouvent plus d'impreſſion ſur les eſprits, que les plus eblouiſſantes ſubtilités. La malignité ou la foibleſſe du cœur humain eſt telle, qu'il ſe range ordinairement au parti du railleur, dans la crainte d'être expoſé à ſes traits, lors même, qu'il ſent que la Satyre porte à faux. Ceci arrive particulièrement, quand un Autheur ſe donne un air d'eſprit ſort & indépendant. Cet air impoſe, & la crainte, de paſſer pour credule, fait, qu'on ſe rend, ou du moins, qu'on n'ôſe réſiſter à un homme, qui le prend ſur ce ton, quand même on ſeroit infiniment convaincu, qu'il a tort. De là vient, que ſouvent certains Catholiques, ſoûs prétexte de ne pas donner dans la ſimplicité, qu'ils appellent des anciens tems, abandonnent aux Héretiques des miracles, qui pour n'être pas de Foi, n'en ſont pas moins averés. Foibleſſe d'autant moins pardonnable, qu'elle a pour fondement l'ignorance, & d'autant plus dangereuſe, qu'elle va quelque fois juſqu'à ſapper dans le cœur les principes eſſentiels, & à livrer peu à peu le corps de la place, après avoir lâchement abandonné les déhors. „ Ita *Jeſuita* ille. Ad hæc ſequentia repono: 1. concedimus, in rebus ad Religionem ſpectantibus ſeriò

eſſe

eſſe agendum; atque temerè illos agere, qui cùm rerum divinarum naturam atque indolem non ſatis intelligere poſſunt, ſine ulteriore mora in riſus & dicteria erumpunt. Ita improbamus incredulorum jocos & ſcommata, quibus Religionem Chriſtianam, tot argumentis ſuffultam atque demonſtratam, vel ſine examine excipiunt, aut ob ſententias quasdam intellectui humano captu difficiles perſtringunt. Inſulſum enim & à ratione alienum eſt, id, quod non ſatis intelligimus, riſu explodere, præſertim cùm à Viris optimis & ſapientiſſimis ſit prolatum. 2. Quod Eccleſiam Romanam ſpectat, argumentis ſolidiſſimis graviſſimisque oſtendimus, cur ab ea ſeceſſérimus; cur Decreta hujus Eccleſiæ, ritus cultumque amplecti & retinere non poſſimus. In omnium manibus verſantur libri à tot Viris doctiſſimis ſcripti, in quibus ſeriò de hoc argumento fuit actum. Quòd ſi (ut ſæpisſime factum) calumniis Religionem noſtram proſciderunt Doctores Eccleſiæ Romanæ, haud iniquum fuit, duro nodo durum opponere cuneum, & ſcapham aliquando ſcapham appellare. Oſtendimus millies, *Tranſſubſtantiationem non ſolùm Sacris Litteris, inſtitutioni & fini Servatoris noſtri, ſenſibusque omnibus repugnare, ſed meram etiam involvere contradictionem, merum eſſe σιδηρόξυλον, ſplendidum nihil.* Quis autem nobis vitio vertere poterit, ſi aliquando ridemus?

Si

Digitized by Google

Si quis feriò dicat *dari circulum quadratum*, & ſe ope hujus propoſitionis, neſcio quas ſubtiles veritates eliciturum, quis miretur, ſi omnes inſaniam ipſius perſtringant? *Doctrina de Transſubſtantiatione totius Papiſmi centrum & medulla eſt.* Ob eam negatam multa millia hominum crudeliſſimis ſuppliciis affecta ſunt. Hodienum illam qui negat, *Hæreticus eſt, dignus qui comburatur.* Meritò igitur toties totiesque, cùm tanti, *quid eſſet*, ſciviſſe noſtrâ ſemper interfuerit, interrogavimus Doctores Eccleſiæ hujus, quid tandem ſit *Transſubſtantiatio.* Quærimus: *utrùm ſit Myſterium*, affirmant; meram contradictionem, *Myſterium non eſſe*, contendimus. Dicunt, *Miraculum eſſe;* at contendimus, *miracula tanquàm miracula ſenſibus patere;* ſed quamprimùm hos conſulimus, actum denuò eſt de *Transſubſtantiatione.* Cùm autem Doctores illi toties totiesque ad hoc Decretum explicandum invitati, ne quidem verbis explicare poſſint, quid nomine *Transſubſtantiationis* intelligant; ſimul tamen jactitent infinita miracula per *eam* fieri, quis miretur aliquando vel invitis nobis riſum erumpere? Riſit *Cicero*, cùm *Epicurus* dixit, Deos non habere corpus, ſed quaſi corpus; non ſanguinem, ſed quaſi ſanguinem. Quis igitur vitio nobis vertet, ſi aliquando ridemus, quando homines illi non ſine ſupercilio dicunt: *in Transſubſtantiatione adeſſe corpus, nec proprietates tamen corporis, ſed panis*

habens;

habens; adeſſe in pluribus locis ſimul, id eſt, unum eſſe & plura ſimul; *totum illud corpus Romæ, Pariſiis eſſe; & in his civitatibus ampliſſimis totum in tot diverſis offerri Altaribus; adeſſe, at ita tamen, ut omnes mortales, in unum juncti, armatis oculis corpus illud videre non poſſint &c. &c.* Teſtor omnium conſcientiam, utrùm reprehendi poſſint Viri optimi & religioſiſſimi, ſi aliquando, dum hæc audiunt, à riſu ſibi temperare non poſſunt? Idem ipſis contingit, quando legunt, *tot miracula per reliquias, oſſa, lapides, ſanguinem, lintea, imagines, ſtatuas, ſanctos*, quorum multi *nunquàm* vixerunt, *facta*. Nihil facimus, quod rationi & naturæ rerum, quæ tales in nobis affectus excitare ſolet, contrarium ſit; nihil, quod non exemplis Virorum religioſiſſimorum defendi poſſit. Quis neſcit, quàm falſè perſtrinxerint veteris Eccleſiæ Apologetæ *Gentilium* ſuperſtitionem, nugas de Diis, Deabus, ritus deteſtandos & ineptos? Notiora ſunt hæc, quàm ut exemplorum inductione probari debeant. Contendimus autem, innumera eſſe in fide & ritibus Eccleſiæ Romanæ, quæ non minùs ridicula atque inſulſa ſunt, quàm ea, quæ Patribus illis, quos tamen *Sanctos* vocant, toties ridendi occaſionem præbuere. Quòd ſi igitur impedire volunt, quò minùs inania illa commenta rideamus, dicant nobis in poſterùm, quid tandem ſit *Tranſſubſtantiatio*, quæ tot mirabiles effectus edit;

edit; probent, Deum per ſanctiſſimam ſuam naturam efficere poſſe, ut miraculo idololatria ſtabiliatur, & ritus ineptiſſimi confirmentur; permittant, quæſumus, ut miracula illa, omnesque illorum circumſtantias propriis oculis intueamur. *Londinum*, *Amſtelodamum*, *Genevam* veniant, atque omnem ſanctiſſimarum mercium, quas populo venditare ſolent, apparatum ſecum afferant, atque publicè oſtendant, ſe à Deo auctoritate & potentiâ inſtructos, præter conſuetum naturæ ordinem inſolita portenta faciendi. Noſtros ægrotos ſanandos offeremus, pecuniam ſolvemus, grates perſolvemus maximas; tam mites nos præſtabimus ut oves, atque in poſterùm parati erimus promtique, humili obſequio cuncta mirabilia, portentoſa, imò impoſſibilia credendi. 3. Fatetur tacitè Jeſuita, dari inter cœtûs ſui Doctores, quos pudeat in tanta luce ineptiſſimarum rerum patrocinium ſuſcipere, atque hoc ex ignorantia oriri contendit. At falli in hoc ſuo judicio *optimum Virum* credimus. Homines rerum divinarum ignari, Monachi cumprimis, poſito pudore ſine examine cuncta admittunt, neque à receptis opinionibus facilè recedunt, præſertim cùm non ſine vitæ & facultatum detrimento de ſanctiſſimorum rituum neceſſitate & miraculorum veritate dubitare liceat. Credimus igitur nos, ſalvo tamen meliore judicio, Viros illos, qui ad explo-

explodendas, ſaltem negandas illas ineptias animum inducunt, Viros eſſe rerum divinarum amore tactos, candidos & ſinceros. Nec ſcio, utrùm omnem eruditionis gloriam detracturus ſit noſter *Launojo*, *Baylleto*, *Boſqueto*, *Arnaldo*, *Thierſio*, *Mabillonio*, *Papebrochio*, *Lengleto du Freſnoy*, *illuſtri Auctori Delineationis Eccleſiæ verè Catholicæ*, aliiſque, qui non ſemel vehementer dubitârunt de variis ſuperſtitionis partibus. Non diffitemur interim, *ſanctiſſimi Ignatii Lojolæ* diſcipulos aut nunquàm aut rariſſimè publicè profeſſos turpi ignorantiâ & fraude in hoc negotio peccatum. Fatemur, eos, ſi quidem ſtudio ritus omnes cujuscunque generis defendendi & latiùs disſeminandi, imò novos excogitandi, aliquod inſigne præmium eſſet repoſitum, eos ſolos omnium conſenſu ablaturos eſſe; zelum enim hunc pro gloria Dei, id eſt, *Papæ*, jam diu ſatis ſuperque demonſtrârunt. Hinc noſtri hærentem capiti multa cum laude coronam detrahere nolunt. Vir non rudis litterarum, neque virtutum *ſanctiſſimæ Societatis* ignarus, D. *la Croze*, publicè quàm præclarè de cultu caſtiſſimo Religionis Pontificiæ mereantur, faſſus eſt in libello, cui titulus: *Vindiciæ veterum Scriptorum*, pag. 10: „Quàm proni ſint Jeſuitæ (*ita inquit*) ad omne mendaciorum genus, quot narrationibus teſtari liceret! rem paucis exemplis illuſtrabo, ne fortè accuſatio demonſtratione deſtitutâ calumnia

calumnia videatur. Quodcunque mendacium induxit inter homines vel ambitioſa ſuperſtitio, vel hominum religionem ſimulantium avaritia & cupiditas, id totum Jeſuitarum defenſionem meruit. Qui ob id unum cæteris Ordinibus monaſticis acceſſiſſe videntur, ut veteres Eccleſiæ ſuæ fabulas ornarent & amplificarent. Ita *Jacobus Gretſerus*, Vir doctiſſimus, imagines non manu factas, quas vocant, quæ ingenti numero à Pontificiis coluntur; *Melchior Inchoffer* Epiſtolam fictititiam *divæ Mariæ ad Meſſanenſes*; *Horatius Turſellinus* translationis *Caſæ Lauretanæ* libris editis in vulgus propugnare ſuſceperunt. Fatentur homines cordati inter Pontificios, malas nonnunquàm artes in commendandis Sanctorum reliquiis adhiberi; nec id inficiantur plurimi, qui nondùm omnem pudorem & veritatis amorem abjecerunt. Verum inventus eſt in re tam manifeſta *Joannes Ferrandus*, Lojolita *Anicienſis*, qui in *Disquiſitione reliquiaria*, magnæ molis libro, quicquid de Sanctorum reliquiis ineptè, abſurdè, impiè dictum eſt, id totum tanto animi ardore tuetur, ut de inconcuſſis ſanctiſſimi cultûs fundamentis propemodùm agi videatur. Cùm illud non leviter turbet rationes Pontificiorum, quòd tria, imò plura aliquando eorumdem Sanctorum Capita ſuperſtitioſæ plebi variis in locis adoranda proponantur. *Ferrandus*, ne quid unquàm fateatur vel leviſſimæ fraudis eſſe

eſſe admiſſum, id miraculo fieri docet; replicata nimirùm & multiplicata (ſic enim loquitur) Sanctorum membra contendit. Quàm in rem ipſum ineptias ſuas effutientem audire operæ pretium eſt. Unum mihi ſatis erit in præſentia dicere. Inquit: Supremum Numen ſuam dubio procul explicuiſſe ſententiam, in iis nominatim reliquiis multiplicandis, quæ reverâ nonniſi unæ, ſecundùm entitatem & naturâ ſuâ, ſingulares exiſtere poterant; ut ſunt v. gr. præputium, ſanguis, aliaque id genus, quæ cùm ad corporis Chriſti perfectionem faciant, vel quæ cum ipſo vel ab ipſo traxerint originem, nec multiplices eſſe, nec diu illibatæ ſeu integræ ſervari poterant, niſi divina vis miraculoſum in modum acceſſiſſet. Idem in aliis multis reliquiis videre eſt. Apage (*ita exclamat doctiſſimus Vir*) deteſtabiles nugas! quibus nihil horribilius confingi potuiſſe Chriſtiani omnes, qui verè *Chriſtiani* ſunt, haud ægrè fatebuntur. „ Hæc ille. Quàmvis *de famigeratiſſima Societate* non admodùm præclarè ſentiam, non poſſum tamen mihi perſuadere, credere eruditiſſimum *la Croze*, omnibus in univerſùm membris hæc, quæ narrat, eſſe adſcribenda. Sine dubio illi in mente erat illud tritum: *A potiore fit denominatio.* (*) Saltem recen-

 tiſſimo

(*) Vide, quæſo, recentiſſima exempla impudentiæ, malitiæ & ſuperſtitionis horum hominum, quæ ſuppeditat Auctor Diarii litterarii Gallici, Hagæ

tiſſimo exemplo eruditiſſimi Jeſuitæ, P. *Tournemine*, conſtat, non omnia miracula publicè jactata ſtatim ab iis admitti. Interrogatus enim doctiſſimus Pater per litteras à cl. *Saurino*, *τω νυν ἐν Ἁγιοις*, quid *de miraculoſa ſanatione fœminæ Pariſienſis*, cui nomen *la Foſſe*, ſentiret, ita reſpondit: „ Je ne nie, ni ne reconnois la verité du miracle, qui donne lieu au Mandement de Mſr. le Cardinal. Comme je n'en ai point examiné les preuves, il y auroit de la temerité à décider, & je ne ſaurois approuver la méthode de ces Theologiens, qui parlent avec tant de hardieſſe ſans connoiſſance de cauſe. Le reſpect, que je dois à un Prélat également eclairé & vénerable par ſes vertus, ne me permet pas de m'inſcrire en faux contre un évenement, dont il atteſte la verité. Mais comme la pieté de Mſr. le Cardinal pourroit être ſurpriſe, & qu'il n'eſt pas impoſſible, d'en impoſer à un homme, quelque habile qu'il puiſſe être, je ſuſpens mon jugement. „ Ita doctiſſimus *Tournemine*. Plura exempla adferre poſſemus, niſi crederem, plus ſatis ea eſſe nota. In his autem jam quidem acquieſcimus, ne præfationis limites ſupergredi videamur.

ARGU-

Hagæ Comitum editi, ſub titulo: *Le Journal univerſel*. Cæterùm, quod hîc de reſponſo Patris Tournemine in medium protuli, non extra dubitationis aleam poſitum eſſe me monuit Vir quidam doctus.

ARGUMENTA

Singulorum Capitum hujus Libelli.

Cap. I. Occaſio & ſcopus Exercitationis.

Cap. II. De Miraculis in genere.

Cap. III. Præcipua Pythagoræ & Apollonii miracula narrantur.

Cap. IV. De miraculis Franciſci Aſſiſii, Dominici & Lojolæ.

Cap. V. Disquiritur, quem in finem miracula illa, adſcripta Pythagoræ, edita ſint; & quo ingenio atque moribus fuerit ornatus.

Cap. VI. De Apollonii Thyanenſis doctrina & moribus.

Cap. VII. De ingenio, moribus & doctrina Franciſci Aſſiſii.

Cap. VIII. In quo agitur de Dominico, ejus moribus & Decretis.

Cap. IX. De ingenio & moribus Ignatii Lojolæ.

Cap. X. Miracula Pythagoræ, Apollonii, Franciſci, Dominici, Lojolæ, non ſunt à Deo, quia doctrina eorum omnibus Dei virtutibus contraria.

Cap.

Cap. XI. Miracula Pythagoræ, Apollonii, Franciſci &c. non ſunt à Deo, quia Religionis Chriſtianæ veritatem & divinitatem ſubvertunt.

Cap. XII. Miracula Pythagoræ & cæterorum non ſunt à Deo, quia, poſitâ illorum veritate, merus induceretur in rebus ſacris Scepticiſmus.

Cap. XIII. Disquiritur, utrùm miracula illa Diabolo ſint tribuenda.

Cap. XIV. Miracula, quæ Pythagoræ, Apollonio, Franciſco, Dominico & Lojolæ tribuuntur, à credulis & maleferiatis hominibus efficta ſunt.

Cap. XV. Probatur, ſolemnem Canoniſationem Franciſci, Dominici & Lojolæ, non ſolùm Pontificum infallibilitatem penitùs ſubvertere; ſed & eamdem oſtendere, Pontifices illos homines fuiſſe, cùm rerum divinarum ignariſſimos, tùm ineptisſimos impudentiſſimosque.

Cap. XVI. Socrates, ſi quidem per leges divinas liceret, ſolemni Canoniſatione dignior eſſet, quàm Franciſcus, Dominicus & Lojola.

Cap. XVII. Agitur de officio Doctorum Eccleſiæ Romanæ, cumprimis autem eruditorum Gallorum, in graviſſimi negotii cauſſa.

EXER-

EXERCITATIONIS DE ORIGINE ET AUCTORITATE MIRACULORUM,

quæ

Pythagoræ, Apollonio Tyanenſi, Franciſco Aſſiſio, Dominico & Ignatio Lojolæ

tribuuntur;

CAPUT I.

Occaſio & Scopus Exercitationis.

CUm non ſemel mecum reputarem atque perpenderem, quâ ratione factum ſit; ut multi homines, ingenio & judicio non deſtituti, ad Atheiſmum, graviſſimum, peſtilentiſſimumque errorem inclinaverint; multæ diverſiſſimæque cauſſæ animo meo

Digitized by Google

ſunt obverſatæ, quas omnes hîc enarrare inſtituti ratio non patitur. Eminent inter illas cumprimis *ſuperſtitio* & *fraudes, in rebus ad Religionem ſpectantibus. Superſtitio* rectæ rationis vim ita hebetat atque deprimit, ut illi, qui infauſto hoc ſydere adflati ſunt, ad ineptiſſima quæque credenda & pertinaciter defendenda ſint promtiſſimi paratiſſimique; excuſſâ enim ſemel rationis auctoritate, nihil eſt tam ineptum atque ſtolidum, quin avide arripiant cœca hominum pectora; imo nonnunquam eo inſaniæ progrediuntur, ut ſtultas ineptasque opiniones, quas ſine ullo examine admiſerunt, tanquam cœleſtia oracula deoſculentur, & in ipſa ſtoliditate glorientur atque ſuaviter requieſcant. Quo magis autem inſaniunt atque pueriles ineptias admirantur ſuperſtitioſi, eo magis in oculos hominum incurrit vaniſſimus error, atque omnes, qui rationi bellum non indixerunt, vehementer offendit. Quantacunque enim fuerit ſeculorum infelicitas, hominumque ignorantia & cœcitas, efficere tamen non potuit, ut omnes, veluti caligine menti obducta, prorſus excœcarentur, atque faſcinarentur. Obſcurari, at prorſus deprimi non poteſt divina rationis vis atque efficacia. Omni tempore reperiuntur, qui ſtultos errores deprehendant atque perſtringant, imo publice riſui exponant; in quo quin omni laude ac preconio digni ſint, nemo prudens dubitaverit: quemadmodum enim vera *Religio* omnibus modis eſt promovenda, ita *Superſtitio* radicitus ex hominum animis eſt evellenda. At eheu multi! quæ mortalium infelicitas, qui tetri hu-

jus

jus erroris cauſſas cognoſcunt, easque ſalſe rident, ſæpiſſime in alium huic contrarium, nec minus gravem errorem prolabuntur, *Atheiſmum* puta; dum enim ſatis *acuti* ſunt, ad ſtultiſſimarum opinionum vanitatem arguendam & refellendam, nec tamen ſatis *acuti* atque felices, ut alibi de veritate cognoſcenda circumſpicere, remque omnium attentione digniſſimam examini ſubjicere velint, *Religionem* cum ipſa *Superſtitione confundunt*, & utramque prorſus repellunt. Quidam pravis ſtudiis præpediuntur, quo minus Religionem a ſuperſtitione diſtinguant. Nolunt, poſtquam erroris & ſuperſtitionis fontes cauſſasque detexerunt, ulterius progredi, quia non minus Religionem quam ſuperſtitionem oneri ſibi eſſe credunt. Religio vitiis in univerſum omnibus bellum indicit, atque poſtulat, ut omnia quæ ſanctiſſimis Dei legibus contraria ſunt, grata licet & accepta, ex animis noſtris evellamus, atque ad rectæ rationis & revelationis normam actiones noſtras omnes, deſideria omnia, componamus. Cum autem multi homines vitiis capti conſtrictique ſint, facile patet, cur Religionem caſtumque Dei cultum aſpernentur. Multos autem, quo minus verum cernant, præpedit torpor. Hi rem valde arduam, quæque nonniſi longa attentaque meditatione explicari ab ingeniis humanis poteſt, penitius conſiderare nolunt, cum e contrario ſuperſtitionis vanitas & fictionum evidentia ultro ſeſe prodant. Multis hoc contigiſſe exemplorum multorum inductione facile probare poſſem, ſi quidem crederem cordatos & eruditos de hoc

 dubitare.

dubitare. Obſervavit hoc dudum *Plutarchus*; de Superſtitione Ægyptiorum verba faciens: Ἔνιοι, inquit in libello de Iſid. & Oſirid. p. m. 378. ἀποσφάλλεντες παντάπᾶσιν ἐις δεισιδαιμονίαν ἔλιαθον οἱ δὲ φεύγοντες ὥσπερ ἕλως τὴν δεισιδαιμονίαν ἔλαθὸν ἄυθις ὥσπερ ἐις κρίμνον ἐμπεσόντες τὴν ἀθεότητα. Quod ſi inſuper miſeri illi homines videant, multos omni niſu id agere, ut fraude & ſceleſta malitia ridiculas opiniones confirment, easque tanquam decreta de cœlo delapſa tueantur atque defendant, quod per *ficta miracula*, *viſiones* & *adparitiones* ſæpiſſime tentatum; vix remedium ad manus eſt, quo a graviſſimo errore ſanari atque abduci poſſint. Credunt enim eos, qui ſacrorum Antiſtites appellantur, miſeris mortalibus illudere, atque ipſosmet perſuaſos, Religionem inter ſuavia ſomnia referendam, atque ad rudis plebeculæ, quæ metu terreri & in officio contineri debet, aures capiendas inventam, atque ita longe lateque per orbem diffuſam diſſeminatamque. Atque hinc frequenter ad *miracula ficta*, *fraudesque Sacerdotum* provocare ſolent *increduli*, ut hac ratione veris miraculis detrahere poſſint. Hæc præcipua videtur cauſſa fuiſſe, cur eruditiſſimi Viri inter Græcos & Romanos tam abjecte de Religione ſenſerint, atque data occaſione cultum publice receptum perſtrinxerint. Integer liber Ciceronis de Nat. D. & Divinationibus exemplo eſſe poteſt. Et ut recentius exemplum adducam, hinc factum, ut *Tolandus* in Adeiſidæmone ſuo tantopere commendaverit librum. En verba audaciſſimi hominis pag. 7. libelli citati:

De

De Numa Pompilio, ſecundo Romanorum Rege, verba faciens Livius, omnium primum inquit, rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſſimam, Deorum metum injiciendum ratus eſt, qui quum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat ſibi cum Dea Egeria congreſſus nocturnos eſſe: ejus ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, Sacra inſtituere, Sacerdotes ſuos cuique Deorum præficere, cum reliquis, quæ ibi ſequuntur. Eadem omnino de multis aliis Legislatoribus, præſertim vero cum Religiones aut ſacra inſtituiſſent, referunt probatiſſimi Scriptores, & ſimplex credidit vetuſtas. Ita Delphis Lycurgus ab Apolline, & Minos a Jove in antro Dictæo ſua omnia didiciſſe comminiſcebantur; ut homines nempe, divina auctoritate devincti, legibus ab ipſis probatis libentius obedirent. His atque ſimilibus Moyſen, Hebræorum Nomotheten, aſſimilare non dubitat Diodorus Siculus: ſed in hac Moyſis cum aliis Prophetis & Legislatoribus comparatione, multo adhuc copioſior eſt Strabo Geographus. Hactenus *Tolandus.* Quamvis autem non ſemel (*) *Viri docti* hanc *incredulorum* objectionem *retuderint*, atque oſtenderint, quantum intercedat diſcriminis, inter veri nominis miracula & efficta portenta, non deſunt tamen, eheu! hoc ſeculo noſtro, quo cautiores & prudentiores homines eſſe oporteret, qui ineptiſſimam ſuperſtitionem per arte ficta miracula ſtabilire atque defendere

 non

(*) Legatur de vita, fatis & paradoxis ſententiis Tolandi, liber ſingularis, ſcriptus a celeb. Moshemio, hodie Cancellario Göttingenſi.

non erubeſcunt: notum quid nuper in Gallia cum *S. Pariſienſi Abbate & fœmina profluvium ſanguinis per multos annos paſſa* contigerit; notum, ne quid jam de aliis ejusmodi portentis, quæ in *Hiſpania* & alibi locorum, ubi veſana mentiendi libido inter ſacrificulos paſſim dominatur, neque de eorum veritate ſine capitis periculo dubitare licet, quotidie audiuntur, dicam. Quis crediidiſſet, noſtro tempore in Gallia *Epiſcopum* reperiri, qui fœminæ ſtultiſſime credulæ & fanaticæ, cujus nomen *Alacoque*, laudes ebuccinaret, atque in pleniſſimam lucem facta & dicta, æternis tenebris digna, induceret? hinc magis atque magis *Atheiſmus* per *exitialem ſuperſtitionem* atque fraudes, *caput tollit* atque *triumphat*. Cum autem cujusvis cordati officium ſit, non minus *Atheiſmo*, quam *Superſtitioni* fortiter ſe opponere; nihil ab officio meo alienum eſſe duxi, ſi & ego poſt *doctiſſimorum Virorum* labores, pro viribus, quas tenues eſſe ſcio, aliquid afferam, quod ad utrumque malum, ſi non tollendum, ſaltem imminuendum & reprimendum, aliquid conferre poſſet: atque id me ex parte conſecuturum ſpero, ſi *exemplorum illuſtrium inductione* oſtendam, quanta ſit ſuperſtitionis veſania, quamque nihil valeant miracula, ſive arte ficta, ſive vera, ad rem Deo indigniſſimam, religionique inimiciſſimam, comprobandam atque ſtabiliendam. Eum in finem ex Paganiſmo duos viros celebres, *Pythagoram & Apollonium Tyanenſem*; ex cœtu autem Chriſtianorum, trium nobiliſſimarum factionum Auctores, *Franciſcum*, *Dominicum*

minicum & *Lojolam*, omnes [ſi Diis placet] miraculis inuſitatisque factis illuſtres, in ſcenam producam, atque oſtendam, non ſolum graviſſimas eſſe rationes de veritate miraculorum, quæ ipſis adſcribuntur, dubitandi; ſed &, ſi vel maxime admitterentur, nihil tamen lucrari vel *incredulos*, vel portentorum illorum *defenſores.* Ut id autem probem, non *alios teſtes in medium proferam, quam quos ipſi diſſentientes probant.* Quicquid ego adjecero, tanquam *conſectarium*, quod ex teſtimoniis illis emergit, conſiderandum erit.

CAPUT II.

De Miraculis in genere. (*)

QUi vitas virorum illorum, de quibus modo mentionem fecimus, memoriæ mandarunt, id cumprimis ſibi datum eſſe crediderunt negotii, ut probent, Deum plurima numeroſiſſimaque in illorum gratiam feciſſe miracula. Vix enim mortalium incredulitati, alia ratione, occurri potuiſſe credebant. Cum autem hodie ingenia hominum haud facile ſine *graviſſimis rationibus* adducantur ad miracula admittenda, concedent aliquid vitarum illarum Scriptores temeritati hominum, noſtræ ætatis, permittentque, ut miracula illa propius inſpicere paulo liceat. Res ſane eſt non exigui momenti, miraculum aliquod admittere, vel non admittere; periculoſum eſt credere, & non credere. Si illi, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, jactarent miracula in Religionis, quam profitentur, gratiam edita, dubium non eſt, quin curioſiſſimis oculis contemplaturi eſſent illi, qui a nobis diſſentiunt: neque in eo ipſos culpare jure poſſemus. Idem,

(*) De miraculis in genere, vel his vel illis in ſpecie, præter Werenfelſium, Turretinum, Sercium, vide copioſe differentem Cl. Vernetum, Sect. VII. de veritate Religionis Chriſtianæ; celeb. Moshemium ad Cudworthum & pleroſque recentiores, qui datâ operâ veritatem Religionis Chriſtianæ probarunt.

idem, ut nobis concedant, par eſt. Miracula cum incredulis inter ignotas naturæ leges non referimus. Tam præclare, tam magnifice de Deo ſentimus, ut firmiter credamus, nihil eorum, quæ ſub ingenium humanum cadunt, & quæ poſſibilia vocantur, ejus vires atque potentiam ſuperare; ſimul tamen de Sanctitate, Sapientia & Bonitate Numinis ita nobis perſuademus, Deum non ſine graviſſimis rationibus inſolita portenta editurum, eumque nonniſi res ſanctiſſimas per ea confirmaturum. Antequam autem inquiramus, utrum miracula, quæ *Pythagoræ*, *Franciſco &c.* adſcribuntur, ſint vere geſta, de miraculis *in genere* aliquid præmittendum eſt, præſertim cum ſtudioſe inquirendum ſit, in cujus rei gratiam illa edita ſint. *Triplex*, quantum novi, eruditorum de miraculis eſt *ſententia*. Quidam omnia miracula explodunt, atque incognitas naturæ leges pro miraculis venditant, aſſerentes, fraudulentos homines, ut plebem in officio continerent, ea, quæ ex neceſſariis naturæ legibus ſequuntur, Dei Omnipotentis nutui & voluntati adſcripſiſſe. Ita ineptiit *Spinoza* & poſt eum alii, in qua tamen ſententia [cum ab aliis abunde id factum ſit] refellenda non morabimur, præſertim quod ad præſentem diſputationem elucidandam nihil conferat. Alii putant, veri nominis miracula non ſolum a Deo, ſed & ab Angelis, bonis & malis, patrari poſſe; Deum autem & Angelos bonos ad veritatem ſalutarem probandam atque confirmandam miracula facere; malos vero Genios errores &

ſuperſtitionem, editis portentis, ſtabilire. In hac ſententia multi Theologorum verſantur; inter recentiores eminent *Lokius*, *Clarkius*, *Clericus*, aliique. Tertia tandem ſententia eorum eſt, qui ſoli Deo potentiam, miracula patrandi, adſcribunt; cœtera, quæ pro miraculis habentur, aut rarioribus naturæ phænomenis & ignorantiæ humanæ tribuenda, aut ab impoſtoribus efficta; a Diabolo autem præſtari poſſe prorſus negant. In hanc ſententiam iverunt *Theologi clariſſimi & doctiſſimi*, *cl. Nolten*, ſingulari Diſſertat. *Alph. Turretinus* in exquiſito opere, de veritate Religionis Chriſtianæ, *Werenfelſius*, nuperrime autem fuſe hanc ſententiam *Du Serces*, Theologus Eccleſiæ Anglicanæ. Quanquam noſtra parum interſit, quantum ad præſens negotium ſpectat, utrum ſecundam vel tertiam admittamus ſententiam, dum quicquid hic ponitur nihil faciat, uti oſtendemus, ad miraculis hominum illorum auctoritatem conciliandam; fatemur tamen, poſtremam ſententiam nobis maxime veritati conſentaneam videri. Rationes breviter tantum adducimus, Lectoremque veri ſtudioſum ad Theologos, quorum jamjam mentionem fecimus, ablegamus. *Per miraculum intelligimus opus, quod contra conſuetas naturæ leges, quas ſolus Deus fecit, fit, in gratiam veritatis confirmandæ.* Ita ex. gr. claudum verbo ſanare, mortuum in vitam revocare, opus eſt, quod contra uſitatas naturæ leges fit. Ejusmodi opus Angeli opera fieri poſſe, nulla probabilis adeſt ratio, quæ hoc ſuadeat. Ipſe cl. *Clericus*, qui

bonis

bonis & malis Angelis, miracula patrandi, poteſtatem concedit, *Pneumatol.* ſect. III. Cap. VI. artic. 19. pag. m. 123. ita loquitur: *Etenim novas leges, prout libet, naturæ rerum præſcribere ejus ſolius eſt, qui ordinarias ſemel poſuit. Per ordinarias naturæ leges non poteſt ex. cauſſa cadaver in vitam rurſus vocari. Diſſoluta ſemel corporis humani compages nunquam reficitur, quod experientiâ conſtat. Igitur ſi homo mortuus ad vitam redeat, non poteſt hoc eſſe effectus legum naturæ ordinariarum, ſed tantum voluntatis extraordinariæ Legislatoris ſummi, qui omnia e nihilo eduxit.* Urgent *doctiſſimi Viri* ignorantiam noſtram circa potentiam Angelorum. Verum eſt, ignoramus, quousque ſeſe extendat potentia Angelorum; hoc tamen ſatis ſcimus, Angelos Creaturas eſſe certis limitibus circumſcriptas; per miraculum autem turbatur ordo a Deo inſtitutus. Hoc ab Angelis fieri poſſe, nulla adeſt ſatis perſpicua ratio: Aut enim *naturâ ſuâ* habent potentiam illam, aut *præter ordinem* hæc potentia illis à *Deo* conceditur; prius ſi dicamus, vel ex ratione vel perſpicua revelatione hoc probandum. Natura Angelorum rationi parum perſpecta eſt. Si revelationem, ex qua ſola tutò de iis loquimur, audiamus, multa quidem de iis dicuntur inſolita, nihil tamen, quod oſtendat, eos facultate ea inſtructos eſſe, ut mutare poſitas naturæ leges poſſint; dicuntur πνεύματα λειτουργικὰ, quorum omnis poteſtas abſolvitur obedientia, res à Deo mandatas perficiendi. Si poſſunt ſyſtema Planetarum ex. gr. mutare, cur non item mortuum in vitam revo-

care, quod tamen *J. Clericus* ſoli Deo adſcribit. Non aliam habemus juxta *Clericum* rationem credendi, mortuum in vitam revocatum potentia Dei, quam quia novas naturæ leges præſcribere *ejus ſolius* eſt, qui ordinarias ſemel poſuit; quod ſi igitur mutentur quacunque ratione & loco, conveniens eſt, ut Deo in ſolidum inuſitatum ejusmodi opus tribuamus; quod ſi Angelorum miniſterio Deus utitur, certe Angeli nonniſi inſtrumentum erunt in manu Dei, atque adeo Deo ſoli tribuenda illa potentia, niſi aliunde perſpicue probetur, eam eſſe naturam Angelorum, ut ſine viribus a Deo conceſſis, per ſe, inſtitutum ſemel ordinem mutare poſſint. Quod ſi bonis Angelis a Deo præter ordinem hæc poteſtas eſſet conceſſa, non tamen credibile, malos genios pariter inſigni hac facultate eſſe inſtructos. Si antequam lapſi ſunt, hoc munere a Deo ornati erant, vero quammaxime ſimile, beneficium hoc poſtea ipſis fuiſſe ademtum; neque enim digni erant, qui adeo ſingulari Dei favore fruerentur. Non convenire etiam videtur hæc potentia, miracula patrandi, cum Sapientia & Bonitate Numinis. Deus ſine dubio omnium optime ſcivit, malos illos genios cœleſtis doctrinæ acerrimos hoſtes futuros, atque in id omnibus viribus eniſuros, ut divinæ Providentiæ ſanctiſſima molimina eluderent; cur ergo ipſis dediſſet facultatem, optimos quosque & innocentiſſimos in ſummas difficultates conjiciendi? Verum eſt, teſtantur S. Literæ, Diabolum nocere poſſe generi humano; ac iis ſimul præſidiis munivit Deus pios contra

inſultus

inſultus ejus, ut nonniſi incauti & impii decipiantur: quod ſi vero, miracula patrandi, facultate eſſet ornatus, non ſemel & quidem ineluctabiliter circumveniret eos, qui quam maxime cavent, ne decipiantur. Si attendamus ad ea, quæ experientia docet, videbimus Diabolum iis occaſionibus, quibus quam maxime ſua interfuit, ne miracula a Deo edita admitterentur, nulla tamen feciſſe portenta, quod tamen eum facturum fuiſſe, ſi quidem hac potentia inſtructus fuiſſet, quis dubitet? Cum inſignia Deus olim prodigia per Moſen & ſanctiſſimum Salvatorem noſtrum faceret, hominesque editis hisce miraculis ad cœleſtem ſapientiam admittendam induceret, nullum in contrarium editum a Diabolo miraculum legimus. Quis autem credat, callidiſſimum hoſtem occaſiones nocendi prætermiſſurum, cum videret hæc miracula conatibus ſuis inſignem cladem allatura? De Magorum prodigiis, ad quæ provocari ſolet, mox aliquid dicemus. Atque hæc noſtra ſententia magis confirmatur, ſi, quod *ſecundò loco* notandum, obſervemus, *S. Literas Deo ubique κατ' ἐξοχὴν potentiam futura prædicendi, & miracula patrandi adſcribere*, vide Pſalm. LXXII. 18. LXXXVI. 10. CXXXVI. 4. Hinc etiam miracula, a *Moſe* & *Chriſto* patrata, dicuntur eum in finem facta, ut *gloria divina* ex illis manifeſtaretur, Deut. IV. 32. 35. Joh. II. 11. XI. 40. XVII. 22. ut alia loca, quæ congeſſerunt Viri ſupra laudati, omittam. Nimirum ex miraculis cumprimis elucet omnipotentia divina, & gloria ſoli Deo debita. Ad hanc

igitur

igitur, tanquam certiſſimum argumentum originis divinæ miraculorum, provocat Deus; quod ſi autem infernalis genius miracula patrare poteſt, concludendum, aut Diabolum etiam eſſe omnipotentem, aut miraculum non eſſe divinæ omnipotentiæ certum argumentum. Poſtremum autem hoc totidem verbis aſſerit Deus in locis citatis, unde inferre licet, Diabolum non eſſe omnipotentem, neque adeo miracula facere poſſe. At ais: omnipotens ille demum eſt, qui facere poteſt quicquid poſſibile eſt, non tantum miracula; quod ſi vero Diabolus miracula facere poteſt, quid impedit, quo minus aſſeramus, eum omnia poſſibilia facere poſſe? ſi baculum in ſerpentem mutare poteſt, cur non poſſet rei non exiſtenti exiſtentiam dare? Sufficit nobis, quod in citatis locis clariſſime dicatur, per miracula divinam potentiam manifeſtari; quod certe aſſeri non poſſet, ſi eadem facultate inſtructus eſſet Diabolus. Clarius adhuc de hoc argumento loquitur Chriſtus Joh. X. 38. *Si mihi*, inquit, *non creditis*, *credite operibus meis*; quibus verbis Chriſtus nil aliud dicere voluit, quam hoc: Si absque præjudicatis opinionibus doctrinam, quam hactenus publice & privatim annunciavi, examinatis, fateamini neceſſe eſt, eam divinam eſſe & cœleſtem; quod ſi tamen nondum a vobis impetrare poteſtis, ut illi fidem adhibeatis, ſi etiamnum nondum ſatis perſpicuæ videntur rationes, quibus inducti credatis me a Deo miſſum, agite aliud adeſt, quod omnem vobis ſcrupulum adimere poteſt, contemplamini miracula mea, quæ quotidie vobis omnibus inſpectan-

ſpectantibus edere ſoleo; hæc efficient, ut non poſſitis non credere, doctrinam meam a Deo eſſe. Perſpicuum ſane ex hoc loco eſt, Chriſtum pro certo & indubitato habere, miracula a Deo ſolo præſtari poſſe, aliâs enim ratiocinatio Chriſti certo fundamento videretur deſtituta. Quod ſi enim Judæi dixiſſent: fruſtra provocas ad miracula tua; non minus enim Diabolus, quàm Deus portenta edere ſolet; unde igitur nos judicabimus, utrum miracula tua ſint a Deo, nec ne? Fateor, Chriſtum ad ſanctitatem doctrinæ ſuæ provocare potuiſſe, neque enim Diabolus miracula faciet, ſi poteſt, ad ſanctiſſimam diſciplinam confirmandam; at tum miraculum ex doctrina eſſet probandum; hîc autem Chriſtus provocat ad miraculum ſolùm, ſupponitque, eum, qui talia miracula facit, a Deo eſſe. 3. Vix concipi poteſt, quomodo Pharifæi, ſtante hypotheſi diſſentientium, peccatum in Spiritum Sanctum, id eſt, tale, quod omnem veniæ ſpem excludat, committere præ cœteris potuerint. Peccatum hoc in eo conſtitit, quòd Phariſæi impudentiſſime aſſererent, miracula, quæ quotidie Chriſtum patrare videbant, infernalis genii ope fieri. Chriſtus, mitiſſimus aliâs Salvator, ad atrociſſimam hanc calumniam reſpondet, peccatum hoc ex eorum numero eſſe, quod veniæ omnis expers ſit. Quod ſi jam ſupponas, Deum ſolum miracula patrare poſſe, eundemque iis uſum, ad cœleſtem doctrinam, quam Chriſtus annuntiabat, patet, nihil deteſtabilius & execrabilius excogitari poſſe hâc calumniâ Phariſæorum, neque

adeo

adeo mirum homines profligatiſſimæ malitiæ ſine ſpe veniæ orco fuiſſe addictos. Pone autem verum eſſe, quod diſſentientes volunt, non quidem culpâ vacui ſunt Phariſæi; at ita tamen crimen eorum minuitur, ut vix concipi poſſit, qua ratione graviſſima illa pœna affici potuerint. Fateor, potuiſſe Phariſæos ex ſolius diſciplinæ Chriſtianæ indole convinci, Religionem a Chriſto traditam Deum habere Auctorem; nemo tamen ab altera parte neſcit, quid præjudicatæ opiniones valeant, quantamque vim habeant in animos hominum. Cumprimis notum, revelationem poſt exceſſum Prophetarum traditionibus turpiter fuiſſe obſcuratam; notum, quantum legibus ceremonialibus tribuerint Judæi, & quàm parum cognitum habuerint verum ſcopum legis; quot falſæ opiniones de Meſſia in animis eorum radices egerint &c. Quod ſi addas, Diabolum ipſum miracula patrare poſſe; facile concipi poteſt, quomodo homines illi ſine extrema malitia in errore hoc verſari potuerint; certe omnis eorum error in eo poſitus eſſet, quod admittere noluerint doctrinam Chriſti de cœlo eſſe delatam; qui error non ſolum Phariſæis, ſed cœteris omnibus, qui Chriſti doctrinam reſpuebant, imputari poteſt: at ex graviſſima pœna, quam optimus Servator ipſis intentat, apparet, eos errorem admittere, qui non ſolum eſſet graviſſimus, ſed & certiſſimis principiis & conſcientiæ eorum contrarius. Talis autem non eſſet, ſaltem non tam gravis, ſi certum eſſet atque exploratum, Diabolum æque ac Deum miracula patrare poſſe. 4. *Per hanc ſententiam*

tentiam homines, cumprimis ſimpliciores, in quorum tamen gratiam miracula olim quammaxime facta ſunt, non ſolum in ſummas dubitationes conjiciuntur, ſed & omnis fere miraculorum uſus tollitur. Nemo ignorat, non adeo facile eſſe, ſimplicioribus cumprimis, judicare, utrum propoſitiones quædam à Deo nobis revelatæ ſint, nec ne. Poſcitur hic animus non ſolum a præjudicatis opinionibus liber, ſed & attentus quammaxime & veritatis amans: requiritur, ut genuina Theologiæ Nat. principia rite intelligantur, atque characteres revelationis divinæ ab impoſturis probe discernantur; ad hoc autem examen inſtituendum pauci e plebe apti ſunt, ea vero quæ in ſenſus oculosque incurrunt, non minus perſpicue intelligunt quàm eruditi: Quando igitur iis offertur nova aliqua doctrina, quæ pro revelatione divina venditatur, tenentur illam diligenti examini ſubmittere, decreta ipſius ad notiones de Numinis perfectionibus atque voluntate, quatenus rationi hæc innoteſcere ſolent, exigere. Quis autem neſcit, quàm debilis ſit illa cognitio de Numine, ſolius rationis ope acquiſita? Pauci omni tempore fuerunt, qui ſola meditatione adjuti, vel mediocrem Theologiæ naturalis cognitionem ſunt conſecuti. Certe illi, qui noſtro & patrum noſtrorum memoria Religionis Chriſtianæ ſemina inter Paganos ſparſerunt, incredibilem diligentiam adhibere debuerunt, ut veras de Numine notiones miſeris hominibus prius traderent, atque ineptas ſententias ex animis evellerent, quàm Religionis Chriſtianæ decreta cum

fructu expli are & probare potuerunt. Perquam igitur captu difficile eſt, quomodo homines, quibus & ingenium & tempus deeſt, ad accuratum examen inſtituendum, audita nova revelatione, album calculum illi adjicere ſine dubitatione poſſint. Fac autem, eosdem credere Deum omnipotentem ſolum naturæ leges mutare poſſe, atque eum, qui ad novæ alicujus doctrinæ divinam originem provocat, in gratiam illius multa edere prodigia, qualia ab homine fieri nulla arte poſſint, atque hoc fieri eo temporis articulo, quo id ſe præſtiturum ait, dubium non eſt, quin inſolitum opus mentem ita ſit perculſurum, ut firmiter ſibi perſuadeant, fieri aliter non poſſe, quin Deus hac ratione homini fidem conciliare, dictaque ejus confirmare velit. Pone jam ab altera parte Agyrtam vel Magum adeſſe, qui Dæmonis ope miracula miraculis opponat, atque hæc fieri ad ſuperſtitionis, quam cum lacte materno hauſerant, veritatem confirmandam, conteſtetur, facilè patet quæ tenebræ in animis hominum orituræ ſint. Dubitare incipient de certitudine propoſitionum natura notarum, de cauſſæ omnipotentis unitate, de divinæ miſſionis veritate. Ex miraculis certè ab utraque parte factis nil firmiter concludi poſſe ſibi perſuadebunt. Quòd ſi Diabolus talia portenta quidem non edat, ſufficit, ſi homines illi firmiter ſibi perſuadeant, verum eſſe, Diabolum non minus quàm Deum veri nominis portenta facere poſſe. Ut, quàm verum ſit, quod dicimus, evidentius pateat, ſumamus exemplum ex Sacris Litteris. Notum eſt, Deum olim

olim per Moſen plurima in deſerto feciſſe miracula. Omnes, quotquot veritatem Religionis Chriſtianæ probarunt, inter alia dicere ſolent, cultum Moſaicum præceptaque ceremonialia ita comparata eſſe, ut vix credi poſſit, Iſraelitas Moſi fidem habituros; niſi perſuaſi fuiſſent, Deum in gratiam ipſius miracula feciſſe. Cauſſa in promtu eſt: præcepta illa de cultu ceremoniali non ſolum prima fronte videntur rationi minus convenientia, Deoque indigna, ſed & præſtitu erant quam maxime difficilia. Accedit, quòd Iſraelitæ haud ignorarent, Ægyptios etiam magno cæremoniarum apparatu inſtructos. Fac igitur Iſraelitas credidiſſe, Deum pariter & malos genios vera miracula patrare poſſe; ſanè tum ex ipſis miraculis Moſis non potuiſſent colligere, Deum eſſe auctorem præceptionum a Moſe traditarum. Quid ſi enim Moſi regeſſiſſent, dubium eſſe utrum Deus auctor ſit illorum portentorum? regeris, Moſen potuiſſe provocare ad ſcopum miraculorum ſuorum, aſſerendo, ea fieri ad unius Numinis cultum probandum; at, inquam ego, quærebatur, utrum omnes præceptiones, a Moſe traditæ, eſſent a Deo. De hoc potuerunt Iſraelitæ dubitare. Probandum igitur Deum velle, ut omnis ille apparatus legum pro divino habeatur. Ex ipſius cultus natura difficile erat Judæis perſuadere; reſtabat ergo, ut miraculo cæremoniarum illarum neceſſitas probaretur. At ſi miracula ipſa a Diabolo fieri poſſunt, ex ipſis miraculis editis a Moſe firmiter concludi non potuiſſet, Deum eſſe auctorem cultus Moſaici; atque ita denuò

Digitized by Google

ad naturam cultus Deo digni explicandam retrogredi debuiſſent Iſraëlitæ. Si vero Moſes dixiſſet, Deum ſolum miracula patrare poſſe, atque etiam hoc ſibi perſuaſiſſent Iſraëlitæ; facile patet, qua ratione portenta illa dubiis illorum ſatisfacere potuerint. Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, ſimul patet, uſum miraculorum ex ſententia diſſentientium, aut prorſus tolli, aut exiguum valde eſſe. Miracula enim fiunt, aut ad convincendos eos, qui doctrinæ cœleſtis originem negant, aut eos, qui de divina origine adhuc dubitant, aut tandem ad confirmandos eos, qui jam perſuaſi ſunt. Ut a poſtremis incipiamus, vix credibile, Deum miraculum facere in gratiam ejus, qui de divina origine cœleſtis Sapientiæ non dubitat. At pone tamen Deum hoc facere, ut per ſenſus ipſos fides ejus reddatur firmior; facilè quidem ex noſtra ſententia concipi poteſt, quale pondus addatur perſuaſioni animo conceptæ. Quamprimum autem ponis, Diabolum facultate miracula patrandi inſtructum, cauſſam non vides cur miraculum adſit. Cum enim miraculum a duabus cauſſis ſibi invicem prorſus oppoſitis fiat, ad dirimendam litem, res ipſa, id eſt, doctrina, eſt introſpicienda. Si quis *dubitat* de divina doctrinæ alicujus origine, dum dubitat, tutò affirmare non poteſt, eam Deum habere auctorem. Miraculum autem, ſi quod accedat, dubitationem eximere non poteſt. Cum adhucdum ſub judice lis ſit, utrum miraculum ſignum ſit veritatis alicujus doctrinæ, ad doctrinam ipſam recurrere non poteſt; dubitat

enim

enim utrum Deum habeat auctorem, nec ne. Eum tandem, qui doctrinam aliquam prorſus repudiat, non magis miraculum juvat, quàm res, quæ admittenda & pro divina habenda eſſet. Unde mea opinione ſequitur, certitudinem & utilitatem verorum miraculorum non parum labefactari per eorum ſententiam, qui tuentur, malos genios inſigni hac facultate inſtructos eſſe. Scio, diſſentientes, ut ſuam probent ſententiam, ad quædam loca Sacrarum Litterarum provocare. Animus non eſt, ſingula excutere, quod integri voluminis res eſſet. Lubet unam tantùm hîc tangere difficultatem, quæ non ſine ſpecie veri objicitur. Nimirum opponunt nobis portenta Magorum, olim coram Pharaone rege Ægypti præſtita. Urſit hanc difficultatem quam maxime *celeberrimus Clericus*, ad Exod. Rationes ipſius examinarunt Viri ſupra laudati; cumprimis in difficultate hac ſolvenda prolixus eſt Sercius, inde a pag. 157. ad 197. vidi autem nuper duos *Viros eruditiſſimos*, *Schukfort Anglum* in *Harm. Script. ſacrorum & profanor.* pag. 295. & *J. Th. Canzium*, *Juriſprud. Theol.* pag. 174. ſeq. eandem ſententiam propugnare, atque contendere, veri nominis miracula fuiſſe opera Magorum, ita tamen, ut *Schukfortius* Deum, *Canzius* autem Diabolum eorum auctorem eſſe aſſerant. Nos ſummatim quædam adnotabimus, & 1. quidem velim obſervari, nondum ſatis conſtare, quid per illos חכמים, מכשפים, חרטמים intelligatur, quod ex diverſis eruditorum interpretationibus conſtat. Quicquid ſit, certum, Theologiam Sacerdotum

Ægyptiorum potiùs impoſturas & difficiles nugas, quàm veri nominis Sapientiam, aut facultatem inſolita miracula patrandi, fuiſſe. Hinc auctori quæſtionum ad Orthodoxos, quæ Juſtini M. operibus additæ, Sapientia Ægyptiorum vocatur *σοφια διδασκυσα τα της πλανης διδαγματα*. Atque hæc videtur fuiſſe cauſſa, cur Moſes ſtupendorum Dei miraculorum mentionem faciens, pluribus non ediſſeruerit, quæ natura eſſet operum à Magis editorum. Nullus enim dubito, quin Moſes æquè ac ſapientiores ex Iſraëlitis pulchrè cognoverit, in quo hominum illorum artes conſiſterent. At inquiunt *Viri docti*, non quæritur de titulis & arte illorum hominum, quæritur utrùm veri nominis miracula ediderint; hoc autem verum eſſe vel ex eo patere videtur, quòd Moſes clariſſimis verbis teſtetur, quòd Magi illi virgas ſuas in ſerpentes converterint; quòd aquas in ſanguinem commutaverint, quòd tandem ranæ ad ipſorum nutum adductæ fuerint. Reſpondeo ergo 2. loco, veriſimile prorſus non eſſe, hæc portenta vel *Deo*, vel *Diabolo* eſſe adſcribenda. Deo tribui non poſſe, ipſe concedit *eruditiſſimus Canzius*. Neque enim talis actio vel cum ſapientia, vel cum bonitate Dei conſiſtere poſſet. At eadem ratio ſuadet, ut credam ea Diaboli opera non eſſe facta. Cur enim Optimum Numen permiſiſſet, ut eo tempore, quo infinita ipſius potentia quammaximè erat demonſtranda, Diabolus conatus ipſius ſufflaminaret, atque homines in ſuſpicionem adduceret, Moſen æquè ac Magos vel impoſtores eſſe, vel eâdem potentiâ miracula

patrandi

patrandi inſtructos? cogitemus in quas difficultates conjectus fuiſſet ipſe Pharao, & alii multi, qui hæc coram oculis videbant. 3. Si vera miracula præſtiterunt *Magi*, ope mali cujusdam genii, quæ tandem cauſſa eſt, cur pediculos cæteraque à Moſe præſtita efficere non potuerint? an majus miraculum eſt pediculos facere, quàm baculum in ſerpentem vivum mutare? certè ſi Diabolus adeo ſapiens, adeo potens eſt, uti Viri docti contendunt, cauſſam non video, cur hac occaſione potentiam ſuam non demonſtraſſet. Ipſe cl. *Clericus* difficultatem hic probè obſervans ad v. 18. ait, *non potuerunt* (pediculos facere) *Deo nempe impediente, ne Cacodæmones, qui Magis potentiam ſuam accommodabant, idem facerent; ſeu quòd hoc vires eorum ſuperaret, de quibus nihil nobis eſt exploratum. Sed prius veriſimilius videtur, quia hoc difficilius iis, quæ imitati ſunt Magi, fuiſſe nemo dixerit.* At ego inquam, eadem ratio, quæ Deum impellere debuit, ut impediret, quò minùs Diabolus pediculos facere poſſet, obſtare debuit, quò minùs permitteret, ut ullum verum miraculum faceret. Cur enim Deus tum demum ſufflaminaſſet potentiâ ſuâ conatus Diaboli, poſtquam veris editis miraculis, multorum animos dubios reddiderat atque ſuſpenſos? Facile eſt colligere, quæ ſuſpiciones in animis Pharaonis & ſpectantium orituræ fuiſſent. Accedit 4to, quòd, ſi verbis, uti contendunt Viri docti, tam pertinaciter eſt inhærendum, tum dicendum, Diabolum aliquando fuiſſe ipſo Deo ſuperiorem: Moſes, ſive Deus potiùs per

Moſen, omnem aquam Ægypti in ſanguinem convertit: idem feciſſe dicuntur Magi, id eſt, debuerunt priùs omnem ſanguinem in aquam mutare, & hoc demum facto eandem convertere in ſanguinem; quòd ſi hoc Diaboli operâ factum, credere debuerunt & Pharao & alii ex Ægyptiis, quemadmodum Moſes in hoc vel illo portento edendo fortè ſuperet ſuos Magos, ita eosdem in aliis excellere non minùs inſolitis & ſtupendis operationibus. 5to, apertè *Moſes* teſtatur, eos ſic feciſſe בלהטיהם, id eſt, demurmuratione carminum quorumdam, aut verborum: hoc impoſtores omni tempore facere ſolebant, perſuadentes credulæ plebi, certis verbis incredibilem ineſſe vim. 6to. Neque tantopere urgenda eſſe videntur verba ויעשוכן: certè, dum de pediculis ſermo eſt, nonniſi conatum poteſt ſignificare, imo ampliùs dico, nonniſi ſimilitudinem aliquam actionis poteſt denotare, quemadmodùm Græcorum ὡς ; ὥσπερ. Videatur *Glaſſius.* Moſes inſuper non omnes rei geſtæ circumſtantias narrat: videtur inter miracula Moſis & Magorum ſemper temporis aliquod interceſſiſſe intervallum, quo durante Magi artis ſuæ experimentum facere potuerunt. 7mo. Verba illa Magorum: *Hic eſt digitus Dei*, ſatis apertè oſtendunt, opera per Moſen præſtita divinæ potentiæ indubia eſſe ſpecimina, quæ imitari mortalium non ſit. Quòd ſi tandem provocas ad Pharaonem ipſum, qui adeo pertinaciter reluctatus fuerit petitioni Moſis, atque contendas, eum, ſi quidem impoſturas animadvertiſſet, tam diu repugnaturum non fore; duo reſpon-

reſpondeo. Primum eſt, Regem ipſum quidem haud ignoraſſe, Magos ſibi & aliis illudere velle; at obſtabat maxima horum hominum auctoritas, quominùs eos offenderet. Periculoſum erat, diſciplinam arcanam prodere. Plut. de Iſid. & Oſirid. pag. 354. ait: Quando Rex aliquis à militibus creabatur, is ſtatim Sacerdotibus ſe dabat, ut particeps fieret της Φιλοσοφιας ἐπικεκρυμμενης τα πολλα μυθοις και λογοις, ἀμυδρας ἐμφασεις της ἀληθειας και διαφασεις ἐχουσιν, i. e. *iſtius Philoſophiæ, quæ occultat pleraque fabulis & ſermonibus, veritatis ſubobſcura indicia & argumenta habentibus.* 2. Accedebant rationes politicæ. Tot millia enim hominum operâ manuum ſuarum ad ſplendorem & utilitatem regni non parum conferre potuerunt, & contulerunt ipſo opere. Neque dubium eſt, quin exiſtumarit, periculoſam & inſidiis plenam eſſe petitionem Moſis, ut alia taceam, quæ obfirmare animum Pharaonis potuerunt. Atque hæc ſufficiant de portentis Magorum, quæ eum tantùm in finem protuli, ut mea de auctore miraculorum conſtaret ſententiâ. In progreſſu hujus libelli ſupponemus aliquando, malos genios vera miracula edidiſſe; at ſimul oſtendemus, nil quicquam lucrari eos, quibuscum in hoc libello nobis res eſt. (*)

(*) De portentis Magorum in Ægypto editis, vide ſingularem & pereruditam diſſertationem celeb. Heumanni; & confer, quæ de hoc argumento in noſtris, de Cauſſis incredulitatis, diſſertationibus adjecimus. Noluimus in hoc libello datâ operâ agere de miraculis & eorum origine: monendum tamen erat aliquid, propter ea, quæ in ſequentibus neceſſariò de hoc argumento dicenda erant.

CAPUT III.

Præcipua Pythagoræ & Apollonii miracula enarrantur. (*)

POſtquam paucis ſententiam noſtram de origine miraculorum explicuimus, tempus eſt, ut ad miracula illa, quæ Pythagoræ cæteriſque, de quibus nos acturos eſſe in libelli titulo promiſimus, tribui ſolent, accedamus, & propiùs paulò inſpiciamus. Hoc capite ſine ulteriore examine enarrabimus Pythagoræ & Apollonii edita (ſi Diis placet) portenta. In ſequentibus de auctoritate eorum & teſtium valore judicaturi. *Jamblichus de Pythagoræ Philoſophia* ita egregiè ſentit, ut dictet, eam *ad brutorum* quoquè *inſtitutionem* ſeſe extendere; Cap. XIII. de Vita Pythagoræ, Edit. Küſteri, ait: *Nam Dauniam Urſam, graviſſimè incolas infeſtantem Pythagoras detinuit, ut ajunt NB. & ſatis diu manu demulcivit, offaque & fructibus arboreis refocillatam & jurejurando adactam, ne viventia ampliùs attingeret, dimiſit; illa verò ſtatim in montes & ſylvas ſe abdidit, & in poſterùm non eſt viſa in ullum pecus feramque irruere.*

(*) De vita, doctrina, moribus & miraculis Pythagoræ & Apollonii fuſè egerunt Viri clariſſimi, Brukerus in Hiſtoria critica Philoſophiæ; Olearius in obſervationibus ad Philoſtratum; Schefferus de conſtitutione Philoſophiæ Italicæ; pluresque alii. Conferatur etiam disſertatio de Theologia Pythagoræ, Muſeo Helvetico illata.

ruere. Religioſum certè animal, nec monitoribus aſperum. Eodem capite aliud refert exemplum. *Cùm bovem Tarenti, inter paſcendum virides fabas promiſcuè edentem vidiſſet, bubulcum hortatus eſt, ut bovem fabis abſtinere juberet. At bubulcus irriſit eum* (num meritò difficilis quæſtio) *& ſe βοιςι bovatim loqui poſſe negavit: ſi verò ipſe ejus rei facultatem haberet ſuperfluum eſſe, quòd ſe hortetur, quin ipſe potiùs bovem officii admoneret; acceſſit igitur ad aurem bovis, multiſque diu inſuſſuratus, non ſolùm effecit, ut bos ille ſua ſponte ſtatim fabis abſtineret, verùm etiam poſthac fabas nunquam deguſtaret; dein longo tempore Tarenti vixit, propè Junonis templum, jam vetulus, Pythagoræ bos dictus, & ab obviis omnibus cibis humano victui aptis alebatur.* Veteres & recentiores hæſitarunt, quid fabarum abſtinentia ſibi voluerit Pythagoras; at *bos* hoc *pulchrè callet.* Adeo *diverſa* ſunt *ingenia* hominum & *animalium.* Sed audi tertium eodem capite recenſitum portentum: *Ad hæc Olympiæ, cùm fortè diſcipulis exponeret, quòd aves, omina, fulminumque oſtenta à Diis mitterentur veræ pietatis amantibus, ut interpretes, & quidam velut internuncii: aquilam ſupervolitantem è ſublimi deduxiſſe, manuque palpatam iterùm dimiſiſſe ferunt. His & aliis ſimilibus demonſtravit, ſe æquè ac Orpheum dominari in fera animalia, eaque manſuefacere, & vocis ore prolatæ virtute ſubigere.* Pag. 112. idem *Jamblichus: Sit igitur inter alia hoc ejus pietatis indicium, quod priùs commemoravimus: quòd ſcilicet animam ſuam, quænam eſſet, undeque in corpus veniſſet, &*

priora

priora vitæ actæ genera noverit, atque horum manifeſta, & clara documenta dederit. Poſthæc & illud, quòd Neſſum fluvium, aliquando multis diſcipulis comitatus, tranſiens, voce compellaverit, & flumen articulate clareque omnibus audientibus reſponderit: Salve Pythagora; *Deinde uno eodemque die Metaponti in Italia, & Tauromonii in Sicilia verſatum, eumque utriusque loci diſcipulis locutum eſſe, pene omnes affirmant; plurimis licet terrâ marique ſtadiis, & quæ nec multis diebus quis confecerit, interjectis.* Niſi aliunde conſtaret, quo tempore, & inter quos vixiſſet *Pythagoras*, crederem, ipſum *Transſubſtantiationem* admiſiſſe. At miraculorum nondum ſatis. *Jactatum autem eſt abundè* (ita pergit Jamblichus) *etiam vulgi ſermonibus, quòd Abaridi Hyperboreo, ipſum Apollini apud populares ſuos culto, cujus Sacerdos erat, aſſimilanti, ſemur aureum oſtenderit; ut confirmaret, quòd ſecundùm rei veritatem ſic de eo judicaſſet, minimeque in eo deceptus fuiſſet. Sunt & alia multa* (hæc enim non ſufficerent) *his diviniora magisque miranda, quæ uniformi conſonaque narratione de Viro traduntur; qualia ſunt terræ motus infallibiliter prædicti, peſtes celeriter depulſæ, ventorum violentorum grandinisque effuſiones absque mora ſedatæ, fluctus maris & fluminum placati, ut diſcipuli faciliùs tranſire poſſent;* quibus enarratis addit pag. 155. Καὶ ταυτα μεν ἐςω τεκμηρια της ἐυσεβειας ἀυτȣ. Plura tamen adhuc recenſet pag. 119. Similia de *Pythagora* refert *Jamblichus* de vita *Pythagoræ* pag. 30. ſeq. Edit. ejusdem *Küſteri*, quæ repetere nolumus.

Miracula

Miracula *Apollonii* cumprimis deſcripſit *Philoſtratus*, Scriptor *mendaciſſimus*. Pauca quædam adponemus, cùm in ſequentibus, ubi de ingenio *Philoſtrati*, cauſſisque, quæ ipſum ad ſcribendam ſuam Hiſtoriam induxerunt, agemus, ſatis patebit, quid de univerſa re ſentiendum ſit. Pag. 140. Edit. Olearii de *Apollonio* ita ait: *Oraculorum etiam de eo ferebantur effata, alia ex Oraculo Colophonio, ſuæ ſapientiæ participem eſſe Virum, vereque ſapere canentia, & alia ejus generis: alia ex Didymis, alia ex Pergameno templo: multos enim ſanitate opus habentes jubebat Deus ad Apollinem accedere, ita enim ſibi placere, fatisque videri.* Patet ex eo, quàm *fidi teſtes* adſint, quibus eam, quâ floruit, nominis celebritatem, debet. Scilicèt *aſinus aſinum ſolet fricare.* Lib. IV. Cap. X. pag. 147. mirum portentum narrat, de peſte Epheſios infeſtante. *Cùm peſtis* (ita interpres) *Epheſum invaſiſſet, nec ullum contra eam ſufficiens remedium inveniretur, Legatos ad Apollonium miſerunt, medicum mali eum eſſe cupientes. Ipſe verò, non differendum eſſe iter, eſt arbitratus, verùm eamus, inquiens, ſtatim Epheſi fuit. Pythagoræ, ut puto, imitatus opus, qui apud Thurios Metapontinosque ſimul præſens fuit. Convocatis itaque Epheſiis: Bono animo eſtote, inquit, hodiè morbum hunc ſiſtam. Hisque dictis omnis ætatis homines ad theatrum deduxit, ubi ſtatua averrunca nunc poſita eſt. Hic verò ſenex conſpectus fuit mendicans, qui arte quadam oculis connivebat, & peram geſtabat, inque ea panis fruſta, lacernis autem amiciebatur & facie erat ſqualida. Juſſis*-

que

que Epheſiis, ut eum circumquaque circumcingerent, iſtum, inquit, petite Diis inviſum, lapides quàm plurimos congerentes. Admirantibus autem Epheſiis ejus dicta, & inhumanum cenſentibus peregrinum occidere, tam miſera conditione qui eſſet, (ſuppliciter orabat enim, multaque ad miſericordiam movendam proferebat) inſtitit Apollonius, Epheſios hortando, ut incumberent neque eum dimitterent. Cumque jam aliqui ejus rei initium facerent, illeque, qui priùs connivere etiam oculis videbatur, reſpiceret acriter & igne plenos oculos monſtraret, Epheſii Dæmonem eſſe agnovere, tantoque ſtudio ipſum lapidarunt, ut magnum lapidum cumulum ſuper ipſum coacervarent. Aliquâ autem interjectâ morâ Apollonius auferri lapides juſſit, & feram, quam interfeciſſent, cognoſcere. Cumque detectus eſſet, quem lapidicus ſe petiiſſe putabant, ipſe quidem evanuerat, canis verò, formâ Moloſſo ſimilis, magnitudine autem maximo Leoni, lapidibus obtritus apparuit, ſpumam deſpuens, ſicuti rabidi canes. Quin hoc *portentum* ſit longè *portentoſiſſimum* nemo diffitebitur. Salſè hoc ridet Euſebius contra Hieroclem pag. 449. Apud Philoſtrat. Edit. Olearii pag. 186. miraculum refertur, quod, *quem in finem* narretur, *nemo non videt. Puella*, inquit, *nubili ætate*, τεθνάναι ἔδοξει, *mori eſt viſa, feretrumque ſponſus ſequebatur, ut par eſt, nuptiis imperfectis, ejulans. Univerſa verò ſimul Roma plorabat, ex conſulari enim familia erat puella. Interveniens igitur luctui Apollonius, ponite, dixit, feretrum, ego enim vobis finem lachrymarum, quibus puellam proſequimini, afferam:*

ſimulque

ſimulque quodnam puellæ nomen eſſet, interrogavit. Plerique igitur illum ſermonem prolaturum putabant, quales ſunt epicedii, & ad luctum excitandum compoſiti. Ipſe verò nihil aliud faciens, quàm ut attrectaret puellam, atque ſecreto aliquid admurmuraret, virginem ab ea, qua oppreſſa videbatur, morte excitavit. Statimque vocem puella edidit, & in paternam domum reverſa eſt, ut quondam Alceſtis ab Hercule ad vitam revocata. Cumque puellæ parentes centum & quinquaginta mille drachmas Apollonio donarent, ſe dotem eas puellæ donare viciſſim dixit: Addit Philoſtratus: *Utrùm verò ſcintillam animæ in ipſa invenerit, quæ Medicos latuerat, (dicitur enim pluiſſe tum Jupiter, ipſa verò vaporem facie exhalaſſe) utrùm extinctam animam refocillaverit atque reduxerit, difficile eſt judicare, non mihi ſolùm, verùm iis etiam, qui præſentes tum fuerunt.* En aliud ex mendaciis malè compoſitum portentum, Lib. VI. Cap. XLIIII. pag. 278. *Rabioſus canis in adoleſcentem invaſerat, morſuque in eum ſtatum adduxerat juvenem, ut quicquid canes faciunt, imitaretur. Latrabat enim & ejulabat, quatuorque incedebat pedibus, manibus ad diſcurrendum adhibitis. Cumque diem jam hoc morbo laboraret trigeſimam, ad eum Apollonius acceſſit, qui Tarſum paulò antè advenerat; præcepit igitur, ut canem, qui ejus rei cauſſa eſſet, ſibi quærerent. Illi verò neque ſe canem illum vidiſſe ajebant, extra munia enim invaſionem ejus ſuſtinuiſſe, dum ſeſe jaculando exerceret adoleſcens, neque ex ægroto reſciſcere ſe potuiſſe, qua forma canis fuerit, ut*

qui

qui ne ipſum ſe quidem ampliùs norit. Paulùm igitur cunctatus, o Dami, dixit, albus eſt canis, villoſus, moloſſus, Amphilochio ſimilis; ſtat autem tremebundus juxta fontem, eum nempe nomine appellabat, aquam enim & cupit & timet. Hunc mihi ad fluminis ripam, ubi palæſtræ ſunt, adducito, hoc tantum dicens, quòd à me citetur. Ductus igitur à Damide canis, ad Apollonii pedes procubuit, ut illi qui ſupplicant ad altaria ſolent, ejulans. Illum autem ipſe magis adhuc tractabilem reddebat, manibusque demulcebat, adoleſcentem autem propè eum locabat, manu interea eum retinens. Ut ne verò lateret populum magnum arcanum, commigravit, ajebat, anima Telephi Myſii in hunc puerum, taliaque in eum fata decreverunt. Hisceque dictis canem lambere morſum juſſit, ut idem medicus eſſet, qui vulneris antea auctor fuerat. Hinc ad patrem converſus eſt puer, matremque agnovit, æquales quoquè ſalutavit, & ex Cydno bibit: neque canis nullam habuit curam Apollonius, ſed illum quoquè votis fluvio factis, per eum traduxit. Is verò fluvium transgreſſus, in ripa conſiſtens, latratum edidit, quod rabioſi canes facere non conſueverunt, auresque reflectens caudam vibravit, convaluiſſe ſeſe ſentiens. Medicamentum namque rabiei eſt aqua, ſi eam ſuſtinere rabioſus audeat. Pag. 317. cùm in *vinculis* & *carcere* eſſet, per miraculum crus è compede eduxit, rurſusque præſente Damide inſeruit; pag. 370. narratur, *mortuo* jam *Apollonio*, inter quosdam diſputationem de mentis immortalitate ortam, eamque in *dubium* revocaſſe adoleſcentem quemdam; ſuper-

ſupervenisſe verò ſubitò *Apollonium*, atque rem maximi momenti confirmaſſe. *Prædictiones* Apollonii non minùs attentione dignæ. Lib. IV. Cap. XLIII. pag. 183. *Cùm aliquando*, inquit Philoſtratus, *Sol defeciſſet, & tonitru ſimul eſſet obortum, quod in Eclipſi minimè fieri videtur, oculis in cœlum ſublatis Apollonius:* Eveniet aliquid magnum, & non eveniet, *& conjectura quid ſibi vellet dictum, tum quidem aſſequi eis, qui præſentes erant, dictum, minimè licebat, triduo autem poſt Solis defectionem omnes intellexere oraculum. Cœnante enim Nerone fulgur in menſam incidens, calicem, quem manibus tenebat, trajecit, non longè ab ore remotum. Hoc ipſum igitur, quod tam propinquum fuerit fulmen feriendo ei, verbis magnum* aliquid fore & non fore, Apollonius *ſignificavit.* (*) Similis Prophetia pag. 162. *Cùm in Iſthmo eſſet, mare autem mugiret, circa Lechæum, iſta ajebat,* terræ cervix præſcindetur, vel potiùs non præſcindetur. *Hæc ipſa verò etiam verba præſagium continebant, paulò pòſt futuræ Iſthmi foſſionis, quam poſt ſeptem inde annos Nero eſt meditatus.* Hæc ſufficiant pro inſtituti ratione. Pergamus ad miracula *Franciſci, Dominici* & *Lojolæ*.

(*) Meritò in mentem cuivis hic venit illud Horatii, Serm. Lib. II. Satyra V.

O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit: aut non,
Divinare enim magnus mihi donat Apollo.

CAPUT IV.

De Miraculis Franciſci, Dominici & Lojolæ.

ANtequam miracula ipſa, quibus divinitùs, ſi vera eſt fabula, inſtructi fuère hi *Triumviri*, in medium proferamus, dicendum, ex quibus fontibus teſtimonia de editis miraculis hauſerimus. De *Franciſco Aſſiſio* primùm loquemur, quandoquidem is magnitudine rerum geſtarum cæteros ſuperat. Uſus ſum primò quidem *Hiſtoriâ vitæ & obitus Franciſci, ſcriptâ per S. Bonaventuram, Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem.* Liber editus *Antwerpiæ* 1507. apud Plantinianos, *recenſitus* & *Commentario illuſtratus* ab *Henrico Sedulio.* Præfixa eſt *imago Franciſci* cum inſcriptione: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu* Solis, *habentem ſignum Dei vivi*, Apoc. VII: 2. quam inſignem detorſionem *Sedulius* in Commentario ita illuſtrat: *Elogia in S. Franciſcum ab hac Evangeliſtæ prædictione ſum auſpicatus, quam de eo intelligendam probavi; quòd ſi quis neget, non laboro, non contendo. Sed tamen ſi conſideret animus liber, & à contentione vacuus, S. Bonaventuræ (cujus apud pios magnum nomen & auctoritas) verba diligenter inſpiciat; hunc Dei nuncium fuiſſe Franciſcum indubitabili fide colligimus, non valdè, niſi me fallit opinio, refragabitur.* Totum autem interpretationis fundamentum nititur revelatione Bonaventuræ facta his verbis: *Frater Bonaventura! figura illa litteraliter dicta eſt*

eſt de Beato Franciſco. Uſus ſum cumprimis libello, cui titulus: *Alcoranus Franciſcanorum, id eſt, Blaſphemiarum & Nugarum Lerna, de Stigmatiſato Idolo, quod Franciſcum vocant, ex libello Conformitatum.*

Verſiculus Franciſcanorum.

Franciſcus eſt in Cœlo.
Reſponſio.
Quis dubitat de illo?
Antiphona.
Totus Mundus.

Daventriæ,
Typis Johannis Columbii, 1651.

In fine libelli præfatio, *M. Lutheri* germanico libello præfixa, in linguam latinam translata, *Eraſmi* item *Alberi* de hoc libello monitum adjicitur. Contuli item librum, cui titulus: *Antiquitates Franciſcanæ*, ſeu *Speculum vitæ beati Franciſci & Sociorum ejus*, *Autoribus FF. Fabiano & Hugelino*, *& aliis Minoritis D. Franciſco coævis*, *caſtigatore autem & annotatore R. P. Fr. Philippo Boſquiero*, *Cæſarimontano*, *ejusdem Ordinis Provinciæ Flandriæ. Coloniæ Agrippinæ* 1623. Ad manus etiam fuit *Antonini*, *Epiſcopi Florentini*, *Hiſtoria*, in qua *Dominici* pariter & *Franciſci* miracula enarrantur. Tandem multa huc facientia ſuppeditavit Viri cl. *Eliæ Ehingeri Theſaurus Antiquitatum.* Cùm autem animum ad enarranda miracula *Franciſci*

 induco,

induco, unde incipiam, ubi deſinam, vix habeo; tanta enim eſt copia, ut numerum inire impoſſibile ferè ſit. Seligam igitur inter innumera quædam; in ſequentibus, ubi de ipſo tantùm Franciſco, miraculorumque fine agemus, plura ex citatis libris adjecturi. (*) Primo autem loco, ob rem maximè commemorabilem, mentio facienda *S. Stigmatum*, Franciſci corpori impreſſorum. Narrat enim *Alcoranus Franciſcanorum* & *Bonaventura* in vita *Franciſci*, *Franciſcum* Petri Benardonis filium, *in ecſtaſi cum Chriſto commiſſum atque compoſitum, totidem plagis ac ſtigmatibus, iisdemque in locis, à Chriſto compunctum fuiſſe, quot Chriſtus in Cruce pendens affectus fuerat.* Ob eamque cauſſam eum appellari *Jeſum Typicum: hoc eſt, quaſi Jeſu crucifixi antitypum: ut quemadmodùm character in cera ſignum imprimit, ita Chriſtus ſua in Franciſci*

(*) Cel. Baumgarten in Bibliotheca Hallenſi Tom. VI. recenſens Martene Collectionem veterum ſcriptorum, pag. 128. multorum diplomatum, epiſtolarum, quorundam clauſtrorum mentionem faciens, ita ait: Worunter Sect. LXX. de Ordine fratrum minorum und ſanctiſſimo eorum Legislatore B. Franciſco, zu deſſen Ehren Papſt Sixtus IV. eine eigne Bulle ausgefertiget, die Seite 1382. vorkömmt, worin ihm das Privilegium gegeben wird, ausſchlieſſungs-weiſe cum factis ſtigmatibus gemahlet zu werden; auch daſs niemand predigen ſolle, daſs ein anderer Heiliger ſolche göttliche Stigmata und Wunden auſſer ihm noch bekommen habe. Die Bulle iſt 1475. ausgefertigt; hat ſich alſo ohne Zweifel auf das Buch de Conformitate Franciſci gegründet, ſo ſchon 1385. zuſammengetragen worden.

Franciſci corpore vulnera impreſſerit; quemadmodùm Jeſus Chriſtus eſt imago Patris, ita Franciſcus ſit imago Chriſti; denique, ut Chriſtus in Franciſci corpore tanquam imago in ſpeculo appareat; unde illud in ejusdem libri fronte Carmen:

Franciſce, Jeſu Typice, dux normaque Minorum,
Sedes nobis perpetuè da regni cœlorum.

Jam verò, ut quilibet ſciat, cujusmodi illa ſtigmatiſatio fuerit, ipſa *Sedulii* verba, *Bonaventuræ* adjecta, adponam: *Miracula*, inquit, *horum vulnerum & clavorum breviter colligam ex auctoribus bonis, majorem ut faciant ſui admirabilitatem: in margine citat S. Bonav. Cap. XIII. & XV. Bapt. Piſani Conformit. fruct.* 31. *S. Bernhardi quadrageſ.* 60. *Robert. Lucii Serm. de S. Franciſco. Itaque primum ſit illud. Vulnera fuêre in medio manuum, in medio pedum, nec ſicca ſolum; ſanguine ſemper ſtillarunt, atque id quidem aſſertum eſt ſatis. Nec exigua ea aut parva, ſed velut magnis perfoſſa clavis, qualibus rei in crucem ſuffigi ſolent.* 2. *Alterum in medio vulnerum clavi infixi, quod etiam patet ex proximè citato loco S. Bonaventuræ.* 3. *Nec illi ferrei ſed ferreis ſimiles, nigri, duri, fortes, ſolidi, capitati, cuſpidati, quorum materia (ſuffragante D. Alexandro IV. Summo Pontifice) de ſubjecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit.* 4. *Clavi illi ſolius manibus Chriſti fabrefacti, qui formâ crucifixi Seraph videndum ſe præbuit. In Elogiis etiam ex S. Bernhardino commonſtravi.* 5. *Etiam hoc obſervavit Barthol. Piſanus, non ſimpliciter cuſpides*

illas reflexas, ſed tanto ſpatio, ut inter cuſpides & pellem digitus commodè potuerit immitti. 6. Moveri poterant clavi iſti huc illuc, in quamlibet partem, dum a parte qualibet premerentur, protinùs, quaſi nervi continui & duri ad partem oppoſitam reſultant. 7. Amoveri poterant, non extrahi. Sacrum Franciſci funus cùm efferretur, & unà ſpectantibus præberetur ſacratis illis Virginibus S. Claræ, propè à Monaſterio S. Franciſci commorantibus, S. Clara, qua pietate fuit in S. Patrem, clavum unum tentavit extrahere, non potuit. 8. Manus & pedes, quamvis vulnerati, & clavis confixi, tamen ſuo munere fungebantur; digiti mobiles, manus agiles ad opus, ad iter pedes. Sed tamen ſcribit S. Bonaventura, quoniam propter excreſcentes in pedibus clavos ambulare non poterat, faciebat corpus emortuum per civitates & caſtra circumvehi, ut ad crucem Chriſti ferendam cæteros animaret. 9. Nunquam adhibuit aliquod medicamentum ad iſta ſua vulnera ſanguinolenta; nec unquam putruerunt, aut putuerunt, imò teſte Roberto à Licio; quod miraculum auget, erant illæ plagæ odore fragrantiſſimæ. 10. Omnibus excellit, quòd hiantibus illis vulneribus, ſanguine perpetuùm manantibus, perfoſſo etiam latere, & aperto, ſummo dolore & cruciatu perenni ducere vitam potuit ampliùs toto biennio, ut rectè judicat Rob. à Licio, prodigium hoc commemorandum inter maxima miracula Dei. Hactenùs *Sedulius. De prodigioſiſſimo* hoc *Prodigio* infra judicabimus. In compendio ad marginem βιογραφίας, de miraculis mentionem facturus Bonaventura, dicit: *Breviter ergo S. Fran-*

S. Franciſcus cæcos illuminavit, & viſum reſtituit, ſanavit ſurdos, hernioſos, amentes, dæmoniacos, tacto ejus ſepulchro leproſos, ſanguinis fluxu laborantes, fractos pede, cruribus. Vota ipſi facientes à pœna liberantur, vineas facit indemnes & beſtias, jumenta cuſtodit, uberibus aridis lac dedit, puerum monſtroſum reſtituit valetudini & formæ naturali, paralyſin curat &c. Referemus unum atque alterum; pag. 11. ita *Bonaventura: Cùm cujusdam de comitatu Spoletano os pariter & maxillam morbus quidam horribilis depaſcendo corroderet, nec ſubveniri poſſet iidem aliquo medicinæ remedio, contigit, ut propter Sanctorum expoſcenda merita, Apoſtolorum viſitatis liminibus, de peregrinatione rediens Servo Dei occurreret, cumque præ devotione vellet ipſius oſculari veſtigia; vir humilis hoc non ferens, oſculari volenti pedes, oſculum oris dedit. Dum autem leproſorum ſervus Franciſcus, mirabili pietate illam plagam horribilem ore ſacro contingeret, omni fugato morbo, ſubitò æger ille ſanitatem recuperavit optatam*, pag. 21. Cùm in ſolitudine eſſet cum fratribus, panis de cœlo delapſus eſt, pag. 28. *Cùm capitulum generale* (ſtylo Bonaventuræ utor) *fratrum erat, nec adeo in capitulis provincialibus præſens eſſe poſſet, ſpiritu, imò aliquando corpore ſe viſendum exhibuit*, pag. 36. & 36. *Oculos ſuos Franciſcus cauterio tangi curat, nec tamen vim ignis ſentit;* ubi memorabile quammaximè, qua ratione ignem compeſcuerit: *allocutus eſt eum* (ita Bonaventura) *dicens: Mi frater ignis, præ cæteris rebus æmulandi decoris, virtuoſum, pulchrum ac utilem te creavit Altiſ-*

ſimus: eſto mihi hâc horâ propitius, eſto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo ſuaviter urentem valeam ſuſtinere. Oratione finita contra igne candeſcens ferreum inſtrumentum ſignum crucis edidit, ac deinde intrepidus conſiſtebat. Pag. 37. aquam puram in optimum vinum commutat. Pag. 60. miraculum in *Sue* editum narratur: *Hoſpitato* (ita Bonaventura) *quadam die Servo Dei apud Monaſterium S. Verecundi de Epiſcopatu Eugubii: Ovicula quædam agniculum peperit illa nocte; aderat ſus ferociſſima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morſu necavit. Hoc audito, pius Pater mira compaſſione commotus, & agni ſinè macula recordatus, lamentabatur, pro morte agniculi coram omnibus dicens: Heu me frater agnicule, animal innocens Chriſtum hominibus repræſentans! maledicta ſit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo vel beſtia. Mirabile dictu, ſtatim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exſolvens, ultricem tandem pertulit necem, projecta autem in vallem Monaſterii, ibique longo tempore jacens, in modum tabulæ deſiccatæ,* nulli *fuit eſca famelico.* Poſt mortem innumera etiam fecit miracula, quorum infra mentionem faciemus. Unum ex *Bonaventura* adferam, quod pag. 159. narratur: *In Caſtrochore Oſtienſis Diœceſis, vir quidam ſic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi, vel movere ſe poſſet; poſitus itaque in anguſtia vehementi & auxilio deſperatus humano, cœpit nocte quadam, ac ſi præſentem cerneret B. Franciſcum, talem coram eo aſſu-*

mere

nere materiam querulandi. Adjuva me S. Franciſce, recolens meum ſervitium & devotionem tibi impenſam. Nam in aſino meo te portavi. Sanctos pedes tuos & ſanctas manus tuas oſculatus ſum; ſemper tibi devotus, ſemper benevolus extiti, & ecce morior doloris hujus duriſſimo cruciatu. His pulſatus querelis, ſtatim adfuit beneficiorum memor & devotioni gratus, & vigilanti viro cum uno fratre apparuit, ad vocationem ejus ſe veniſſe dixit, & tuliſſe remedia ſanitatis, tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram Thau in ſe habebat, & fracto mox apoſtemate perfectam tribuit ſanitatem, & quod mirabilius eſt, ſacrum ſignum Thau, impreſſum ſuper locum ſanati ulceris, ad miraculi memoriam dereliquit. Proferemus alia infrà ex *Alcorano Franciſcanorum.* Pergimus ad *S. Dominicum:* Titulus βιογραφιας, quâ uſus ſum, ita ſonat: Idea Sanctitatis: Vorbild det Heiligkeit. Das iſt: Kurze Beſchreibung des wunderthätigen Lebens des Hochheiligen Patriarchen und Groſs-Vaters Dominici, Stifters und Urhebers des weit ausgebreiteten Prediger-Ordens, auch erſten Anfængers der Ertz-Bruderſchaft des allerheiligſten Roſen-Kranzes; gedruckt zu Augſpurg 1677. Auctor *Thomas Dillinger, Ordinis Prædicatorum;* liber dicatus *Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Imperatrici.* Uſus ſum hoc libello, quòd ad manus eſſet, antequàm Dominici vitam apud *Surium* evolviſſem. Quæ aliundè petita ſunt, ſuis quæque notabo locis. In præfatione ita judicat Auctor de Dominico: Deſſen Leben iſt eine

 Sonne

Sonne zu nennen, dieweilen er ein wunderthätiges Ebenbild Gottes, gleichſam von deſſen Hand ſelbſt ausgearbeitet, und mit ſo vielfältigen Strahlen einer ſeltſamen Tugend und Heiligkeit vor vielen andern Heiligen begnadet, ja geſtaltſam unter denen herrlicher, gleichwie die Sonne unter den Sternen anſehnlicher, von der allmächtigen Hande Gottes iſt an dem Firmament des Himmels geſezet worden. *Antonius, Epiſcopus Florentinus*, comparatione inter *Chriſtum* & *Dominicum* inſtituta, Hiſt. p. 187. ita *de miraculis Dominici* loquitur: 1. *Dominicus tres in urbe Roma reſuſcitavit, filium viduæ, quod Pontifici notum publicari noluit, ſed præ humilitate omninò Dominicus recuſavit. Architectum à fratribus conductum, & à muro ſuper eum diruto conquaſſatum: & Neapoleonem Cardinalem de foſſa nova nepotem, ex equo lapſum & totum dilaceratum. Satis credo & alios Dominicum ſuſcitaſſe, propter quod dicit in plurali Matth. XI. mortui reſurgent, ſcilicèt per me, cùm tamen adhuc nonniſi filiam Archiſynagogi redivivam feciſſe habeatur, ſecundùm Evangelia. Sic & B. Dominicus alios mortuos, etſi non ita notorios, vivificaſſe invenitur. Quid enim illos 40. peregrinos, qui in flumine magno, juxta Tholoſam, navigio ferebantur, cum navi ſubmerſa ſub aquis diu ſtetiſſent, ſacra oratione à B. Dominico ex aqua exierunt ſoſpites, niſi vita redditos exiſtimemus, vel in aquis ut piſces conſervatos? Deus bis famelicos pane multiplicato ſatiavit aquamque convertit in vinum. Dominicus bis*

panes

panes divinitùs fratribus procuravit Romæ & Bononiæ, deferentibus Angelis à pane cœleſti, unde & ſuaviſſimos. Segetem vacuam vino redundare fecit, & vice altera lympham in vinum ſuave convertit. 3. *Chriſtus febricitantem Simonis ſervum febri perfectè ſanavit & languidos multos. Dominicus mulierem quartanariam ex toto liberam reddidit.* 4. *Exigebantur dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Dominicus à dæmonibus vexatos in anima & corpore plurimos liberatos effecit.* 5. *Chriſtus immortalis effectus, bis januis clauſis ad diſcipulos intravit: Dominicus verò adhuc mortalis (quod mirabilius eſt) in Eccleſiam clauſam noctu ingreſſus eſt, ne fratres excitaret.* 6. *Dominus, poſtquàm tranſivit ex hoc mundo, innumerabiles homines ad viam veritatis attraxit. Dominicus quàmvis millia hæreticorum ab erroribus revocaſſet, tamen poſt tranſitum ejus multò plures. O ſpem miram, quam dediſti, (canit Eccleſia de beato Dominico) mortis hora te flentibus, dum poſt mortem promiſiſti, te profuturum fratribus.* 7. *Et ut perveniamus ad calcem, Dominus ait: Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra. Hæc poteſtas non parùm eſt communicata Dominico, cœleſtium, terreſtrium & inferorum. Nam angelos ſanctos in ſui miniſterium habebat, ſed & ipſi angeli accedentes in humana ſpecie ad fratres, panem & eſcam miniſtrabant eis: Si de elementis loquimur, vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis: quando ter libellus ejus doctrinæ in flammas traditus, ter exivit illæſus penitùs, libris adverſantium hæreticorum ſubitò combuſtis. Signo crucis*

obedit

obedit pluvia ex aëre copioſè deſcendens, dum neq gutta una eum itinerantem tangit, tota regione illo imbre inundata. Aqua fluminis, in quod libri ejus per ipſum transeuntis ceciderant, nec humectare valuit, ſed poſt dies à piſcatoribus loco piſcis de aquis extracti, illæſi & ſicci, ac ſi in capſa fuiſſent, ei ſunt reſtituti. Terra quoquè, quæ metalla continet, in pecunia ſibi neceſſaria non defecit. Nam cùm flumine quodam tranſito per naviculam, nauclerus naulum poſtularet à B. Dominico, illeque ut pauper ſe pecuniam non habere aſſeveraret, importuniusque nauclerus ille per cappam tenens naulum peteret, B. Dominicus oratione facta in terram aſpiciens, vidit pecuniam ſibi neceſſariam ibi jacentem, quâ illi oblatâ, ſe liberavit. Sed & (quod majus eſt) cùm quidam Clericus continere non poſſet, oſculata manu B. Dominici à Miſſa redeuntis, cum odore ſuavi tantus conſtitutus vigor in mentem ejus diffuſus eſt, ut poſtea facile contineret. Quid de infernalibus dicam? Certè ad nutum ejus dæmones contremiſcebant, nec imperium ejus recuſare valebant. Quod patet, quando apparentem ipſum in forma fratris ſecum duxit per conventus officinæ, ſcilicèt dormitorii, thori, refectorii, locutorii & poſteà capituli, & interrogavit de ſingulis locis, quid cum fratribus ibi lucraretur? Quæ omnia coactus eſt explicare. Hactenùs Epiſcopus ille. Fortè plus quàm ſatis hæc verba *Antonini* oſtendunt, quàm *nobilis* fuerit *Dominicus miraculorum gloriâ.* At juvat tamen ex βιογραφια unum atque alterum adjicere: Pag. 16. Als aber (ipſa germanica verba adponam, ne quid addidiſſe aut mutaſſe videar,)

videar) viel der Albigenſer noch verſtokter blieben, und nicht glauben wollten, wurde Dominicus nach langem Diſputieren, die Falſchheit der Ketzer zu entdeken und die Wahrheit an den Tag zu bringen, der Sachen mit ihnen eins: nemlich es ſolle bey dem Tempel Jovis ein Feuer angezündet, und ſeines, wie auch ihres Glaubens Büchlein darein geworffen werden, welches dann unter beyden unverlezt bliebe, deſſelben Glaube ſoll der rechte und wahrhafte ſeyn; in Beyſeyn derohalben einer groſſen Anzahl Volks warden beyde Büchlein in das Feuer geworffen, aber das ketzeriſche wurde alſobald zu Staub und Aſchen verbrennet, des Bekenners Chriſti Dominici Büchlein aber ſprang weit aus dem Feuer hindan, und ſolches zu dreyen mahlen, durch welches es ſeines Schreibers Heiligkeit und der Wahrheit Catholiſchen Glaubens ein gewaltiges Gezeugnis gegeben hat. *Confer Surium, p. 57.*

Pag. 52. Etliche Pilgram, 40. an der Zahl, wollten über den Fluſs; da gieng alles zu Grunde, alſo daſs nichts mehr von ihnen geſehen wurde. Da wendet er ſich zu dem Waſſerfluſs, und ſpricht mit groſſem Vertrauen zu Gott: Ich gebiete euch in dem Namen Gottes, daſs ihr alle an das Geſtad heraus kommet. O Wunder! auf die einige Stimme *Dominici* laſſen ſie ſich alle oben auf dem Waſſer ſehen, da kamen ihnen die andern

andern zu Hülf, und ziehen ſie alle friſch und geſund heraus, loben und rühmen die Gnade des Seligmachers, und ſeines herrlichen Bekenners *Dominici* unbeſchreibliche Verdienſte, *Surius pag. 59. pag. 51* Eine Frau *Bona* hatte zu dem Herrn *Dominico* ein beſonders Vertrauen, die laborierte an einem Krebs an der Bruſt, alſo daſs ſie voller Würmer worden; in ſolcher grauſamen Plage war ſie ſo geduldig, daſs ſie auch vielmahlen die Würmer, welche ausgefallen waren, wiederum aufgehebt, und an ihre Bruſt geſezet. Als nun der H. *Dominicus* ſie einsmal heimgeſucht, und ihren Bericht gehöret, auch mit dem Hochwürdigen Sacrament des Altars verſehen, fieng er an ſie zu tröſten, und begehrt hernach von ihr, ſie ſollte ihm den Schaden, welchen die Würmer verurſachten, weiſen; ſie thut ſolches, und der H. Mann ſihet mit groſſem Mitleiden die ganze Bruſt voll mit Würmern. Da ſprach er zu ihr: Ich bitte dich, du wolleſt mir einen von dieſen Würmern darreichen; ſie wollte aber nicht einwilligen, er verſpreche ihr dann ſolchen wieder zu zuſtellen; als er ihr ſolches verſprochen, gab ſie ihm einen von denſelbigen, welcher einen ſchwarzen Kopf hatte, und ſehr häſslich anzuſehen war; er nahm ihn in ſeine Hand, und gleich wurde der Wurm in ein ſchönes Perlein verwandelt; als ſolches die Geſellen, ſo der H. Vater bey ſich hatte, ge-

ſehen,

ſehen, ſo verwunderten ſie ſich heftig darüber, und baten ihn, ſolches Perlein der Frauen nicht wieder zu geben: die Frau aber bate um ſelbiges ganz inſtändig; da wollte der H. Mann ſein Verſprechen halten, und giebt ihr das Perlein wieder; welches, als ſie es kaum berühret, war es gleich in die vorige Geſtalt des Wurms verwandelt; den nahme ſie, und legte ihn mit groſſer Gedult in die verlezte Bruſt. Als der Mann Gottes die groſſe Gedult der Frauen geſehen, gab er ihr ſeinen Segen, machte das Creuz über ſie, und gieng weiter. Kaum war er aus dem Thurm kommeu, da fiel das ganze Geſchwär mit allen Würmern aus der Bruſt, und die Frau ward ganz geſund Surius p. 66. Maximum cumprimis imperium habuit in Diabolum. Ex multis unum exemplum referam, p. 160. Dominicus prediget den Schweſtern bey einem Fenſter, da iſt der Teufel in Geſtalt eines Spatzen herumgeſprungen; er befahl einer Schweſter ihn zu fangen, das that ſie; da rupft er ihm alle Federn aus, und ſagte: Du Feind! was machſt du an dieſem Ort; und als er ihn aller Federn entblöſſet, wirft er ihn, ſagend: Ziehe hin, du Feind menſchlichen Geſchlechtes, flieg jezt hin wo du willſt, du wirſt wol Geräuſch machen, aber keinen Schaden thun; worauf der böſe Feind zum Fenſter hinein fahret, und henket ſich an das Geſchirr, in welchem die brennende Ampel vor unſerer lieben

lieben Frauen Altar geweſen, erſchütterte die Ketten mit ganzer Gewalt, und wendet das Geſchirr um; aber es fiel weder die Ampel aus dem Geſchirre, noch erloſchete das Licht darinnen, ſondern bliebe unumgewendet in der Luft ſchwebend; darauf ſich die Schweſtern ſehr verwunderten, der Spatz aber iſt verſchwunden. Surius pag. 68. Nec *Diabolus* tantùm noſtro, ſed elementa omnia parebant. Supra audivimus, libellum Dominici in *ignem* conjectum fuiſſe, at flammis non comſumptum. Aliud exemplum extat p. 169. Dominicus hat einer Frau ſeinen Rok verehrt; und als das ganze Haus verbrunnen, iſt es nicht an den Kaſten kommen, da ſein Kleid war. *In aërem, ibid. dominium Dominico patet:* Als er mit ſeinem Diener reiſste, iſt ein groſſer Regen und Donner-Wetter entſtanden, da war ſein Geſell kleinmüthig, er aber machte das Creuz gegen dem Wetter, da wiech es, und war der Saum des Kleids nicht naſs. *Succedat terra:* Zu Rom bey S. Sabina ſtekte er ſeinen Stab in die Erde, vvelcher alſobald vvie ein grünes Zvveiglein angefangen zu vvachſen und zu blühen, auch zu einem ſchönen fruchtbarn Baum vvorden, und gar viel Jahre alſo verblieben, daſs von den Früchten dieſes Baums bis zu unſern Zeiten noch gefunden, und von den rechtgläubigen in höchſten Ehren aufbehalten vverden. Ja die Erde muſste ſich vvieder alle Natur zu einem

nem Tuch gebrauchen laſſen; dann als er einsmals mit einem Geſellen reiſete, und ſie ein vvütender Hund auf dem Feld angefallen, auch ſeinem Geſehrten ein Stük aus dem Habit geriſſen, nahm der H. Mann ein Stük Erden, bezeichnete es mit dem heil. Creuz, und legte es auf das zerriſſene Ort, vvelches alſobald die Geſtalt des Tuchs an ſich genommen, und ſich mit dem zerriſsnen Ort alſo vereiniget, daſs kein Zeichen einigen Riſſes daran erſchienen. *Confer Surium pag. 69.*

Sequuntur miracula *poſt mortem* per Dominicum edita, aut ut germanica verba habent: Von Wundervverken, ſo Gott aus Fürbitt Dominici gevvürket, pag 258. Zvvey ſtumme Knaben vverden durch Anruffung Dominici erhöret, ibid. Ein blinder ſehend, pag. 259. Gehörloſe geheilet, ibid. Ein Jüngling hat einen geſchvvollenen Bauch, der rufte auf dem Felde Dominicum an. Dominicus erſcheint ihm, und ſagte: Nimm die Blätter dieſes Baums, und trinke drey mal davon, ſo vvirſt du geſund vverden. Dictum factum, pag. 260. Ein Waſſerſüchtiger ſahe im Schlaf Dominicum, rufte ihn an, und vvurde erlöſet, ibid. Eine Lahme geheilet, pag. 261. Eine Adeliche vvar lahm am Fuſs; Dominicus erſcheint ihr, und gab ein Salb, und ſie vvurde curiert, ibid. Ein toller vvurde zu den Reliquiis Dominici geführet

führet und geheilet, ibid. Einer mit zvvey krummen Füſſen vvird bey dem Grab Dominici geheilet, pag. 262. Eine Tochter mit dem Stein geplaget, ruft Dominicum an; dieſer erſcheint ihr im Traum, und legt ihr den Stein in die Hand, ibid. Einer Frau, die am Feſttag der Erhebung Dominici nicht in die Kirche gienge, und ſagte ſie hätte nicht Zeit, vvurde das Geſicht ſo voll Geſchvvär, daſs aus ihren Augen Würmer herauskrochen; da gehet ſie in ſich ſelber, lauft zu der Kirche, verſpricht Gott und Dominico, daſs ſie die Zeit ihres Lebens nichts ungebührliches vvider den H. reden, und die Feſttage halten vvolle, pag. 263. Eine Unfruchtbare bekam einen Sohn, nachdem ſie ein Gelübd gethan, ſelbigen in den Prediger-Orden zu thun, pag. 264. Ein Kauffmann in Waſſers-Gefahr rufte Dominicum an, und that ein Gelübd, mit bloſſen Füſſen in die benachbarte Kirche zu gehen, ibid. Ein vornehmer Herr hielte viel auf dem Bild Dominici; ſein Sohn vvurde von dem Einfall des Hauſes unter die Steine geſchoben, man ſah ihn aber unbeſchädiget neben dem Bild des H. Dominici ſizen. Tandem ſuccedat ultimus *Sanctus*, nimirùm *Ignatius Lojola*, familiæ ſanctiſſimæ *Auctor*. Eſt hic ſtupendis miraculis nobilitatus eſt. Uſi ſumus triplici editione hiſtoriæ vitæ & obitus *Lojolæ*. Prima conſcripta eſt à *Ribadeneira*, in germanicum translata per *Ferd. Albertum*, Ingolſtad.

golſtad. 1590. in 4. Altera à *Bidermanno*, Soc. Jeſu membro, Dilingæ 1620. in 8. edita. Tertia denique à P. Maffeo, Duaci 1585. in 8. Afferemus quædam: magnum cumprimis imperium *Lojolæ* fuit in Dæmones, pag. 122. Bidermanno teſte, *in itinere*, *Pariſiis*, *Romæ*, *Dæmones mutatis ludibriis deformes oppido*, & *fidisſimi ſpectri imagines induerunt*; *quibus ille ità nihil territabatur*, *ut ſcipione contemtim eos peteret*, *veluti canes exarmatos*, *aut ſordidas feles abacturus.* Pag. 126. & 127. *Icone Ignatii* Diaboli fugati ſunt. Idem præſtant pag. 135. ejusdem λειψανα, quæ quatuor ſorores à Dæmone liberant. Ibid. *Quodam die principum geniorum unus*, *antequam emigraret*, *ubi in Ignatium aliquandò procaciter illuſerat*, *ſubactus à Numine eſt*, *magno cum pudore fateri*, *quanto ab uno illius oſſe miſer amburatur*; *cœpitque in ipſo eum exceſſu ter ſanctum proclamare*, *ſanctique Ignatii tum modeſtiâ* & *potentiâ*, *tum præcipuè erga Deiparam ſtudio in fugam compelli ſe dicere*, pag. 137. *Nec verò imagines ſolæ* (Bidermanni verba ſunt) *cineresve Ignatii inferis terrori fuere: ſed liber quoquè ſuper ejus vita conſcriptus*, *cùm capiti tamen imponebatur*, *vel in ſinum inditus*, *palàmve lectus aderat*, *hoſtes perdomabat.* Pag. 142. *Druſilla quædam liberatur à febri cineribus Ignatii*, *fronti impoſitis.* Olympiam autem Norinam ab *ophtalmia* & *febri*, *Autographo* Ignatii, quo ſuum ille nomen expreſſerat, liberat. Pag. 144. Anna Rugeria ab *aurium tinnitu*, quibusdam Ignatii *pignoribus*; *Michaël* verò *Vaſques* (pag. 145.) à *calculo*, poſtquàm Ignatii *pulveres*

res piè deveneratus eſſet, ſanatur. Pag. 147. Matrona Romana, poſtquàm ſe ad Ignatii *ſepulcrum* abjecit, à *cancro* liberatur. Pag. 148. *Morbus deſperatus*, *centonibus Ignatii injectis*, ceſſat. Lucandiam, gravi morbo afflictam, *amiculi lacinia* ſervat, pag. 151. *Joanna Arragonia* à dolore *mamillæ* liberatur, poſtquàm *imago Ignatii papillis impoſita* fuiſſet, pag. 154. *Coſmus Ferrerus* à *dyſenteria*, ope *laciniæ veſtis Ignatii*, ſalutem videt. Pag. 155. inſigne narratur prodigium: *Franciſca Berrucca, haud vulgari virtute virgo & ſolitudinis apprimè retinens, Bourgis in S. Dorotheæ Aſceterio Religionem profeſſa, cum pleuritide calculoque malè habita, ancipiti periculo teneretur, ad Ignatii denique Aſylum confugit; inde res accidit memorabilis, ut toto anno lapides ampliùs centum, cùm modicos tùm majuſculos, vix ullo cum ſenſu dejecerit.* Pag. 157. *Ruffinus Lanzarottus* à *febri peſtilenti*, *Autographo Ignatii* ſanatus. Pag. 159. Multi *peſtilenti morbo* adfecti, *undâ*, *quæ Ignatianos cineres abluiſſet*, cum precibus hauſtâ, reſtituti. Pag. 168. *plures* ſolo *Chirographo* ipſius ſanantur. Pag. 176. *Cineres* Ignatii fœminam Indam à *turpiſſimis & illicitis Veneris concupiſcentiis* liberant. (Utinam Itali cineres illos ſtudioſè ſervaſſent! opus enim habent quammaximè ejusmodi antidoto) Pag. 177. *ſingulare* planè narratur *portentum*; at cùm prolixiùs narretur à Bidermanno, ſummam rei dicam. Matrona peperit filium, & voluit eum appellari *Ignatium*, Pater verò *Irenæum*: hinc diſſenſiones ortæ; tandem puer vocatur *Ignatius Irenæus*. Mox

tamen

tamen denuò diſſentiunt Parentes. Pater appellat ipſum *Irenæum*, mater *Ignatium*. Utraque pars familiam in ſuas partes voluit pertrahere. Lis tandem ita deciſa fuit, ut quod primum nomen puer trimeſtris interrogatus proferret, legitimum eſſet; & ecce! *per miraculum Ignatium ſe vocari velle, dixit.*

CAPUT V.

Disquiritur: quem in finem miracula, adſcripta Pythagoræ, edita ſint, & quo ingenio atque moribus fuerit ornatus.

IN antecedenti Capite quædam miracula, quibus viri illi nobilitati fuerunt, ſimpliciter enarravimus. Antequàm autem, quid de iis judicemus, exponere licet, neceſſe eſt, ut ſolerter inquiramus, *partim quem in finem* miracula illa edita ſint, *partim quo ingenio fuerint ornati* illi, qui tam inuſitatis dotibus præditi erant. Hoc demùm explorato, alterutram in partem judicium noſtrum licet interponere. Conſideremus ergo doctrinam Pythagoræ, naturamque & mores, ſecundum narrationem βιογραφων, qui ſummis Heroas illos extulerunt laudibus. Jamblichus pag. 4. & 5. à nativitate incipit: *Mneſarcho* (latina tantùm dabo) *ſcilicèt Samio ad Mercaturam Delphos cum uxore nondùm manifeſtè gravida, profectò, prædixit Pythia, cùm reſponſum de navigatione in Syriam peteret, hanc quidem ad votum lucroſamque fore, uxorem verò jam prægnantem filium parituram, qui omnium, quotquot unquam vixerunt pulchritudine & ſapientiâ præſtantiſſimus, humano generi ad omnem vitæ rationem, quammaximè profuturus eſſet. Hinc Mneſarchus colligebat, ſe non interrogantem de filio ideò reſponſum à Deo accepiſſe, quòd ſingularis illi præcellentia & dona animi planè divina eſſent aſſutura. Et uxorem quidem ſtatim mutato Parthenidis nomine, à filio Vateque Delphica*

phica Pythaidem, ipſumque infantem mox Sidone in Phœnicia natum Pythagoram appellavit: à Pythio ſcilicèt eum ſibi prædictum eſſe ſignificans. Non enim audiendi ſunt Epimenides, Eudoxus & Ocenorates, qui ſuſpicantur, tum temporis Apollinem cum Parthenide congreſſum, gravidamque ex non gravida factam per Pythiam pronuntiaſſe: id enim nullatenùs admittendum videtur. Cæterum nemini, qui quidem ex ipſa viri nativitate & multiplici animi ſapientia conjecturam fecerit, dubium erit, quin anima Pythagoræ Apollinis ſubdita Imperio, vel perpetim ejusdem Dei aſſecla, vel alio proximiori eidem conjuncta, ad homines delapſa ſit. Cl. *Dacier*, qui vitam ſcripſit, vel potiùs laudes *Pythagoræ* ebuccinavit, hanc ipſam Jamblichi hiſtoriam refert, nec verbo tamen ſplendidum mendacium coarguit. Obſervetur autem teſtimonium Epimenidis à *Jamblicho* rejici, qui tamen ipſo teſte pag. 114. unà cum *Porphyrio* diſcipulus ejus fuit, & ob edita portenta *nobilis*, imò συγχρονος fuit, cui cur fidem non habeamus, cauſſa nulla ſuppetit. Conſtat enim fraudulentos Sacerdotes in templis, & parùm caſtis lucis, deteſtandis libidinibus ſe contaminaſſe. Vide quæſo *Herodot.* Lib. I. Cap. 199. *Strabonem* Lib. XII. *de Comana Cappadociæ, & templo illic Deæ Lunæ ſacro. Herodot.* Lib. I. *de turri in templo Babylon. Joſephum Antiquit. Jud.* Lib. XVIII. pag. 622. *de Paulina à Sacerdotibus Iſidis vitiata, Ruffini Hiſt. Eccl.* Lib. II. Cap. 25. Haud igitur à vero abhorret, Sacerdotem *Pythiæ* compreſſiſſe *Pythagoræ* matrem, atque adeò *ſummum* illum Philoſophum *Spurium* fuiſſe. Dicendum enim vel oraculum

hóc verè editum, aut mentitos *Jamblichum & Porphyrium.* Si poſterius, ſequitur homines illos nulla fide dignos; ſi prius, tum aut Dæmoni cuidam hoc tribuendum, aut fraus Sacerdotum intercellit. At quis credat, Dæmonem futura contingentia noſſe, quod Deo ſoli competit? Ut jam non dicam, doctiſſimum *Van Dale*, nec quicquam reclamantibus ſuperſtitionis amicis, ſufficienter oſtendiſſe, meris fraudibus & impoſturis Sacerdotum adſcribenda, quæ de Oraculorum prædictionibus vulgò dicuntur. Si verò fraudi Sacerdotum omnia tribuimus, facile potuit plebi imperitæ illudi, atque pro inſolito miraculo haberi *Pythagoræ* nativitas. Patet exinde, quo fundamento ſuperſtructa ſit narratio *Jamblichi & Porphyrii.* Multum autem ad *ingenium Pythagoræ* corrumpendum fecit longa ejus commoratio in *Ægypto & familiare commercium*, quod habuit cum *Sacerdotibus* hujus regionis. Notum enim, nullam gentem ad ineptas opiniones fovendas aptiorem fuiſſe Ægyptiis, totamque eorum Religionem in difficilibus conſtitiſſe nugis, adeò ut riſu potiùs, quàm refutatione dignus ſit *Dacier*, qui pag. 3. vitæ Pythagoræ eruditionem Ægyptiorum vocat *la veritable Sageſſe*, quam potiùs *une veritable Charlatanerie* vocaveris. Emblematibus enim & figuris (de his enim hìc nobis ſermo) ingenia hominum pervertuntur, & *imaginationis potiùs impetus*, quàm *perſpicua rerum cognitio augetur.* Hàc viâ progreſſus *Pythagoras* tandem in *fanaticiſmum* incidit. Saltem non uno exemplo conſtabit, mentem ipſius vanis imaginibus deceptam

ptam atque corruptam fuiſſe. Ad quam rem promovendam ſinè dubio Ægyptiaca philoſophandi methodus multùm contulit. Fruſtrà ergo *Pythagoras* credidit, ſi Ægyptum frequentaret, θειοτατον ἑαυτον και σωφοτατον ὑπερ ἁπαντας ἐσεσθαι ἀνθρωπους, reliquis mortalibus ſapientiorem diviniorenque futurum. In hac ſcilicèt ſapientiæ officina ait Jamblichus pag. 11. Ὀυχι δεισιδαιμονιας ἑνεκα το τοιουτον ὑπομεινας, ὡς αὐτις ἁπλως ὑπολαβοι. Πολλυ δε μαλλον ἐρωτι και ὀρεξει θεωριας και ἐυλαβειας, ἱνα μητι αὐτον των ἀξιομαθητων διαλαθῃ ἐν Θεων ἀποῤῥητοις ἡ τελεταις φυλαττομενα. Ex hoc ſanè adparet, quicquid τερατωδες, & inuſitatum, id appetiiſſe *Pythagoram*. Si enim (quod Jamblichus pag. 10. de eo jactat) ante diſceſſum in Ægyptum ſummam mentis καθαροθητα poſſedit, & tamen vaniſſimæ ſuperſtitionis myſteria, aut ineptias potiùs admiratus, ſingularique animi contentione veneratus eſt, nemo non videt, quo ingenio fuerit prædıtus. Nec dixeris, *Pythagoram* introſpectis Ægyptiorum ineptiis meliora edoctum; per omnem enim vitam, uti ex dicendis liquebit, *commendavit* Ægyptiorum *doctrinam*. Accedit huc, quod *Pythagoras* ſæpè ſolus, teſte *Jamblicho*, pag. 11. in templis, montibusque, cumprimis in monte Carmel, verſatus eſt. *Sacra* enim illa *ſilentia* mirè paſcunt animum *inſolita* amantem. Cumprimis animi Characterem pandit, quòd ex Ægypto redux τροπον συμβολικον, *viam docendi per ſymbola* ingreſſus fuerit; notum enim omni tempore homines veræ eruditionis & ſapientiæ ignaros operam dediſſe, ut

 obſcuris

obſcuris & *myſticis vocabulis*, atque *emblematibus* exprimerent, quod ipſi non intelligebant. Inſolito ejusmodi rerum vaniſſimarum amore captus & imbutus, perſuaſit ſinè dubio diſcipulis ſuis, familiaria ſibi cum Diis intercedere colloquia, atque congreſſus; hinc enim puto ortum, quòd Jamblichus pag. 23. de diſcipulis ejus narrat: Νομȣς παρ' ἀυτȣ δεξάμενοι καὶ προσταγματα, ὡσανει θειας ὑποθηκας - - καὶ μετα των Θεων τον Πυθαγοραν λοιπον κατηριθμȣν, ὡς ἀγαθον τινα Δαιμονα καὶ φιλανθρωποτατον· ὁι μεν των πυθιον, ὁι δε τον ἐξ ὑπερβορεων Ἀπολλωνα, ὁι δε τον παιωνα, ὁι δε των την σεληνην κατοικȣντων δαιμονων ἑνα, ἀλλοι δε ἀλλον των Ὀλυμπιων Θεων ἐξυμιζον ἐις ὠφελειαν καὶ ἐπανορθωσιν τȣ θνητȣ βιȣ λεγοντες ἐν ἀνθρωπινῃ μορφῃ φανηναι τοις τοτε, ἱνα το της ἐυδαιμονιας τε καὶ φιλοσοφιας σωτηριον ἐναυσμα χαρισηται τῃ θνητῃ φυσει, ȣ μειζον ἀγαθον ȣτε ἠλθεν ȣτε ἡξει ποτε, δωρηθεν ἐκ Θεων δια τȣτȣ τȣ Πυθαγορȣ. i. e. *Hi acceptis legibus & mandatis, quaſi cœlo miſſis præceptis, ipſum Pythagoram, ut bonum quendam Dæmonem hominibusque amiciſſimum jam in Deorum referebant numerum: quidam enim illum celebrabant Pythium, alii hyperboreum Apollinem, nonnulli Pæonem: erant, qui cenſebant, Dæmonem eſſe ex iis, qui lunam incolunt: alii alium ex Diis olympicis ferebant, qui mortalem vitam emendaturus, ejusque commodis conſulturus, iſti ſeculo humanâ formâ apparuerit, ut mortalibus beatitudinis & Philoſophiæ ſalutare lumen donaret: quo munere nec venit, nec veniet ullum aliud majus, quàm quod Dii per hunc ipſum Pythagoram dederunt.* Utrùm hìc magis admirer *impudentiam Jamblichi*, an *ſtultitiam*

ſtultitiam horum diſcipulorum, vel *intolerandum Pythagoræ faſtum*, dicere non poſſum. Certè, ſi ita ſe geſſerunt diſcipuli *Pythagoræ*, oportet Præceptorem fuiſſe hominem partim *ſuperbum*, partim *inſanum*. Aut enim *credidit*, ſe cœlitùs delapſum, aut *non credidit*. Si *prius*, inſaniit; ſi *poſterius*, cur diſcipulos non caſtigavit, turpiter adulantes? Aliter de modeſtia Pythagoræ ſentit illuſtris Mothe le Vayer de la vertu des Payens, Tom. I. pag. 635. *La premiere choſe*, inquit, *que je remarque en ce grand perſonnage, c'eſt la rare modeſtie, dont il accompagnoit toutes ſes actions. Ce fut elle, qui lui fit refuſer dès le commencement le titre de ſage, que prenoient de ſon temps tous ceux de ſa Profeſſion. Il proteſta, qu'il n'appartenoit qu'à Dieu ſeul, & ſe contentant de celui de Philoſophe, ou d'Ami de la Sageſſe, il fut comme le Parain de la Philoſophie & baptiſa du beau nom de Philoſophe tous ceux, qui l'ont porté depuis lui. Ce fut encore la même modeſtie, qui lui fit donner cet important conſeil à ſon grand ami l'Athlete Eurymene de ne combattre jamais pour obtenir la Victoire, s'abſtenant d'en venir juſques là, parceque l'envie qui la ſuit, ne ſçauroit être trop evitée, & nous voyons dans Jambliche, qu'avant que de recevoir ceux qui ſe preſentoient pour être ſes diſciples, il les éprouvoit trois ans par diverſes ſortes de mépris, afin d'être aſſuré de leur humilité, dont il faiſoit la baſe de toutes les autres vertus. N'eſt ce pas ce qui ſe pratique tous les jours dans nos maiſons religieuſes? & Pythagore n'avoit il pas la même penſée ſur cela que Solomon, qui conjoint dans ſes Proverbes l'Humilité & la Sageſſe, comme deux compagnes inſeparables? Les ſuperbes reſſemblent*

blent aux Cyprez elevez, qui ne portent, que des fruits inutiles. Ce Philoſophe étoit comme une vigne rampante, portant des fruits ſi excellens, & en ſi grande abondance, qu'ils ſont encore à preſent une des plus douces paſtures de nos ames. Hactenùs doctiſſimus ille Vir. Non diffitemur Pythagoram aliquandò *lucida* etiam habuiſſe *intervalla*, neque tamen, quæ adferuntur, ejus ſunt naturæ, ut inſignem modeſtiam ipſius probent. Philoſophi titulum potuit ambire, ut à reliquis Philoſophis disſentiret, atque per novum hunc titulum modeſtiæ ſaltem amorem videretur præ ſe ferre. Saltem nimis vili conſtaret, nimiumque facile parari poſſet laus veræ modeſtiæ, ſi tam levi mutatione nominis pararetur. Varia exercitia, quibus diſcipulos ſubjecit, & quinquennale ſilentium, quod impoſuit, nihil aliud oſtendunt, quàm voluiſſe ipſum auditores ſibi prorſus obnoxios eſſe, unde nec per id tempus Præceptorem rogare auſi ſunt. Qui modeſtiam amat, Præceptor cumprimis, omnem movet lapidem, ut auditorum ingenia excitet, atque rationibus non auctoritate, eos in ſui amorem pertrahat. At ipſe eruditus Vayerius, quos fructus tulerit ratio docendi à Pythagora adhibita docet, pag. 642. loco citato: *En effet on peut voir en Jamblicbe, qu'on leur reprochoit qu'ils s'éſtimoient de petits Dieux terreſtres, & les autres hommes de bêtes, qu'il falloit ſubjuguer. C'eſt pourquoi ils ſoutenoient, qu'Homere n'avoit nommé les Rois Paſteurs des peuples, que pour nous faire comprendre, qu'on devoit traiter les perſonnes vulgaires de même, que le reſte des animaux. Or ils mettoient en ce rang tous ceux, qui n'étoient*

n'étoint pas de leur ſocieté, d'autant qu'ils les voyoient encore dans les erreurs groſſières des fauſſes Religions, comme gens, qui n'avoient pas pris ces hautes connoiſſances, dont Pythagore avoit fait leçon ſeulement à ceux, qu'il affectionnoit le plus. Ainſi le même Jamblicbe obſerve ailleurs, qu'ils croient être entierement au deſſus des loix, ne voulans pas ſeulement voir le lieu, où la juſtice s'exerçoit, qui n'avoit à leur dire nulle Jurisdiction ſur eux. Et l'on ſçait, que leur coutume ètoit de dreſſer des ſepulcres vuides, ſelon l'uſage de ce temps là, à ceux de leur Secte, qui en ètoient ſortis, comme ſi c'euſt été quitter la vie, que d'abandonner leur famille. Hæc eſt inſignis illa modeſtia, quam à Præceptore ſuo didicerunt diſcipuli. Nullus dubito, quin pertinax illud ſilentium, & myſteria non ſinè magnâ verborum nihil ſignificantium pompâ prolata, effecerint, ut homines illi adeò magnificè de ſe ſentirent. At pergamus: Notum eſt ipſum asſeruiſſe, mentem ſuam, à multis retrò temporibus, multa corpora pervagatam. Teſte Jamblicho Cap. XIV. pag. 48. & Porphyrio, ut alios taceam, *multos ex illis, qui ejus utebantur familiaritate, perſpicuè clariſque indiciis admonebat prioris vitæ, quam animâ ipſorum, antequam iſti alligata eſſet corpori, jam olim peregerat: ſeque ipſum ex certis & indubitatis ſignis demonſtrabat, Euphorbum fuiſſe Panthi filium, qui Patroclum devicit.* Quis non ex hoc videt, hominem hunc aut *mente captum*, aut ſtolidè *ſuperbum* fuiſſe? Si dixiſſet ſe ex quibusdam ſignis conjicere, mentem ſuam olim Euphorbi corpus inhabitaſſe, non eſſet, cur maximè miraremur; novimus enim quid ignorantia

ignorantia & ingenii imbecillitas aliquandò valeat. Ita ingenioſiſſimus *Lokius* mentionem facit viri alicujus haud indocti, qui exiſtimaverit, corpus ſuum à mente, quæ Socrati inerat, occupari. At cum *perſpicuis teſtimoniis demonſtraturum* ſe promiſerit, non ſolùm ſe olim *Euphorbum* fuiſſe, ſed & quibus in corporibus aliorum fuerint animæ, *dignus erat*, *qui Anticyram mitteretur.* Hinc non ſinè cauſſa *Lactant.* div. Inſtit. Lib. III. falſè illum ridet, exclamans: *O miram & ſingularem Pythagoræ memoriam! O miſeram oblivionem noſtrûm omnium, qui neſciamus, qui ante fuerimus; ſed fortaſſe vel errore aliquo, vel gratiâ ſic effectum, ut ille ſolus lethæum gurgitem non attigerit, nec oblivionis aquam guſtaverit. Videlicèt ſenex vanus,* (*ſicut otioſæ aniculæ ſolent*) *fabulas tanquam infantibus credulis finxit. Quòd ſi benè ſenſiſſet de iis, quibus hæc locutus eſt, ſi homines eos exiſtimaſſet, nunquam ſibi tam petulantem mentiendi licentiam vindicaſſet, ſed deridenda hominis leviſſimi vanitas.* Sequitur aliud & maximæ *ſtoliditatis* & *ſuperbiæ* indicium. Audiatur (latinè tantùm brevitatis cauſſa adduco verba) Jamblichus pag. 51. *A lecto autem reſurgentibus* (*ſc. diſcipulis*) *excutiebant languorem nocturnum, remiſſionem & toporem, per quosdam peculiari modo compoſitos cantus & modulationes: quæ vel ſolo lyræ pulſu, vel etiam voce peragebantur. Sibi verò ipſi Vir ille non æquè per inſtrumenta vocemqae tale quid comparabat, ſed ineffabili quadam & intellectu difficili divinitate intendebat aures, mentemque ſublimioribus mundi concentibus inſigebat; atque ipſe ſolus ut apparebat, auditu & intellectu percipiebat univerſalem Sphærarum & Aſtrorum per eas motorum harmoniam*

Digitized by Google

moniam & conſonantiam; quæ carmen aliquando perfectius, quàm quòd apud mortales fieri ſolet, & ſine ſatietate audiendum reſonabant, & per diſſimiles varieque diverſos ſtridores, celeritatibus, magnitudinibus & vectionibus, certa quadam muſices ratione compoſitis, converſionem & circumactionem gratiſſimam ſimul & variis modis pulcherrimam efficiebant, à qua velut irrigatus, & quoad mentis rationem benè compoſitus ac quaſi ſaginatus, ipſe imagines quaſdam borum cogitabat exhibere diſcipulis ſuis, eaque in quantum fieri poterat, imprimis per inſtrumenta, & ſolam etiam vocem imitari. (*) Idem teſtatur Porphyrius, Sect. XXX. Sanè *auritum totum* oportet fuiſſe *Pythagoram*, qui concentum illum Planetarum audivit. Fortè tamen *Dii*, quorum in numero ipſe erat, *auribus inſtructi* ſunt longiſſimis. Lubens in poſterùm credam iis, qui dicunt, ſe *voces pulicum* intelligere. Scio eſſe, qui mollius hæc interpretentur, inter quos eſt Auctor Obſervationum Halenſ. Tom. II. Obſ. X. *Exagitat*, inquit, *Worceſtrienſis Præſul Pythagoram, quòd concentum corporum cæleſtium ſuaviſſimum auribus ſe percipere dixerit. Jam notum quidem eſt, quòd Pythagoras de totius mundi corporumque cæleſtium harmoniâ multa verba fecerit, aſt quod ſuis perſuaderit, ſe auribus cæleſtium corporum ſonos percipere, id an unquam aſſeruerit Pythagoras valdè dubito, nec ſuccurrit ex veteribus, qui ejuſmodi quid de Pythagora memoriæ prodiderit.* Ita ille. At adeſt hîc præter *Porphyrium Jamblichus.* Uterque clariſſims verbis

(*) Quid de teleſticis illis imaginibus ſentiendum ſit, vide Diſſertat. cel. Moshemii, in Bibliotheca Bremenſi extantem.

bis teſtantur *auribus* & *mente* ſonum cœleſtium corporum percepiſſe noſtrum, huncque ſuaviſſimè ipſius aures demulſiſſe. Ἀυτος, inquit *Porphyrius*, της τυ παντος ἁρμονιας ηκροατο. Si nihil aliud dicere voluiſſet, quàm ſe ratione duce obſervaſſe, eſſe aliquam inter cœleſtia corpora harmoniam, nemo hoc fuiſſet maximoperè admiratus. Confer Obſervat. Küſteri ad hunc loc. Proximè autem ſequentia teſtantur inſolitum quid ſibi tribuiſſe *Pythagoram*. *Sibi enim* (ita pergit Jamblichus) *ſoli inter omnes, qui terram incolunt, datum exiſtumabat, ut intelligeret exaudiretque ſonos vocis à mundo editæ, idque ab ipſo naturæ fonte & radice: adeoque ſe dignum eſſe cenſebat, qui doceretur aliquid & diſceret, quique cœleſtibus vitendo imitandoque aſſimilaretur; utpote qui a Dæmone ipſum afflante ita conformatus eſſet: cæteris verò hominibus ſufficere putabat, ipſum & ipſius dona intueri, & ex imaginibus exemplis proficere ac emendari, cùm prima rerum ipſarum archetypa verè apprehendere non poſſent.* Nemo non videt, *Superis* adſcribi vele *Pythagoram*, ut *ineptis viſionibus* auctoritatem conciliaret. Hinc á Dæmone conformata ipſis mens. Hinc omnium rerum *archetypa* videt, aut ſe vidiſſe putavit. Meritus adeoque eſt, quod Jamblichus pag. 205. notat, titulum τυ θειυ. Nihil jam dicam de *quinquennali ſilentio*, nihil de *obſcuriſſimis ſymbolis*, nihil denique de *præceptis arcanam doctrinam non vulgandi*, quæ ſatis oſtendunt, quo animo fuerit præditus, quamque *dignus*, qui *generi humano* medicinam adferret. Afferamus evidentiora teſtimonia *ſtolidiſſimæ ſuperbiæ* & *inſaniæ*. Pag. 7. ita Jamblichus: *Abaris*

tranſiens

tranſiens per Italiam, viſum ſibi Pythagoram, Deo, cujus ipſe erat Sacerdos, aſſimilavit: perſuaſus non alium, ac ne hominem quidem illi ſimilem, ſed ipſum verè Apollinem eſſe: atque tum propter illa, quæ in Pythagora maximè veneranda deprehendebat, tum propter indicia ipſi Sacerdoti jam antea explorata, telum Pythagoræ reddidit, quod, iter ingreſſurus è templo ſumſerat, ut eo ad ſuperandas in tam longa peregrinatione itineris difficultates uteretur. Vehebatur enim illo per invia quæque, qualia ſunt flumina, lacus, paludes, montes & alia id genus: ac præterea eodem, ut ajunt, luſtrationes quoquè peragebat, peſtemque depellebat atque arcebat ventos ab urbibus, quæ opem ejus imploraverant. Pythagoras autem accepto telo minimè rei inſolentiâ commotus, nec cauſſam, ob quam ei daretur percontatus eſt, ſed tanquam qui reverâ Deus ille foret, Abaridi ſeorſim ab arbitris abducto aureum ſuum femur oſtendit, ut argumento eſſet, neutiquam illum animi falſum fuiſſe: quin & enumeratis ſingulatim, quæ in templo repoſita erant, fidem illi fecit, quòd non malè Apollini ipſum aſſimilaſſet; adjecit inſuper, ſe ad curandos demerendosque mortales adveniſſe, ac propterea etiam formam hominis induiſſe, ne ſupereminenti majeſtate, velut re nova turbati, diſciplinam ſuam defugerent. Quis ſibi, dùm hæc legit, temperare à *riſu* poteſt? Cui non in mentem veniunt, quæ de *ſagis* dicuntur, illas *baculo inequitare*, atque per aëra ſylvasque errare? Quid de *aureo* illo *femore* judicandum ſit, in diverſa abeunt *eruditi.* Meram *impoſturam* fuiſſe crediderim *Pythagoræ.* Cur enim remotis arbitris *Abari ſoli* monſtrabat, ſi ſignum cœleſtis miſſionis cunctis erat monſtrandum? Equidem *Plutarchus* in

Numa teſtatur, eum in ludis olympicis, id eſt, in maxima celebritate & frequentia id viſendum exhibuiſſe, quod tamen ſine aliorum teſtimoniis vix admitti poteſt. Quicquid ſit, ſi putavit ſibi *cœlitùs* ejusmodi *femur* datum, *inſanus* erat; ſi finxit, *impoſtor*. Attendatur interim ad id, quod Pythagoras inde concludit: nimirùm Pythagoras habet femur aureum; eſt igitur ille Apollo, quem pro Deo colunt hyperborei; ſc. *Baculus ſtat in angulo, ergo cras pluet.* Huc pertinet, quod D. *Laërtius* Libro VIII. num. 21. & 41. refert, quòd in antrum deſcenderit, finxeritque ſe apud inferos fuiſſe, pœnasque *Homero & Heſiodo* inflictas animadvertiſſe, quod non ſolùm oſtendit, eum *impoſtorem* fuiſſe, ſed & *mendacem*. Si enim transmigratio perpetua ex uno corpore in aliud locum habet, quomodo animas in tartarum detruſas pœnisque caſtigatas videre potuit? Mendacem oportet eſſe memorem. At mirum non eſt, talia à Pythagoreis tradi; cauſſam aperit ipſe *Jamblichus* pag. 120. Poſtquàm enim multa miracula *Pythagoræ* adſcripta commemoraſſet, addit: Ταυτα τε ουν λεγουσι προς πιστιν και ἀλλα τοιαυτα. Ὡς δε τουτων ὁμολογουμενων, και ἀδυνατου ὀντος περι ἀνθρωπον ἑνα ταυτα συμβηναι, ἠδη ὀιονται σαφες ἐιναι, ὁτι ὡς περι κρειττονος ἀποδεχεσθαι χρη τα περι ἐκεινου λεχθεντα, και ουχι ἀνθρωπου. Αλλα και το ἀπορουμενον τουτο σημαινειν. Ἐστι γαρ παρ ἀυτοις λεγομενον, ὁτι ἀνθρωπος διπος ἐστι, και ὀρνις, και τριτον ἀλλο το γαρ τριτον Πυθαγορας ἐστι. i. e. *Hæc igitur aliaque id genus commemorant, fidei conciliandæ: cumque iſta in confeſſo ſint, nec fieri poſſit, ut in unicum hominem*

nam congruant, hinc jam liquere autumant, quòd dicta de illo, non tanquàm de homine, ſed tanquàm dé Numine aliquo accipienda ſint. Quod etiam indicat ænigma illud, quod velut proverbium quoddam in ore habent:

Et bipedes homines & aves & tertia res ſunt, nam tertia res eſt Pythagoras.

Incidit hìc, quod à viro gravi accepi. Nimirùm celebrem quemdam Doctorem umbraticum, in Belgio viventem, & *Charlataneriæ Eruditorum ampliſſimo Auctori notatum*, in familiari colloquio aliquandò dixiſſe, tres tantùm hactenùs lucem vidiſſe Viros eruditos: nimirùm *Scaligerum*, *Salmaſium*, tertium nolle ſe appellare. At teneatis riſum amici! *Pythagoras*, non homo, non beſtia, ſed Deus fuit: interim non homines tantùm, ſed & animantia cætera amavit. Ita *Jamblichus* pag. 90. *Ipſe ita vixit, ut à carne animalium abſtineret, & ad aras adoraret ſanguine nunquàm adſperſas: providebat inſuper, ne & alii animalia, utpotè eamdem nobiscum naturam ſortita, cæderent: ipſe feras corripiens potiùs, & re ac verbis inſtituens, quàm puniendo deſtruens.* O mite & placidum ingenium! O divinum Præceptorem, dignum, qui lapides & ſaxa doceret! Nec plura addam. Ex hactenùs dictis ſatis liquet, Pythagoram fuiſſe hominem, qui ex *mendaciis*, *inſaniâ* & *ſtolidiſſimâ ſuperbiâ* compoſitus fuerit. Reſtat, ut ſecundo loco examini ſubjiciamus *Decreta Pythagoræ.* Quanquàm enim ex *ingenio* ipſius, *moribusque* hactenùs adumbratis, ſatis pateat, quid

ab ejuſmodi homine expectandum ſit, ſcopus tamen noſter poſtulare videtur, ut doctrinam ipſius præceptaque diſtinctiùs proponamus. In anteceſſum autem notandum, *Pythagoram* nulla ingenii monumenta poſteritati tranſmiſiſſe, ſed ea hinc inde ex veterum monumentis eſſe colligenda. Dubium autem non eſt, quin *Platonici* multa adjecerint, multa exornarint, & ad decreta ſua, quæ deamabant, exegerint. Unde fit, ut inter obſcuras ineptasque opiniones occurrant præcepta decretaque rationi convenientiſſima, excellentiſſimaque. Ponam autem fundamenti loco principia doctrinæ *Pythagoricæ*, ex quibus de univerſo ſyſtematis fundamento judicium ferri poteſt. Primum præceptum inter aurea carmina *Pythagoræ* ſic ſonat: Ἀθανατυς μεν πρωτα Θευς, νομῳ ὡς διακειται, τιμα. *Hierocles* in *Commentario* quantùm poteſt præceptum hoc emollire ſatagit, tandem verò pag. 15. ita ait ex verſione *Dacierii*, quæ jam quidem ad manus eſt: *C'eſt pourquoi ce précepte*, *honore les Dieux comme ils ſont placés & diſpoſés par la loy*, *doit être entendu non ſeulement des Dieux immortels*, *mais auſſi des Heros*, *des Anges*, *& des ames des hommes: car chacun de ces genres*, *il y a une quantité infinie d'eſpèces placées & diſpoſées*, *ſelon qu'elles ont plus ou moins de dignité: & voilà quelle eſt la nature*, *& quel eſt l'ordre*, *ou le rang des eſſences raiſonnables.* Ita Hierocles: qui, ſi *ſcapham* voluiſſet appellare ſcapham, ſinè ambagibus dixiſſet, Deos eſſe colendos κατα τον νομον της πολεως. Ita enim *Socrates*, ita *Plato* locuti ſunt; quàmvis enim cum

Hierocle

Hierocle viri illi Deos Poëtarum improbaverint ſæpè, nihil tamen in cultu publicè recepto mutandum exiſtumarunt. Ita *Plato* in *Epinomide*: Τȣτων παντων νομοθητης, ὅςις νȣν κεκτηται και τον βραχυτατον, ȣ̓ποτε μη τολμηση καινοκατομων ἐπι θεοσεβειαν, ητις μη σαφες ἐχει τι τρεψαι πολιν ἑαυτȣ, και μὲν ȣ̓δ' ὡν ὁ πατριος νομος ἐιρηκε περι θυσιων ἀποκωλυσει μηδὲν το παραπαν ἐιδας ὡσπερ ȣ̓δ' ἐν δυνατον ἐιδεναι τη θνηθη φυσει των περι. i. e. *Horum omnium Legislator, qui vel minimum mentis habet, nunquàm aliquid innovabit. Cavebit enim ne ad novum, minùs certæ religionis cultum civitatem ſuam vertat: nec quæ patria lege vel conſuetudine de ſacrificando firmata ſunt, movere audebit. Scire namque debet, mortali naturæ non eſſe poſſibile, certi quicquam de his cognoſcere.* Ita loquuntur homines, qui ſtultiſſimas opiniones publicè receptas generoſo animo abjicere nolunt. Cotta Academicus apud Cic. de Nat. Deor. Lib. III. ita ait: *Non mediocriter auctoritate tua moveor, Balbe, orationeque ea, quæ me in perorando cohortabatur, ut meminiſſem, me & Cottam eſſe Pontificem, quod eò credo valebat, ut opiniones, quas à Majoribus accepimus, de Diis immortalibus, ſacra, ceremonias religionesque defenderem. Ego verò eas defendam ſemper, ſemperque defendi: nec me ex ea opinione, quam à Majoribus accepi de cultu Deorum immortalium, ullius unquàm oratio, aut docti aut indocti movebit.* Ibid. *Multis argumentis Deos eſſe docere voluiſti, mihi unum ſatis erat, ita nobis Majores noſtros tradidiſſe.* Hæc regula, ſi locum habet in rebus ad religionem ſpectantibus,

tibus, nihil tam *impium*, *abſurdum*, *deteſtandum;* nulla *Religio* aut potiùs ſuperſtitio tam *inepta*, Deoque contumelioſa excogitari poterit; quin manibus pedibusque ſit *defendenda.* At hoc *præceptum* omnium *primum* erat in *Theologia Pythagoræ.* Alterum, quod abſurditate priori nihil quicquam cedit, erat: *Deum omnia, etiam contradictoria facere poſſe. Jamblichus* pag. 117. Ὀυ γαρ ἔιναι τα μεν δυνατα τοις Θεοις, τα δε ἀδυνατα, ὥσπερ ὀιεσθαι τυς σοφιζομενυς, ἀλλα παντα δυνατα. *Nimirùm cùm ſacrificuli* adeò ſplendidè *mentiuntur*, ut ab omnibus vel *palpari* poſſint turpiſſimæ nugæ, tueri ſe ſolent *ineptâ hâc ſententiâ*, quæ imperitos quidem fallere, attentis autem riſum exprimere ſolet. *Notum* argumentum *Transſubſtantiationis defenſoribus.* Nota *Colonienſis æditui* vox. At percurramus breviter *Theologiam Pythagoricam.* Pluribus more ſuo, id eſt, *eruditè* & *ſolidè*, ut alios taceam, eam depingit *cl.* & *eruditiſſimus Brukerus* in ſecunda parte Hiſt. Phil. (*) Ab Atheiſmi impacto crimine hoc loco pluribus *Pythagoram* vindicare nolo, cùm alibi de hoc ſolicitus ſim. *Deum*, id eſt, æternum, ſapientiſſimum, potentiſſimum, &c. Mundi *Rectorem*, admiſiſſe *Pythagoram* teſtatur *Juſtinus Martyr*, de *Monarch.* pag. 105. & *Cohortat. ad gent.* pag. 18. Cl. *Alexandr. Stromat.* Lib. IV. pag. 477. *Hierocles*

(*) Adde ejusdem Hiſtoriam Criticam Philoſophiæ, in qua, in quibusdam à ſuis, quas in Hiſt. Philoſophica de Pythagoræ Theologia ſententiis repræſentavit, diſcedit. Confer Diſſertationem de Theologia Pythagoræ Muſeo Helvetico illatam.

rocles initio ferè ad aurea Carmina *Pythagoræ* ait, eum agnoviſſe τον Δημιουργικον μονον Θεον, ὃν Θεον Θεων κυριως ἀν ἐιποι τις, και Θεον ὕπατον και ἄριστον. Eumdem Μοναδα, ut notum, adpellavit. *Providam* Dei in omnia *curam* credidiſſe, auctor eſt, ut alios taceam, *Jamblichus* de vita Pythag. pag. 147. *Porrò*, inquit, *efficaciſſimum ad ſtabiliendam juſtitiam*, *Deorum imperium cenſebat eſſe Pythagoras*, *idque adhibebat*, *velut principium*, *ad Rempublicam*, *legesque & juſtitiam*, *juxta normam juris*, *conſtituendam. Neque alienum fuerit adjicere ſingillatim*, *quasnam cogitationes de Numine concipiendas eſſe definiverit*; *nempe quòd exiſtat*, *quòdque ita ſe gerat erga genus humanum*, *ut illud inſpiciat*, *minimèque negligat*: *quòd ab ipſo edocti Pythagoræi plurimum utilitatis in ſe habere exiſtimabant. Hujusmodi enim reginine nobis opus eſſe*, *cui nullatenùs refragari valeamus*: *tale autem eſſe regimen Dei*: *qui cùm tantus ſit*, *dignum quoquè eſſe qui univerſis imperet. Rectè enim ab iis dictum eſt*, *animal iſtud naturâ proclive eſſe ad proterviam*: *itemque inclinatione*, *cupiditatibus aliisque affectibus variam*; *ideoque tali eminentia atque ſuperinſpectione opus habuiſſe*, *à qua moderatio & ordo proveniret. Siquidem exiſtumabant*, *unumquemque naturalis hujus mutabilitatis ſuæ conſcium nunquàm pietatis cultusque divini obliviſci debere*: *ſed aſſiduè menti ſuæ proponere Numen*, *tanquàm quòd hominum actiones obſervet*, *iisque indeſinenter invigilet.* Mentem hominis immortalem ſeu potiùs deſtrui neſciam agnovit; interim inepta opinione de μετεμψυχωσει veritatem

longè momentoſiſſimam turpiter commaculavit: quòd ſi vel maximè Deum, Providentiam, mentis immortalitatem admiſiſſet, nondùm tamen is eſſet, qui nobis perſuaderet, *Deum in ſui gratiam miracula feciſſe.* Hæc enim præcepta, mediocri adhibita attentione & meditatione, facile cognoſci poſſunt. At ſequentia oſtendent, genuina hæc Theologiæ naturalis principia, ineptis opinionibus & cultu fuiſſe deturbata. *Deum* colendum eſſe juſſit, ſed & *Dæmones* & *Heroas.* Aureorum carminum tres priores verſus ita habent: Ἀθανατους μεν πρῶτον Θεους νομῳ ὡς διακειται τιμα. Καὶ σεβου ὁρκον· ἐπειθ' ἥρωας ἀγαυους. Τους δε καταχθονιους σεβε δαιμονας ἐννομα ῥεζων. En commentarium *Hieroclis* ex verſione Dacierii: *Il faut honorer les Dieux de cet Univers, ſelon l'ordre dans lequel ils ſont établis, & que la loy naturelle, qui les a produits, leur a distribué avec leur eſſence, en les plaçant les uns dans la première Sphère céleſte, les autres dans la troiſième & ainſi de ſuite, juſqu'à ce que tous les globes céleſtes ayent été remplis. Car de les reconnoître, & de les honorer ſelon l'ordre & le rang, qu'ils ont été placés par leur Createur & leur Pere, c'eſt obeïr à la loy divine. C'eſt leur rendre véritablement tout l'honneur, qui leur eſt dû.* Per *Deos* autem univerſi illos *duodecim* majores intelligebant Deos, quos communiter Gentiles colebant: at hoc ipſo patet, *turpiſſimæ idololatriæ reum eſſe Pythagoram.* Pag. 247. quærit *Dacier*, cur in hiſce verſibus Deorum tantùm ſeu filiorum Dei, uti loquebantur *Platonici* & *Pythagorici*, mentio fiat, non

item

item *Parentis* omnium rerum; reſpondet: *Cela vient à mon avis, de ce que Pythagore ſuivit les Egyptiens, & que les Egyptiens ne parloient jamais du premier principe, qu'ils regardoient comme environné de tenèbres qui le cachoient.* Profert eum in finem locum Damaſcii dicentis: Πρωτην αρχην σκοτος, ὑπερ πασαν νοησιν σκοτος αγνοστον. At ita ſanè *Pythagorica Theologia* potiùs *accuſatur*, quàm *defenditur.* Miſerrimus eſt ille cultus, qui nititur ignorantiâ ſapientiſſimi omnium rerum Moderatoris. Quid enim ſunt cæteri? Dæmones, Heroës, homines, imò mera corpora. Verùm enimverò cauſſa in aperto eſt, cur adeò paucis Dei ſummi rerum Moderatoris mentionem faciat, Dii colendi nimirùm νομῳ ὡς διακειται. Silet etiam *Hierocles* de *juramentis*, quæ à *Pythagoreis* non per ſolum *Deum*, ſed & *Pythagoram* fiebant:

> Και μα τον αμετερας σοφιας ἑυροντα τετρακτην
> Παγαν αενναυ φυσεως ριζωμα τεχυσαν.

Id eſt:

> *Juro illum Sophiæ, à quo noſtræ inventa tetractys,*
> *In qua naturæ fons eſt radixque perennis.*

Conferatur *Küſterus* ad hunc locum, & *Holſtenius* ad Porphyrium, num. 20. Perſuaſionem de mentis immortalitate multùm facere ad veræ virtutis ſtudium nemo facilè dubitaverit; at *Pythagoras*, dùm μετεμψυχωσιν propugnavit, omnem huic perſuaſioni vim atque pondus detraxit. Is certè, qui ſibi perſuadet, mentem poſt mortem continuis migrationibus in alia cor-

pora obnoxiam fore, parùm curabit probitatem & virtutem. Vita hæc tantis doloribus & miſeriis eſt obſepta, ut optimi quique, ſi pacatiſſimè etiam atque tranquillè vixerint, fateri tamen cogantur, dolores, quos perpeſſi ſunt, majores fuiſſe deguſtatis voluptatibus: quòd ſi nulla ergo ſpes eſt in ha vita, nos tandem in portum tranquillitatis perventuros: ſed per omnem æternitatem per innumera corpora, animalia, plantas migraturos, omnis rectè vivendi conatus ex animo ejicitur; certè ita Deus nos malefaciendi cauſſa & æternùm torquendi condidiſſet. Ipſe *Pythagoras*, poſtquàm (ſi credere fas) multa corpora inhabitaſſet, tandem à Crotonienſibus malè habitus, aut cum mœrore vitam finivit, aut, ut alii perhibent, igni traditus eſt. Poſt mortem denique innumeris demùm corporibus inſertus, oberrare debuit. Haud me quidem latet, *Dacier* aliosque non ad litteram hanc μετεμψυχωσιν interpretari; ſed utì clar. *Clericus Bibl. Select.* Tom. XX. rationibus *Dacier* breviter at ſolidè ſatisfecit; ſic facilè etiam aliorum objectionibus occurri poteſt. Verbo dico, *loca veterum*, cumprimis ipſorum *Pythagoreorum* ita comparata ſunt, ut alium ſenſum ferre per rectæ interpretationis leges non poſſint. Adduximus ſuprà jam locum *Jamblichi*, qui extat pag. 48. Similia apud eumdem pag. 71. Εις μονον των ζωων ὐκ ἐισερχεται ἀνθρωπυ ψυχη, ἁ θεμις ἐςι τυθηναι. Δια τυτο των θυσιμων χρη ἐσθιειν μονον, ὁις ἀν το ἐσθιειν καθηκη. i. e. *Anima humana in ea ſaltem animalia non ingreditur, quæ mactare fas eſt: ideoque ex immolabilibus*

inviolabilibus illa ſola comedenda, quæ pro victimis cædere licet, à cæteris omnibus abſtinendum. Porphyrius pag. 42. *Hæc apud omnes pervulgata ſunt, primò quidem, quòd animam immortalem eſſe affirmaverit, deinde diverſam eam animantium genera ſubire: ad hæc poſt certos temporum circuitus, idem, quod olim fuerat, rurſus fieri, & nihil omninò novum exiſtere: & animata omnia cognata inter ſe ejusdem generis exiſtimanda eſſe.* Conferatur *Rittershuſius* ad h. l. Incertus Auctor de vita *Pythagoræ*, *Jamblicho* & *Porphyrio* ſubjectus, in Edit. *Kùſteri*, pag. 58. *de Pythagoreis: Iidem ab animatis abſtinebant, propter transmigrationem animarum, quam ſtulta opinione veram exiſtumabant.* Ipſe *Apollonius* apud *Philoſtratum*, Lib. VIII. pag. 333. *de Pythagora: Ex hac autem puritate tùm alia cepit emolumenta, tùm hoc maximè, ut ſuam animam cognoſceret. Nam cùm ea vixerit ætate, quâ ob raptam Helenam Troja eſt oppugnata, & filiorum Panthi pulcherrimus extiterit, pulcherrimèque veſtitus; eâ interfectus eſt, quæ & Homero agendi cauſſam præberet. In multa deinde corpora ubi immigraſſet, Adraſteæ lege, juxta quam varias anima vices ſubire ſolet, tandem in hominis formam rediit, & Mneſarchidæ Samio natus eſt, ſapiens ex Barbaro, & ex Trojano factus Jonius, atque ita morti inviolabilis, ut re Euphorbum quidem ſe eſſe dememiniſſet.* Plura ex aliis Auctoribus non adducam. Ad *ineptam* autem ſtultamque opinionem, qualis hæc *Pythagoræ* fuit, confirmandam, *opus eſt*, ſcilicet, ut *Deus* ipſe ſanctiſſimus & ſapientiſſimus *inſolita* edat *portenta.* Pergamus.

gamus. *Dacier* in vita *Pythagoræ* pag. 62. poſtquàm docuit, *Pythagoram* juſſiſſe coli Deos, Dæmones, Heroas, ita pergit: *Au deſſous de ces Heros* ou *Anges*, *il mettoit les ames des hommes, qu'il appelloit avec raiſon les dernières des ſubſtances raiſonnables, comme il appelloit ces Anges, les ſubſtances moyennes placées entre les Dieux immortels, & les ames des hommes, pour unir ces ames, avec ces fils de Dieu, & par eux, avec Dieu même. De là il tiroit deux conſequences, qui me paroiſſent dignes d'une grande conſideration: La premiere, que quand les ames des hommes avoient depouillé dans ce monde, toutes les affections charnelles, & qu'elles avoient orné & relevé leur nature pour l'union avec Dieu, elles devenoit dignes des reſpects, & des hommages des autres hommes. La ſeconde conſequence, qui n'eſt pas moins remarquable, que la premiere, c'eſt que les ames des hommes étant les dernieres des ſubſtances raiſonnables, elles étoit auſſi les dernieres, auxquelles les hommes pouvoient étendre leur culte, & qu'ainſi on ne devoit honorer, aucune nature inférieure à celle d'homme.* Sinè ambagibus dicere potuiſſet *Dacier*, *Pythagoram* credidiſſe dari *Purgatorium*, animasque cœlo receptas ab hominibus colendas eſſe; quod ſi concederemus *Dacier*, nihil aliud inferri poſſet, quàm *Eccleſiam Romanam* turpiſſimam ſuperſtitionem *Pythagoræ* approbare. Bonus *Dacier* ubique oſtendere voluit, ſe veri nominis *Proſelytum* eſſe, *dignumque Eccleſiæ Catholicæ membrum.* Quod in *Novi Teſtamenti volumine* deprehendere non potuit, videt in *ingenioſiſſimis*

&


& *divinis ſcilicèt ſcriptis Pythagoræ.* (*) Fortè tamen *Pythagoras* legit *Apocrypha Veteris Teſt.* aliam indutus perſonam; vix enim credibile adeò *ingenioſam doctrinam* & *myſterii pleniſſimam* ſola ratiocinatione inventam. Præſtabit interea, ſi miſſis explicationibus *Dacierii*, *Jamblichum* veteresque audiamus, qui qualem cultum Diis exhibuerit *Pythagoras*, aliisque præſtandum exiſtimarit, pulchrè docuerunt. Speciminis loco (neque enim omnia adferre licet) quædam ex ipſo *Jamblicho* adducemus. Pag. 126. de eo ait: *Deos laude bonisque verbis proſequebatur: nec ullum tempus absque illorum mentione cultuque transmittebat: ita ut etiam inter cœnandum Diis libaret, & quotidiè Numen hymnis honorare præciperet. Obſervabat & omina & vaticinia & ſortes omnes fortuitò oblatas. Diis ſacra faciebat thure, milio, placentis faviſque & quibusvis ſuffimentis: animalia autem ipſe non immolabat, nec ullus Philoſophorum theoreticorum. Omninò autem ajunt, Pythagoram ſtylo animoque Orphei æmulatorem fuiſſe, eodem planè, quo Orpheus, modo, Deos coluiſſe: dùm eos propoſuit in ſimulacris & ære, non noſtris figuris alligatos, ſed per divinas imagines, tanquàm qui omnia complectuntur, omnibus provident, & formam habent, tàm quoad naturam, quàm quoad figuram, toti univerſo ſimilem. Præſcripſiſſe ipſum luſtrationes & initationes, utì vocantur, accuratiſſimam*

(*) Vide Biographiam hujus Viri, quæ extat in Diario Litterario, cujus titulus: Bibliotheque Françoiſe Tom. I. premiere partie.

mam Deorum notitiam complexas. Inſuper dicunt, eum compoſitam quandam rerum divinarum Philoſophiam Deorumque cultum inſtituiſſe: cùm quædam didiciſſet ab Orphicis, quædam à Sacerdotibus Ægyptiis, alia à Chaldæis & Magis, nonnulla ex initiis, quæ fiunt Eleuſine, in Imbro, in Samothracia & Delo; aliqua porrò etiam ex iis, quibus Celtæ & Iberi communiter utebantur. Dicitur etiam obſervâſſe, quòd homines ter libent, quòdque Apollo ex tripode reſponſa det: quia trias primarius numerus habeatur: Veneri verò ſextæ die ſacra fieri, quia primus hic numerus de omnium cæterorum numerorum natura participat; & quovis modo diviſus, eandem in ſubtractis & reſiduis vim habet: Herculi denique ſacrificandum eſſe die octavo menſis ineuntis; reſpiciendo ad nativitatem ejus ſeptimeſtrem. Addit porrò, templum non eſſe intrandum, niſi cum veſte pura, in qua nemo dormiverit: ſomnum enim ignaviæ, perindè ut nigrum & fuſcum; puritatem verò æquabilitatis in ratiocinando & juſtitiæ ſignum eſſe. Præcepit autem, ſi involuntariò ſanguis in templo fundatur, vel auro, vel mari luſtrationem fieri debere: primum quippe illud, & rerum pulcherrimum, & menſuram pretii eſſe, quo cuncta æſtimari ſolent; hoc verò primum eſſe humidæ naturæ fœtum, primæque & communioris materiæ nutrimentum, opinatus. In templo dixit, pariendum non eſſe, ut in loco ſacro divina anima corpori alligetur; fas enim non eſſe, ut in loco ſacro divina anima corpori alligetur: Die feſto nec capillos, nec ungues præcidendos; non enim convenire ait, ut relicto Deorum obſequio noſtra commoda pro-

procuremus; nec pediculum in templo necandum, ne quid de eo, quod inutile & corruptibile eſt, Numen participet: Deos autem colendos cedro, lauro, cupreſſo, quercu ac myrto; ideoque horum nullo corpus repurgandum, aut dentes fodiendos; coctum non eſſe aſſandum, loculos ſive arus ſepulchrales cupreſſinas fieri vetuit, quia Jovis ſceptrum è cupreſſo fabrefactum eſt, vel propter aliam quandam myſticam rationem: ante menſam Jovi Servatori & Herculi & Caſtoribus libandum eſſe ſtatuit, ut ſic Jupiter, tanquàm alimoniæ dux & auctor, laudetur, in Hercule verò naturæ potentia, & in Caſtoribus rerum omnium harmonia celebretur: libamina non eſſe clauſis oculis offerenda; nec enim putabat, quicquam eorum, quæ bona ſunt, mereri, ut cum pudore & verecundia tractetur: cùm tonat terram tangendam eſſe, in memoriam generationis rerum: à dextra intrandum eſſe templum, à ſiniſtra egrediendum; dextrum enim ſtatuebat eſſe principium numeri imparis, & divinum quidpiam; ſiniſtrum verò pro ſymbolo numeri paris & diſſoluti habebat: hic fertur ejus modus fuiſſe pietatem excolendi. Hactenùs *Jamblichus.* Non neceſſe eſſe puto, ut pluribus oſtendam, quàm inepta & rectæ rationi contraria ſint hæc præcepta, quàmque prorſùs nihil valeant ad mentem hominis perficiendam & emendandam, ſed potiùs ridicula, & abſona ſuperſtitione pervertendam. Novi hinc inde ab eruditis quædam *ingenioſa & pulchra præcepta* adduci, at illa à *totius Philoſophiæ Pythagoricæ corpore avulſa abſtractaque* ſunt, ſilentio involutis interim innumeris

meris *ineptiis* & *anilibus nugis*, Philoſopho indignis. Quòd ſi vel maximè multa eſſent rationi convenientia præcepta, & generi humano utilia, quæ ſinè mixtura erroris prolata fuiſſent à Pythagora, nihil hoc planè ad *miraculorum certitudinem* demonſtrandam adferre poſſet *ponderis:* cùm enim omnes ferè gentes, ſaltem inter omnes ſemper plurimi fuerint, qui diligentiori culturæ rationis dediti, rectæ rationis decreta ſequebantur, neque tamen ullis miraculis clari fuerint; cauſſa eſſet reddenda, cùr is potiſſimùm ſingulari hoc dono ornatus eſſet, qui præter ea, quæ ſola ratione addiſci poſſunt, in medium nihil protulit. At non opus eſt, ut quæſtionem hanc examini noſtro ſubjiciamus. Adducta ſatis teſtantur, (longè plura, ſi quis poſtularet, adducere poſſem;) *Decreta Pythagoræ pleraque obſcura, inepta, ſuperſtitioſa, caſtiſſimo Dei cultui, voluntatique contraria eſſe.*



CAPUT

CAPUT VI.

De Apollonii Tyanenſis doctrina & moribus.

PYthagoram excipiat *Apollonius.* Hiſtoriam vitæ & rerum geſtarum Apollonii conſcripſit *Philoſtratus*, de cujus fide jam quidem ſolliciti non erimus, ſed quaſi omnia certa indubiaque forent, per tempus eum audiemus. Quemadmodùm *Pythagoræ* nativitas miraculi plena erat, ita etiam *Apollonii.* Vix enim magni Viri ſinè portentis in lucem prodeunt. Philoſt. Lib. I. Cap. 4. Κυȣση δε αυτȣ τη μητρι, Φασμα ἠλθεν Ἀιγυπτιȣ Δαιμονος, ο πρωτευς, ο παρα τω Ὁμηρω ἐξαλλαττων, η δε ȣδεν δεισασα, ἠρέlο αὐτον τι ἀποκυησοι, ο δε ἐμε, ἐιπε· συ δε τις; ἐιπȣσης· πρωτευς ἐφη ὁ Ἀιγυπτιος Θεος· i. e. *Matri utero eum geſtanti ſpectrum apparuit Ægyptii Dei, qui apud Homerum in varias ſeſe vertit formas: illa verò nihil territa, quemnam paritura eſſet interrogavit· ille, me, inquit. Tu verò quis? illâ dicente: Proteus ſum, reſpondit Deus Ægyptius.* Nihil dicam de Proteo, ejusque reſponſione, ſed immediatè ſequentia verba Philoſtrati tantùm adponam: *Quantò verò inquit Sapientia Proteus fuerit, quid dicere attinet? præſertim apud eos, qui ex Poëtis didicerint, quàm verſatus fuerit, & alius ſemper, & quàm capi non poſſit: utque ſcire omnia, tàm facta quàm futura ſit creditus.* Credamus igitur *Philoſtrato* teſti fide digniſſimo, *Apollonium* per omnem vitam *Proteum*, id eſt, *Agyrtam* fuiſſe.

F De

De altero *miraculo*, quod circa ipſius *nativitatem* contigit, & quod capite quinto narratur, jam quidem ſilebimus, primum enim ſufficit. Inter optimarum autem litterarum ſtudia excolere incepit *Philoſophiam*, & quidem *Pythagoricam.* Τȣς δε γε Πυθαγορειȣς, αῤῥητω τινι σοφια ξυνελαβε· *Pythagorea verò ineffabili quodam ſtudio complexus eſt*; iterùmque eodem Cap.LXXI. Ωρμησεν επι τον τȣ Πυθαγορȣ βιον, πτερωθεις επ' αυτον υπο τινος κρειττονος. *Interrogatus undè vivendi initium facere vellet, reſpondit, unde Medici ſolent.* Και γαρ ἐκεινοι καθαιροντες τας γαςερας, τȣς μεν ȣδε νοσειν ἐωσι, τȣς δε ἰωνται· *Hi namque ventres purgantes, alios præſervant à morbo, alios verò ad ſanitatem reducunt.* Præſtitiſſet, ſi *Apollonius* à *purgando cerebro* initium laborum & ſtudiorum feciſſet. At aliter placuit *Apollonio: Hinc animalium eſu, tanquàm impuro & mentem hebetante abſtinuit, bellariis verò & oleribus veſcebatur, pura eſſe dicens, quæcunque terra ſuppeditabat. Vinum autem purum quidem potum eſſe affirmabat, quod ex arbore adeò hominibus manſueta veniat, bono tamen ſtatui mentis adverſari, qui in animo eſt, perturbet.* Inſignis ea ætate fuit *Philoſophus.* Noſtræ enim ætatis *Philoſophi* poſt diuturnam multorum annorum meditationem eò pervenire non poſſunt, *ut in mente ætherem deprehendant.* At mirum non eſt, hæc ſciviſſe *Apollonium*; teſte enim *Philoſtrato* familiariter utebatur *Æſculapio.* Quinquennali ſilentio fuit initiatus ad *ſacram* illam *Philoſophiam* addiſcendam, quod tamen majorem vim in animos habuit, quàm diſertiſſimorum oratorum eloquen-

eloquentia. Rem ita narrat *Philoſtratus* Cap. XV. *Moratus autem eſt hoc ſilentii tempore, partim in Pamphylia, partim in Cilicia; cùmque per gentes tam molles iter faceret, nunquàm tamen locutus eſt, neque ut vel mutiret adduci potuit. Si quandò in civitatem ſeditioſam incidiſſet, multa (multa autem disſidebant, ſpectaculorum nihil laudabile habentium gratia) in medium prodiens ſeque palàm oſtendens, àtque reprehenſionem, quàm parabat, aliquo modo ipſa manu vultuque præ ſe ferens, omnem confuſionem amovit, ita ut omnes ſicut in myſteriis ſilentium tenerent:* adeò verum eſt illud Virgilii:

- - - in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus.
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.
Tum pietate gravem ac meritis, ſi fortè virum quem
Conſpexêre, ſilent, arrectisque auribus aſtant
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Hoc unum diſcrimen, quòd *Apollonius* non *dictis*, ſed *ſilentio*, disſidentes compoſuerit. Maturè autem, ut *famam ſancti Viri* acquireret, operam dabat. Ἡλιꙋ μεν δη ἀνισχοντος ἐφ᾽ ἑαῦꙋ τινα ἐπραττεν, ἁ μονοις ἐποιει δηλα, τοις τετταρων σιωπαν γεγυμνασμενοις· i. e. *Sole quidem oriente, à turba ſemotus, nonnulla patrabat, quæ ſolis aperiebat eis, qui quadriennio ſilentium exercuiſſent.* Cæteri enim mortales ſplendidam hanc lucem ferre non potuiſſent. Hinc noluit dicta ſua examini ſubmitti, pag. 21. Ὥσπερ ἐκτριποδος

ποδος οτε διαλεγοιτο, οιδα, ἐλεγε, και δοκει μοι, και ποι φερεσθε, και χρη ειδεναι· i. e. *Quandò diſputabat, velut ex tripode novi inquiebat, atque ita cenſeo, & quorſùm feremini, aut ſcire oportet. Cùmque interrogatus eſſet, quomodò ſapiens diſputare deberet, reſpondit:* Ὡς νομοθετης. At hæc, quæ hactenùs attulimus, levia ſunt. Sequentia oſtendent, *Apollonium* hominem *mendacem*, *ſuperbum*, *ſuperſtitioſum* & *fanaticum* fuiſſe. Age ſequamur ipſum *Philoſtratum*, plurimisque exemplis demonſtremus, his vitiis ipſum contaminatum fuiſſe: pag. 22. narratur, noſtrum *Magos*, qui Babyloniam ac Suſan habitant, adire voluiſſe, renuentibus autem diſcipulis ita reſpondiſſe: *Ego Deos adhibui conſultores, & eorum voluntatem expoſui vobis, veſtrumque cepi experimentum, an ad eadem, ad quæ ego animo valeatis: quandoquidem igitur molliùs vos geritis, valete & Philoſophiæ operam navate. Ego autem ibo, quò me Sapientia & Dæmon ducent.* En cerritum hominem & ingenium ad ſuperſtitionem pronum! Cap. XIX. Lib. I. cùm Damis *Armeniorum*, *Medorum*, *Perſarum*, *Caduſiorum* linguas ſe noſſe & intelligere diceret, reſpondit *Apollonius:* Ἐγω δε ὠ ἑταιρε, πασων ξυνημι, μαθων ουδεμιαν. Θαυμασαντος δε τε Νινιε, μη θαυμασης, ειπεν, ει πασας οιδα φωνας ανθρωπων. Οιδα γαρ δη και ὁσα σιωπωσιν ανθρωποι· i. e. *Ego quoque, ô Amice, ille reſpondebat, has omnes novi, cùm nullam tamen didicerim, & admirante Ninio, noli inquiebat mirari, quòd omnes hominum norim linguas: nam & quæ ſilentio homines premunt,*

vunt, novi. Non ſolùm *ineptus homo* linguarum donum ſibi vendicat, ſed & ea tribuit ſibi, quæ Numini ſoli competunt. Cùm transire cum *Damide* vellet in *Meſopotamiam*, publicanos ad tabulas accedere juſſit, quidque adveherent interrogavit. *Apollonius* igitur, *advebo*, reſpondit, *temperantiam, juſtitiam, virtutem, continentiam, fortitudinem, tolerantiam, multa eaque fœminei generis connectens nomina. Tum ille lucro ſuo intentus, jam igitur in tabulas ſe retuliſſe dixit ancillas. At nefas hoc Apollonius inquiebat, non enim ancillæ, ſed Dominæ ſunt, quas ego adduco. Si fuſtibus* publicani hic *morion* exceptus fuiſſet, dignum *reſponſione* accepiſſet *præmium.* Quamvis autem *perpetuo Deorum uteretur commercio*, atque cogitationes hominum ſciret, ab *Arabibus* tamen artem intelligendi voces brutorum animantium *didicit. Eſt enim* (ita pag. 21.) *Arabas inter vulgatum hoc oppido, ut & aves audiant futura canentes perinde atque Oracula; conjiciant verò brutas voces Draconum paſti, ut alii dicunt, corde, hepate, ut relatum eſt aliis.* Naſum non habet, qui turpiſſima mendacia non olefacit. Pag. 66. ridet igitur falſè *Apollonium* Euſebius in Hieroclem pag. 437. ex verſ. Olearii dicens: *Hic nempè omninò Draconum, ſivè cor, ſive hepar, Pythagoricum illum, à victu abhorrentem animantium & ne Diis quidem ſanguine rem ſacram facere ſuſtinentem, veroſimile eſt comediſſe, quo ſcilicèt in ſapientiæ gentis iſtius partes ipſe quoquè veniret. Apud Magiſtros enim ejusmodi, qua alia ratione, niſi eadem qua præceptores ſequendo, in inſtituto ſuo proficere potuiſſet?* At non ſolùm *Deus* quidam erat *Apollonius*, ſed & *Rex.* Quærente

enim Satrapâ Regis Babylonis, quinam eſſet, qui regis fines intraverit? reſpondit Apollonius: *Mea eſt univerſa terra: propterea, quocunque libuerit, pergendi facultas datur.* Nimirùm verum eſt illud *Horatii:*

Ad ſummam ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.
Præcipuè ſanus niſi quùm pituita moleſta eſt.

Quàmvis autem *Deus* eſſet & *Rex*, creaturis tamen cultum exhibuit. Pag. 39. *Quùm Rex Soli equum candidum mactaturus eſſet, occurrit Apollonius & dixit: Tu quidem, Rex, tuo more ſacrificato, mihi autem meo ritu ſacrificare permittito, thuraque manu capiens, inquit: O Sol quousque terrarum viſum mihi fuerit, & tibi me mittito; & ut in bonorum Virorum notitiam veniam, facito; improbos verò neque noſcere velim ego, neque noſci ab iis, hæcque dicens igni thura immiſit: intuens verò in eum, quà parte aſcendat, quà obfuſcatus appareat, & quot apicibus emicet, & quo loco, probansque ignem, quà bonum omne edere purusque eſſe videbatur. Tu, dixit, ô Rex, jam perge patriis moribus ſacra peragere, ita enim, qui mihi ſunt, patrii ritus ferebant; indeque à ſacrificio diſceſſit, ne in ſanguinis communionem veniret.* *Duo* hîc obſervo. *Primum* eſt, *Apollonium* ineptiſſimæ ſuperſtitioni deditum fuiſſe. Veteres, quos Homerus, θυοσκοπὺς vocat, motum flammæ & fumi ſtudioſè obſervabant, atque inde omnia capiebant, quod exemplis multis illuſtrat ὁ Μακαρίτης *Olearius* ad h. l. Secundum: hunc *incomparabilem virum cultum Solis* approbâſſe; quæ quàm ſint *digna Viro ſapiente & Philoſopho*

Philoſopho de cælo miſſo, qualem ſe jactitavit, nemo non videt. Miſer homo, quæ ſit λογικης λατρειας ratio, prorſùs ignoravit. *Felicior* autem fuit Rex in *fugandis ſpectris*, quàm *extirpandâ idololatriâ*, teſte *Philoſtrato* Lib. II. Cap. IV. *Iter dùm facerent* (ita Hiſtoricus) *clarâ lunâ*, *Empuſa ipſis occurrit ſpectrum*, *modò hanc induens faciem*, *modò aliam rurſus*, *modò planè evaneſcens*. *Apollonius autem*, *quidnam id eſſet perſenſit*, *atque Empuſam convitiis ipſe laceſſivit*, *comitesque*, *ut idem facerent*, *eſt hortatus*: *id enim contra ejusmodi inſultum ajebat remedium eſſe*. *Spectrum itaque fugatum eſt*, *ſtridens*, *ut ſolent larvæ*. Audis *Quixoti* vocem? Sequuntur autem jam *mendacia* quædam, quæ tantùm non *palpari* poſſunt. Nihil jam dicam, de quo ſuprà jam mentionem feci, quòd *Smyrnæ ſimul*, & *Epheſi eodem tempore ſe* fuiſſe perhibuerit. Lib. III. cap. XXIII. narrat, ſe olim *Ægyptiæ navis Gubernatorem* fuiſſe. Lib. IV. cap. XI. cum *mortuis* ſe converſatum ait. Cap. XVI. narrat prolixè, quale ſibi cum *Achille* interceſſerit colloquium. Atque hoc ſe obtinuiſſe precibus adhibitis; *Achillem* autem ita allocutus eſt: *O Achilles*, *te quidem mortuum eſſe vulgus hominum exiſtimat*. *Ego tamen neutiquàm in illam concedam ſententiam*, *neque Pythagoras concedit*, *Sapientiæ meæ Parens*. *Tu igitur*, *ſi rectè ſentimus*, *monſtra nobis ſpeciem tuam*. *Certè enim multum ex oculis meis emolumenti ceperis*, *ſi ipſis teſtibus tibi uti licuerit*, *te adhuc vivere*. His narratis prolixè, quâ formâ apparuerit narrat, & quid ad quæſita reſponderit. Nemo non videt *mendacia mendaciis tegi*, *ne perpluant*. Tota enim narratio hæc excogitata,

ut inani opinioni de *μετεμψυχωσει* pondus adderet. Cùm autem *Apollonius* contendat, ſe arte mortuos evocandi inſtructum, meritò *γοης* appellatus, teſte enim *Cedreno* pag. 41. *Γοητεια καλειται απο των γοων και θρηνων των περι τους ταφους τοις τα τοιαυτα επιτιδευουσι γενομενων.* Hinc & ipſum *Pythagoram*, Præceptorem noſtri, *Philaſius* Scriptor Sillorum eodem titulo inſignivit, teſte *Plutarcho*, in *Numa*, pag. 69.

Πυθαγορην δε γοητα αποκλιναντ' επι δοξας,
Θηρη επ' ανθρωπων σεμνηγοριης οαριζιν.

Id eſt:

Pythagoramque Magum captantem nominis auram
Venantemque hominum gravibus ſermonibus aures.

Eundem titulum *Apollonio* à Sacrorum Antiſtite Athenienſium datum, ipſe monet* *Philoſtratus* Lib. IV. cap. XVIII. cùm enim Sacris Athenienſium initiari volebat, *ουκ εβουλετο ὁ Ἱεροφαντης παρεχειν τα Ἱερα, μη γαρ αν ποτε τυησαι γοητα, μηδε της ελευσινα ανοιξαι ανθρωπω μη καθαρω τα Δαιμονια.* Haud ignoramus equidem, *Philoſtratum* titulum *Incantatoris* ab Apollonio conatum amoliri, Lib. IX. cap. XII. *Ὁι γοητες,* inquit, *ἡγουμαι δ' αυτους εγω κακοδαιμονεστατους ανθρωπων, ὁι μεν ες βασανους ειδωλων χωρουντες, ὁι δε θυσιας βαρβαρους, ὁι δε εις το επασαι τι, ἡ αλειφαι, μεταποιειν φασι τα ειμαρμενα.* Και πολλοι τουτων κατηγοριαις ὑπαχθεντες, τα τοιαυτα ὡμολογησαν, σοφοι ειναι. Ὁ δε ειπετο μεν τοις εκ μοιρων, προυλεγε δε ὡς αναγκη γενεσθαι αυτα, προεγιγνωσκε δε ου γοητευων,

τευων, ἀλλ' ἐξ ὧν οἱ Θεοὶ ἔφαινον· i. e. *Incantatores (eos autem & ego omnium hominum infeliciſſimos judico) partim ſpiritibus torquendis ſe applicant, partim ſacrificiis barbaris, partim carminibus veneniſve ſeſe fatis ſancita mutare jactant: multique eorum accuſati, talia falſi ſunt ſe callere. Apollonius autem ſequebatur à fatis ſancita, anteà prædicens, tantùm neceſſariò ea futura eſſe, ipſe autem antè noverat ea, non incantamentis uſus, ſed ex his, quæ Dii monſtrabant.* At fruſtrà eſt *Philoſtratus*: lubens crediderim equidem, *Apollonium* familiari Dæmonum congreſſu non uſum, merumque fuiſſe *Agyrtam*: at *Philoſtratus* tamen ipſe de eo ita loquitur, ut aliter credere non potuerint homines, quàm *Magum* ipſum fuiſſe. Hinc etiam publicam tùm temporis famam fuiſſe, teſtimoniis aliis, præter ea, quæ adduximus, probat *illuſtris Huetius*, *Demonſtrat. Evang.* pag. 1067. Edit. Lipſ. qui tandem ad hanc ipſam objectionem *Philoſtrati* jam allatam ita reſpondet: *Signa illa (quæ ipſi à Diis conceſſa dicuntur) non expreſſit Philoſtratus, nec ex rerum contextu ea prænoſci potuerunt ab Apollonio, quæ prænoviſſe ipſum ſcribit. Noxia prætereà & magica carmina ſecretò pronuntiari poſſunt, etiam inſciis, qui proximè adſtant. Deinde ſexcenta ſunt alia arcanæ divinationis genera, à Viris doctis accuratè diſtincta & notata, quibus uti Apollonius potuit.* Et paucis interjectis: *Quanquàm ob hæc ipſa, ſi minùs convictum, at hujus certè impietatis ſuſpectum habere poſſumus: nam ex veteri Barbarorum horumce Philoſophorum magia multùm deflexerat recentior illa, & à præ-*

claris naturæ ſtudiis ad damnoſas & nefarias artes ſeſe demiſerat, quod tota Philoſtrati narratio patefecit. Quis verò eum putet, qui cum Magis conſervatus, eorum præceptis inſtitutus, eos demiratus, mirificisque laudibus extollere ſolitus ſit, ipſum vetitæ hujus Magiæ expertem manſiſſe, præſertim, qui ea opera edere conſueviſſet, in quibus edendis præcipuum artis ſuæ fructum Magi collocant? Ita *Huetius.* Non eſt ſilentio prætereundum, quòd Euſebius *Apollonium* Magiæ accuſat, argumento petito ab ipſa *definitione Magiæ*, quam *Apollonius* dederat, pag. 461. *Apollonius* dixit: Ἀλλα τȢς γοητας ψευδοσοφȢς φημι. Τα γαρ Ȣκ ὀντα ἐιναι παρ᾽ αυτοις, και τα ὀντα, ἀπιϛειϑαι· i. e. *Magos falſæ ſapientiæ puto alumnos eſſe. Nam quæ non ſunt, ut eſſe videantur, & quæ ſunt, ut non eſſe videantur, faciunt.* Poſita hac definitione ita pergit *Euſebius: Ex tota igitur iſta tractatione & ſigillatim expoſitis omnibus, diſcas licèt, an in Diis, an in Philoſophis, an in Magis cenſendus ſit, iis admiſſis, quæ ipſe de Magis & ſpuriæ Sapientiæ cultoribus dixit, & quæ hiſtoria ejus de ipſo retulit. Nam quercus & ulmi articulata ac muliebri voce locutæ, tripodes etiam ſpontaneo motu incedentes, æreique ſervi discumbentibus miniſtrantes, imbrium item dolia ac ventorum & Sadarocina aqua, & quæ alia repræſentantur ab iis, quos Deos eſt arbitratus, & quos ne Præceptores quidem agnoſcere eſt dedignatus, in quem alium competere putes niſi in eos, qui quæ non ſunt, ut eſſe videantur, & quæ ſunt, videantur non eſſe, efficiant? quos ipſe Magos appellans, ſpuriæ Sapientiæ cultores eſſe demonſtrat. Num igitur iſtis argumentis*

divinus

divinus hic, omnique virtute excultus, ipſisque Diis gratiſſimus, Sapientiæ coronatus brabeo, ipſo divinior Pythagorâ, ejusque diſcipulis, beatiorque cenſendus erit? An contra ſpuriæ Sapientiæ damnatus inter infelicisſimos primas feret potiùs? Ita Euſebius. Nobis perinde eſt, utrùm Magus dicatur nec ne. Sufficiat, ex hoc conſtare, hominem illum longè *ſuperſtitioſiſſimum* fuiſſe & *fanaticum*; inſuper diffiteri nemo poterit, talia *Philoſtratum* ipſi adſcribere, quæ hodienum fractis vocibus pupulis ſuis, de ſagis & veneficis narrant nutriculæ. Memorabile exemplum extat Lib. IV. Cap. XXV. Fabulam paulò prolixiorem in compendium contraham, ſervatis *Philoſtrati* verbis: *Erat multorum opinio, Menippum Philoſophum Cynicum a peregrina muliercula amari. Mulier verò emendatæ formæ eſſe videbatur, & delicata affatim, divitiisque ſeſe ajebat abundare. Horum tamen nihil ita reverâ ſe habebat, ſed impoſtura omnia erant. Via nempe, quæ Cenchreas ducit, ſoli aliquando incedenti obviam factum eſt ſpectrum, fœminæ autem habebat ſpeciem, dextramque junxit, eum jam pridem ſeſe amare inquiens, eſſe autem ſeſe phœniſſam gente, & in ſuburbano Corinthio habitare, quo ſi veſperi, inquit, ad me veneris, cantantem me audies, & vinum bibes, quale antea nunquàm bibiſti, nec eſt, quòd rivalis metuas furores, bona enim fide cum bono vivam. Victus iſtis adoleſcens, veſperi ad eam venit, atque deinceps aſſiduè eam frequentavit, tanquàm delicias ſuas, nunquàm anteà ſpectrum eam eſt ſuſpicatus. Apollonius ad Menippum converſus, tu colubram foves, & te fovet colubra: mirante autem Menippo: nempe fœmina tibi eſt inquit, cum qua nuptias conjungere haud poſſis.*

Quid

Quid verò, an te amari ab illa putas? Puto per Jovem reſpondit, quando quidem me vehementer amat. An igitur, inquit Apollonius, eam tibi connubio jungeres. Imò jucundiſſimum fuerit, reſpondit ille, amantem ducere. Interrogavit igitur, quandò futuræ nuptiæ ſint; ille autem, jam res calet, dixit, fientque die forſan craſtinâ. Obſervans igitur Apollonius convivii tempus, & ſuperveniens convivis, qui modò acceſſerant, ubinam, inquit, eſt delicatula illa, cujus cauſſa compotatio hæc inſtituitur? Hic eſt, inquit Menippus, ſimulque ſurrexit rubore ſuffuſus. Tunc Apollonius: Argentum autem hoc & aurum, cæteraque triclinii ornamenta, utrius ſunt veſtrum? mulieris reſpondit, mea enim iſta. Tunc Apollonius: Tantaline vidiſtis hortos, qui ſunt & non ſunt? Vidimus apud Homerum, reſponderunt, ad inferos enim non deſcendimus. Talia, ille regerebat, apparatum illum omnem putate: οὐ γαρ ὑλη ἐςιν, ἀλλα ὑλης δοξα, *neque heic res ſunt enim, ſed rerum ſpecies. Ut autem, quod dico verum eſſe videatis, bona hæc ſponſa una eſt ex Empuſis, quas Lamias vulgò & Larvas appellant. Appetentes autem illæ eſſe ſolent, non Veneris quidem, ſed carnium: maximè autem humanas appetunt, & Veneris æſtro agitant devorare, quas cupiunt. Illa autem bona verba dixit, tu verò apage: ſeque averſari præ ſe ferens, quæ audiebat, in Philoſophos invecta eſt aliquantùm, quaſi ſemper nugaces. Ubi verò aurea pocula, & quod videbatur argentum, evanida eſſe oſtenſum eſt, & ex oculis diffugere omnia; pincernæ item & coqui, ac reliqua familia omnis diſparuit, Apollonio ea arguente; lachrymas ſpectrum ſimulavit, & ne torqueret ſeſe, neve quid eſſet fateri cogeret, oravit. At illo urgente, neque dimittente,*

Empuſam

Empuſam ſe eſſe eſt faſſum. Menippum autem ſagi-naſſe voluptatibus, ut ejus corpus devoraret. Poſtquàm hæc recitâſſet Philoſtratus, hæc addit: *Iſtam ergo rem, celebratiſſimam earum, quæ ad Apollonium pertinent, neceſſitate quâdam adductus, paulò prolixiùs expoſui, multis enim nota eſt illa, cùm in media Græcia ſit geſta. Summatim tamen tantùm de ea accepère, quòd Lamiam Corinthi deprehenderit; quid molitam autem ceperit, & quòd in gratiam Menippi patrata hæc fuerint, anteà non noverant.* Ita *Philoſtratus.* Duo ad fabulam illam annoto: *primum* eſt, ipſum Philoſtratum ſibi contrarium eſſe. A *Magiæ* crimine Apollonium liberare vult, ita tamen eum nobis deſcribit, ut aliud credere non poſſimus. *Sagæ* ſanè & *venefici* jactare ſolent, ſe ubique animadvertere *res miras*, *Dæmones* præſertim, quos alii oculis probè inſtructi videre non poſſunt. Nec *Menippus*, nec convivæ, obſervant ſponſam illam ſpectrum eſſe, ſolus *Apollonius. Menippus* eam amat, familiariter eâ utitur, & amoris guſtat delicias, nec tamen advertit. *Apollonius* autem ſolus hæc omnia videt. Oportet igitur eum ope Dæmonum artem hanc addiciſſe, vel, quod verò ſimilius, *ſplendidè mentitum eſſe. Philoſtratus* ſecundò malam prodit fidem; quis enim credat, ſi verè res geſta fuiſſet in media Græcia, circumſtantias illas ignotas fuiſſe, nullique præter Philoſtratum narratas? At ornamentis opus erat ad fabulam condendam. Nec multùm abludit exemplum, quod extat Lib. VI. Cap. XXVII. de *Satyro*: *Infeſtabat vicum Æthiopiæ decimum jam menſem Satyri ſpectrum, libidinis æſtro adverſus fœminas furens; jam-*

que duas interfeciſſe ferebatur, quas amare maximè viſum fuerat: exterritis igitur ſociis, Apollonius, nolite, inquiebat, timere, Satyrus enim heic loci petulanter fœminis inſultat. Per Jovem inquiebat Nilus, eumque nos Gymnoſophiſtæ, jam aliquamdiu protervè bacchantem, nondum adducere potuimus, ut inſultationibus ſuis deſiſteret. Eſt tamen, inquiebat Apollonius, adverſus protervos ejuſmodi remedium, quo uſum olim Midam fuiſſe perhibent. Ipſe ille Midas ex Satyrorum genere fuit, quòd ipſius aures manifeſtabant. Satyrus autem quidam, quaſi cognationis jure, ad ipſum quaſi commiſſator veniebat, in Midæ aures ludens, nec voce ſolùm, verùm etiam tibiis hoc argumentum tractans. Ille verò ex matre, ut puto, edoctus, quòd Satyrus vino captus, ſi ſomno ſepultus fuerit, ad ſanam mentem redeat, totuſque immutetur, fontem, qui propè regiam illi erat, vino miſcens, ei Satyrum immiſit. Ille autem bibit, & vino oppreſſus eſt. Utque ne fallax videatur hæc fabula, ad vici eamus præfectum, ſique habuerint vinum vicani, Satyro illud miſceamus: Sic enim idem, quod Midæ (Satyro) ei eveniet. Iſta fieri cunctis placuit; amphoras itaque vini quatuor ægyptias infudere aquario, ex quo pecudes vici illius bibere conſueverant, Satyrumque Apollonius invitavit, occultè etiam aliqua minatus, ille autem non apparebat quidem, vinum tamen, quaſi biberetur, ſubſedit, poſtquàm verò exhauſtum fuit, libemus, inquit Apollonius, Satyro, jam enim dormit. Quo dicto, vicanis ad Nympharum antrum præivit, quod jugeris ſpatio toto à vico non diſtabat, ubi dormientem illum, poſtquàm oſtendiſſet, ut verberibus & maledictis ei inferendis abſtinerent, præcepit. Jam enim, inquit, perperàm agere deſinet. Ita *Philoſtratus.*

Digitized by Google

loſtratus. Multa ad hanc fabulam commentari poſſemus, niſi alibi *ſingulari Diſſert.* de שעירם ad Levit. XVII. egiſſemus. Provocat autem cumprimis ad hanc hiſtoriam, quam narramus, *Bochartus* in *Hierozoïco*, probaturus, dari Dæmones quosdam ſylveſtres, hominibus illudentes & amore fœminarum incenſos. Traditio antiqua ſatis at vehementer incerta. Hodiè certè *Itineraria* ejusmodi Dæmonum ſylveſtrium nullam faciunt mentionem: hinc alii hircos fuiſſe, aut ſimiarum quoddam genus exiſtimant. De quo, loco citato. Rem ipſam à *Philoſtrato* narratam; quod attinet, 1. à *veriſimilitudine* quammaximè abhorret, ſivè Dæmones, ſivè hircos, amore mulierum inſanientes, vino ad ſanam mentem revocari. 2. Verba illa ἀφανως τι ἐπιπληττων oſtendunt, occultis illis verbis inſolitam vim ineſſe, ex mente *Philoſtrati*, adeò ut verbis potiùs illis occultis vacivas aures præbuerit *Satyrus*, quàm vino. Nemo non animadvertit magicarum artium ſpeciem, ſolent enim venefici, ſi vetulis credendum, occultè quædam demurmurare verba, quibus mirifica quædam ineſt vis. Verbo, mera fuit impoſtura. Aſt nondùm finis eſt *mendaciorum* & *turpiſſimæ ſuperſtitionis*. Pag. 130. refert *Damis*, quòd *Apollonius* ſcripſerit περι μάντειας ἀςερων βιβλυς τεταρας, συγγραψας τε περι θυσιὼν, καὶ ὡς ἀν τις ἑκαςῳ Θεῳ προσφοροι τε καὶ κεχαριςμένως θυοι. *Nobiliſſimæ* hujus diſciplinæ *cultura* ſatis oſtendit, quo *ingenio* animoque præditus fuerit magnus *Apollonius*. Hinc ipſemet etiam Lib. IV. Cap. XXIV. Omnia Græciæ templa, Dodoneum & Pythium, & quod

quod Abis eſt, *Amphiarai* quoquè & *Trophonii* ſpecus ingreſſus eſt, & ad Muſarum templum in *Helicone* aſcendit. Hinc ſacrificia ſuo more oblata commendavit. *Cùm in Templo Alexandrino eſſet, & Sacrificulus boves anſereſque mactaret, & offerret eorum ſanguinem, objurgavit ipſum Apollonius, & aliud præſtantius ſacrificium obtulit, nempè quoddam, bovis formam habens, ex variis aromatibus compoſitum, combuſſit, & admiſit Sacrificulum ad oris communionem, cùmque ille hoc ſacrificii genus parùm curaret, dixit Apollonius:* Ἐι δημιυργȣ σοφιας ἠσθα ἐυξυνετος, ἐιδες ἀν και ἐν τῳ τȣ ἡλιȣ κυκλῳ πολλα δηλȣμενα ο ποτε ἀνισχει· *Certè ſi Sapientiæ, quæ in igne latet, peritus eſſes, in ſolis quoquè orientis orbe multa cognoſceres.* Ita *turpiſſimus Hiſtrio* ab una ſuperſtitione ad aliam inſanam magis, miſeros homines abducere voluit. Idem confirmavit Ægyptios in turpiſſima de μετεμψυχωσει ſententia. Lib. V. Cap. XLII. mentionem facit hominis manſuefactum leonem circumducentis quæſtus gratia: *Leo ille ad Apollonium in templo deſidentem veniens, genibus ipſius blandè adganiebat, & magis quàm ulli alii mortalium aſſidebat, mercedem aliquam ab eo, ut plerorumque ferebat ſententia, exſpectans: Apollonius autem, ope mea indiget, dixit, hic leo, ut edoceam vos, cujusnam hominis animam habeat. Eſt igitur Amaſis ille, Ægypti Rex, in Saitica præfectura; ubi verò hæc audiviſſet leo, miſerabiliter infremuit & lamentabiliter, genibusque flexis ejulavit, lacrymas etiam mittens. Demulcens igitur ipſum Apollonius, cenſeo, inquit, leonem Leontopolim mittendum eſſe, ibique in templo collocaudum. Regem enim in regiam præ cæteris belluam converſum,*

circum-

circumvagari, perinde ac homines ſolent mendici, indignum judico. Ita non ſolùm ſplendidè mentitur *Apollonius*, dùm ſibi revelatum eſſe perhibet, quæ anima leonem illum occuparit, ſed & Ægyptios μετεμψυχωσεως auctores confirmavit. Equidem molliùs hæc interpretatur *eruditiſſimus*, dùm viveret, *Theologus*, *Olearius*, in notis ad h. l. dicens: *Id agebat Apollonius, ut φιλανθρωπιας in templo non ignobile ſymbolum Ægyptiorum oculis obverſaretur. Ægyptiis enim in more poſitum, Deorum & Heroum naturam, indolem, virtutes, ſacris hujusmodi ſymbolis repræſentare, imitandaque proponere, cùm optimus eorum cultus juxta eos & Pythagoricos ſit imitatio. Sic Apin Regem ſuum, ejusque virtutes & beneficia bovis ſymbolo, aliis alios Deos & Heroas repræſentabant: ſimili ergo modo Apollonius Amaſis Herois repræſentandi aptiſſimum ſymbolum hunc leonem fore dicit. Nempè ei regi moribus ſimillimum eſſe hunc leonem, generoſum animal ac φιλανθρωπον: id quod συμβολικως exprimens, ex more Indicæ & Pythagoreæ Philoſophiæ, in hunc leonem Amaſis animum immigraſſe ait, quemadmodùm vulgari quoque ſermone animum alterius habere dicitur, vel is ipſe eſſe, cujus iidem mores, eadem voluntas, ſententia.* Ita ὁ μακαριτης *Olearius.* At perperàm ſanè. Verba enim ita ſunt perſpicua, ut cauſſa adſit nulla, cur συμβολικως rem interpretemur. *Philoſtratus* initio ſtatim θαυμασιον κακεινο, *admirandum quid*, innuere ſatis ſignificat; at nihil magis apud Ægyptios *tritum* & *vulgare*, quàm emblematibus varias res & perſonas referre. Evictum etiam, *Pythagoram* transmigrationem animarum admiſiſſe; tandem ultima verba rem

 perſpicuè

perſpicuè declarant, ex quibus patet, *Apollonium* à turpi ſuperſtitione mortales *revocare* noluiſſe. In Apologia, quá uſus erat, partim manifeſtè *mentitus*, partim κρειττονος φυσεως hominem eſſe ſe, perſuadere voluit ineptus *Hiſtrio.* Lib. VIII. Cap. VII. inter alia accuſatus, quòd populus ob factas præſtigias ipſum Deum arbitretur, reſpondet: *Atqui, antequàm ob id accuſarer, probandum erat, quâ ego diſputatione, quibus dictis item adeò ſtupendis factisve homines ad me adorandum compulerim; non enim, ex quo in quod migraverim (corpus) aut migratura mea ſit anima, apud Græcos diſſerendo expoſui, quàmvis mihi id perſpectiſſimum eſſet, neque talem de me opinionem diſſeminavi, neque, ut oracula & vaticinia ederem, circumivi, qualis ſolet fanaticorum eſſe inſtinctus. Neque civitatem novi ullam, ubi decretum factum fuerit, ut publicè Apollonio ſacra fierent. Equidem multum in me præſidii fuit ſingulis, quacunque re me opus illi haberent. Mei autem opus in hujusmodi rebus illis fuit, ut morbis afflicti non affligerentur porrò, ut religioſè magis Sacra peragerentur, vis ſuperba extirparetur, leges valerent. Horum autem iſta mihi fuit merces, ut illi emendarentur.* Sanè qui libros 7. priores *Philoſtrati* evolvit vel leviter, facilè animadvertet, hominem hunc omnibus viribus connifum, ut Apollonius videretur *Deus* eſſe, aut continuis Deorum colloquiis uti. Dixit, *ſe futura præſcire, imperium in animantia habere, & miraculis illuſtrem eſſe:* novit, plebem credere, Deos ſæpiſſimè rebus humanis intereſſe, ſeque viſendos exhibere. Hæc cùm probè calluerit

luerit Impoſtor, quâ fronte negare potuit, ſe in cauſſæ eſſe, ut homines ipſum pro *Deo* quodam de cœlo miſſo haberent? Huc refer, quæ Euſebius in *Hieroclem* pag. 454. hunc in finem obſervat, dicens: *Veſpaſianum porrò Imperatorem ei, quaſi Deo, ſupplicem factum ait. Atque ipſum quidem, ſupplicantis more, Imperatorem me facito dixiſſe, huncque jam feci reſpondiſſe. Quis verò non odio habeat meritò, inſolentiæ plenam, proximamque inſaniæ vocem? Quandò jam ipſum ſe Deum & Imperatores creandi poteſtatem habere fremit, navis Ægyptiæ olim Gubernator.* Ibid. Cap. IX. accuſatus, quòd peſtem Epheſios invaſuram ſe prædixiſſe contenderit, non negat; & *arcanis* quibuſdam *cauſſis*, & ſingulari victus rationi adſcribit: *Unde ergo illud, quod Epheſo contigit, inſolens præſenſi? Reſpondet Apollonius, audiviſti ipſum dicere adverſarium, eodem cum vulgo victu me haud uti. Hoc igitur mihi, Imperator; arcanæ loco eſt cauſſæ, quæ conſervat meos ſenſus, nec iis obſcurum quicquam eſſe ſinit, ſed ut perſpiciant perinde ac in ſplendidiſſimo ſpeculo omnia (efficit) præſentia pariter ac futura. Neque enim expectabit ſapiens, dùm vapores terra emittat, aut aër corrumpatur, ſi ex ſuperioribus fortè manaverit malum: verùm ſentiet talia, etiamſi immineant, ſerò quidem magis quàm Dii, citiùs tamen, quàm vulgus hominum: nempe futura Dii ſentiunt, homines præſentia appropinquantia ſapientes. Peſtis autem cauſſas, ô Imperator, privatim ex me ſciſcitare: ſunt enim ſapientiæ recondita magis, quàm ut in vulgus edi poſſint. Hæc ergo victus ratio ſenſuum ſola efficit*

ſubtilitatem, virtutemque magnis rebus planèque ſtupendis idoneam. Hoc autem quod dico, cùm ex aliis perſpicere licet, tùm ex eo maximè, quod Epheſi morbo iſti eſt factum. Morbi enim forma mendacium referebat veteranum: vidi autem ego, & viſum deprehendi, non ſedans morbum, ſed è medio tollens. Cujus implorata (id factum ſit) ope, declarat ſacra ſtatua, Epheſi hujus rei gratia à me dedicata, quæ Herculis eſt Averrunci. Hic certè Impoſtor mendaciorum plauſtra adfert. Jactat, palàm ſe *cæteros mortales* ſuperare; adſcribit victus rationi, Pythagoreis ſolitæ, *vim futura prædicendi*, morboſque tollendi; *idem tamen* ſolà operà *Herculis* factum contendit: in ſequentibus denique mirificam *Herculis potentiam* extollit, cauſſa tamen in promtu: Nimirùm familiare *Domitiani Numen* ἡ Ἀθηνᾶ, quæ *Herculem* impenſè amavit & fovit. Poſtquàm Apologià finità liber diſceſſit, non deſiit *fanaticus homo*, perſonam ſuam agere. Lib. VIII. Cap. XII. cùm *Damis* & *Demetrius* exiſtumasſent, *Apollonium* non evaſurum necem, atque *Damis* dixiſſet, videbimus, ne aliquando, ô Dii, probum illum & bonum ſodalem noſtrum? *Apollonius*, *qui id audiebat*, *videbitis*, *dixit*, *quin potiùs jam vidiſtis. Nùm vivum ajebat Demetrius? ſi mortuum enim, nunquàm te flere ceſſaverimus. Protendens itaque manum Apollonius, me, inquit, prehende, ſique (umbræ inſtar) elabar, ſpectrum me arbitrare, è Proſerpinæ huc adveniens domo, qualia terreſtres Dii oſtendere ſolent hominibus, quibus præ mærore excidit animus; ſin verò tangenti me præbeam Da-*

midi, quoquè perſuadeas velim, vivere me, neque corpus depoſuiſſe. Dubitare igitur ampliùs non erat integrum illis, ſurgentesque adeò viro inhærebant, eumque oſculabantur. Inſanus homo neſcit, quid dicat. Unà erant *Demetrius* & *Damis; Demetrio* tamen ſuadet, ut Damidem tandem jubeat bono animo eſſe, atque credere ſe vivere. Eodem capite refert *Philoſtratus*, *Damidem triduo itinere*, *Apollonium autem paucis horis Puteolos perveniſſe;* cùm autem *Demetrius* interrogâſſet, quomodò tantùm itineris, exiguâ adeò diei parte, confeciſſet, tùm *Apollonius:* Πλην κριυ εφη, και πτερων κηρυ ξυγκειμενων, παιλφοιυ, Θεον επιγραφων τη πομπη ταυτη. Πανταχυ μεν η δ' ο Δημητριος, των σων εργων τε και λογων Θεον αει τινα προορασ ηγυμαι, παρ' υ τα σα υτως εχει· i. e. *Præter arietem, inquit, & alas cerâ conglutinatas, quicquid volueris, cenſe, Deo adſcribens hancce vehiculationem. Ego verò omninò, inquit Demetrius, operibus ſermonibusque tuis Deum ſemper aliquem intereſſe arbitror, cujus eſt, quòd ita res tuæ habeant. Mirum* non eſt, quod hic fecit *Apollonius;* qui enim *duobus in locis eodem temporis articulo* eſſe potuit, facilè brevi tempore hoc iter abſolvere potuit. Fortè autem *avis* corpuſculum ingreſſâ Apollonii *animâ*, eodemque denuò ſtatim poſito, ſe viſendum exhibuit. Nihil jam dicam *de antro Trophonii*, quod ingreſſus. Hoc unum addam, *Apollonium* Epheſi degentem mortem, eo ipſo momento, quo *Romæ* interfectus *Domitianus*, prædixiſſe. *Cùm autem iſta fidem nondùm invenirent, bonum nuncium adferentes curſores advenere, ſapientiæ viri teſti-*

monium perhibentes. Nam & cum cæde Tyranni, & cum die, quæ illam attulit, & cum meridie, & interfectoribus, quos ille fuerat adhortatus, ita ſeſe res habebat, ut diſſerenti viro ſigillatim hæc manifeſtaverant Dii. Quæ hactenùs *de ingenio moribusque Apollonii* narravimus, ſatis oſtendunt, quid de eo ſentiendum: neque neceſſe eſſe putamus, ut doctrinam Apollonii pluribus enarremus, partim quòd *ſparſim* hinc inde ſpecimina adduxerimus, partim quòd *Pythagoræ Theologiam*, de quâ ſuprà egimus, ſecutus ſit *Apollonius.* Superpondii loco unum tantùm alterumve adjiciemus. Pag. 20. ita Philoſtratus: *Sole quidem oriente, à turba ſemotus, nonnulla patrabat, quæ ſolis aperiebat eis, qui quadriennio ſilentium exercuiſſent: inde verò ſi græca eſſet civitas, & cognita ſacra, convocatis templorum Sacerdotibus, de Diis philoſophabatur, eosque corrigebat, ſi qua à jure pontificio recederent. Si autem barbara illa eſſent, & diverſi ritus; de illis ſciſcitabatur, qui eos conſtituiſſent, & quare conſtituiſſent: interrogans pariter, quâ ratione cultus iſte peragatur, & ſi quid convenientiùs illis, quæ patrabantur, in mentem veniret, ſubjiciens. - - - ajebat, oportere eos, qui ſuum philoſophandi modum ſequantur, aurorâ primùm exoriente cum Diis verſari; procedente autem die de Diis, & proximo inde tempore, de humanis rebus colloquia inſtituere.* Pag. 88. ſeqq. multis garrit de mirabili potentiâ *aquæ.* Nimirùm ad *divina inſomnia* videnda aptos homines facit: adeò verum eſt illud Pindari: Ἄριστον μὲν ὕδωρ, &c. Hinc pag. 90. *Deum itaque intùs con-*

concepiſſe & *me putato, ô Rex,* & *omnes, qui aquam potant: à Nymphis enim corripimur,* & *ſobrietati bachamur.* Cap. XXXVIII. Lib. I. dicitur *Apollonius*, ſingulis diebus preces ad *Solem* feciſſe. Lib. X. Cap. XX. *de libatione quidem Apollonius diſputabat, præcipiebatque, ut ne ex poculo illo, quo libatum eſſet, biberetur, ſed integrum illud,* & *illibatum Diis ſervaretur. Cùmque dixiſſet, anſas quoquè poculi illi affingengendas, atque eâ ex parte quâ anſa eſſet libandum, ut quâ rariſſimè homines poculum ori admoveant, adoleſcens orationem cachinno effuſo atque intemperante interpellavit. Tunc in eum intuitus ille, non tu, inquit, hâc me contumeliâ afficis, ſed Dæmon, qui te inſcium agit. Nempe dæmoniacum ſe eſſe adoleſcens neſciebat; ridebat enim, ob quæ nemo alius rideret, ſubitòque in ploratum riſum vertebat, cùm nulla ſubeſſet cauſſa.* Dii ſcilicèt *curant*, quâ parte poculum *prebendatur.* Digna eſt, quæ hìc apponatur Cl. *Olearii* nota: *Refero ego,* inquit, *ad reverentiam Diis habendam, cultûsque puritatem, nempe cùm libanda Diis quaſi offeratur bibenda pars potionis, eâ parte, quâ anſa eſt, libare præcipit: quoniam ei homines os admovere non ſolent, neque fas enim eſt, ut eorumdem Diis hominibusque permittatur uſus: quam rationem Pythagorei reddunt præcepti de piſcibus ſacris non guſtandis.* Μη γαρ δειν τα ἀυτα τεταχθαι Θεοις και ἀνθρωποις, apud *Laërtium*, Lib. VIII. Quòd ſi benignam hanc *doctiſſimi Viri* admittamus interpretationem, pellucet tamen *futilitas* Præceptorum *Apollonii.* At tædet, plura de hoc argumento adjicere; à *ca-*

pite enim libri ad *calcem* teterrima ubique comparet *ſuperſtitio*, quàmvis hinc inde turpiſſimis nugis præcepta haud incongrua adſpergantur: quæ ipſa tamen ad *cultum Dei* legitimum non transferuntur; ſed ideò *relata* videntur, ut eò magis *miraculis* turpiter *effictis* aliquod pondus adjiciatur. Conferatur ad Philoſophiam hujus hominis ritè intelligendam *clariſſimi & eruditisſimi Bruckeri Hiſt. Philoſoph. Tom. III. p.* 323. *ſeqq.* qui tantum abeſt, ut *magnificè* de doctrina hujus hominis ſentiat, ut potiùs poſt *cl. Olearium* probet, *Apollonium* eam ſententiam defendiſſe, quam elapſo proximè Seculo exornare voluit *Spinoza* in Ethica ſua, pro *Deo totum* hoc *Univerſum* venditans. (*)



CAPUT

(*) Conferatur ejusdem clariſſimi & amiciſſimi Viri Hiſtoria Critica Philoſophiæ; ubi de eodem argumento agitur.

CAPUT VII.

De Ingenio, Moribus & Doctrina Franciſci Aſſiſii.

ENarravimus hactenùs mores & doctrinam *Pythagoræ* & *Apollonii.* Tempus igitur eſt, ut cæterorum, qui miraculis illuſtres fuiſſe dicuntur, vitam præceptaque Lectori ob oculos ponamus, ut judicari poſſit, quo jure, in ſequentibus, eos in eamdem cum prioribus referamus claſſem: & primò quidem in ſcenam prodeat *Franciſcus Aſſiſius*, atque teſtetur, quam perſonam egerit. Audiamus autem primò *Bonaventuram*, poſteà *Alcoranum Franciſcanorum*, & antiquitates, quorum librorum ſuprà fecimus mentionem. *Levia* certè ſunt, & *toleranda*, quàmvis ineptiſſima, quæ de moribus & doctrina *Pythagoræ* & *Apollonii* diximus, ſi comparentur cum *dictis factisque Franciſci* & cæterorum. Quod contigit *illuſtri Huetio* puero, legenti vitam *Apollonii*, id mihi accidit evolventi *βιογραφιαν* à Bonaventura conſcriptam. *Narrat* (ita Huetius) *tot fabulas, tot ſomnia, tam nullius acuminis, tam nullius ſaporis, ut, cùm ea legerem, continuò me caperet ſatietas & faſtidium, & nutriculam ad ſomnos pupo ſuo conciliandos de Lamiæ turribus & pectinibus ſolis diſſerentem mihi audire viderer.* At ne quis me *calumniari* putet, tot ſpecimina inſaniæ, ſuperſtitionis, ineptiarum, imò blaſphemiarum, adferam, quæ ex *Franciſci vita, moribus atque*

præceptis elucent, ut plura à nemine poſtulari poſſint; ſequar autem ipſum *Bonaventuram*. Pag. 4. refert *Bonaventura*, quâ viâ *Franciſcus* ad tantam lucem videndam, quâ per omnem vitam colluſtratus fuit, pervenerit: „Cùm militi (ita βιογραφος) veſtimenta ſua donâſſet, cum nocte ſequenti ſe ſapori dediſſet, palatium magnum & ſpatioſum, cum militaribus armis Crucis Chriſti ſignaculo inſignitum, clementia ſibi divina monſtravit: ut miſericordiam, pro ſummi Regis amore pauperi exhibitam, militi præoſtenderet, incomparabili compenſandam eſſe mercede, unde cùm quæreret, cujus eſſent hæc omnia, ſua fore, militumque ſuorum, ſuperna fuit asſertione reſponſum. Evigilans itaque manè, cùm nondùm haberet exercitatum animum ad divina perſcrutanda myſteria, neſcietque per viſibilium ſpecies transire ad contuendam inviſibilium veritatem, magnæ fore proſperitatis indicium æſtimabat inſolitam viſionem. „ Cùm igitur bonus vir hujus viſionis ſignificationem non intelligeret, in Apuliam migravit, militiæ nomen daturus. Sed cùm in itinere eſſet, audivit noctu Dominum ſibi familiari allocutione dicentem: „Franciſce, quis poteſt melius facere tibi, Dominus an Servus? Dives an pauper? Cui cùm Franciſcus reſpondiſſet, quòd tam Dominus, quàm dives facere meliùs poteſt. Intulit ſtatim, cur ergo relinquis pro ſervo Dominum, & pro paupere homine divitem Deum? Et Franciſcus, quid me vis, Domine, facere? Et Dominus ad eum: Revertere in terram tuam, quia viſio, quam vidiſti, ſpiritua-

ſpiritualem præfigurat effectum, non humana, ſed divina in te diſpoſitione complendum. „ Revertitur ergo Aſſiſium; at nondùm viſionem intellexit. Accedebat igitur miraculum, quarta demùm viſione confirmandum. Sect. V. „ Dùm equitaret per planitiem, leproſum habuit obvium, cujus inopinatus occurſus eum terrebat: recurrens autem ad perfectionis mente conceptæ propoſitum, & recolens, quòd ſe ipſum debeat devincere, ſi vellet effici Chriſti miles, ad deoſculandum eum equo lapſus, adcurrit. Cui cùm manum, quaſi aliquid accepturus, leproſus protenderet, pecuniam cum oſculo reportavit, ſtatim autem equum aſcendens, & ſe circumquaque convertens, cùm campus pateret undique liber, leproſum illum minimè vidit. Admiratione igitur repletus & gaudio laudes cœpit Domino decantare devotè. „ Succeſſit denique *viſio*, quæ denuò ſignificavit *obſcuriùs*, quem in finem edita: *in ſolitaria loca* (ita Bonaventura) *concedens, inenarrabilibus gemitibus exoratus gemitibus exoratus Deus eſt. Dùm enim unâ dierum ſic ſequeſtratus oraret, & præ nimietate fervoris totus eſſet abſorptus in Deum, apparuit illi Chriſtus Jeſus, veluti cruci confixus: ad cujus conſpectum liquefacta eſt anima ejus, & memoria Paſſionis Chriſti, viſceribus cordis ipſius adeò impreſſa medullitùs, ut ab illa hora, cùm Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lacbrymis & gemitibus exteriùs contineri.* Ex viſionibus illis Franciſcus concluſit hoc *unum*, pauperibus benè eſſe faciendum. *Eum in finem*, teſte *Bonaventurâ*, *viſitabat xenodochia, aliquandò veſtimenta*

veſtimenta exuens, aliquandò ſcindens ad largiendum eis, cùm præ manibus alia non haberet. Antequàm ulteriùs progrediamur, quædam adnotanda ſunt. Mirum eſt ante omnia, nullam prorſus fieri mentionem *S. Litterarum*, quas, antequàm viſionibus illis ornatus eſſet, perlegerit; vix enim credibile, Deum in Novo Teſtamento per viſiones cum hominibus, hactenùs revelationis ignaris, acturum. 2. Licèt negari non poſſit, Deum piis & per viſiones apparuiſſe, nunquàm tamen id factum ſinè cauſſis graviſſimis: at viſiones, quæ Franciſco obtigêre, non ſolùm minùs claræ erant: ſed & res, quas Deus illi ſignificare voluit, tales erant, quæ ſolâ ratione & qualicunque lectione S. Litterarum innoteſcunt. Nimirùm credidit *Franciſcus*, Deum hâc ratione ſignificare velle, omnibus honeſtisſimè eſſe cupiendum & pauperibus benefaciendum. Non opus eſt autem *extraordinariâ viſione* ad rem per ſe claram & *Chriſtianis* notiſſimam comprobandam? imò 3. magis incredibile eſt, Deum per viſionem homines edocturum, ſpontaneâ opus eſſe paupertate, cùm & ratio & revelatio huic repugnet ſententiæ. An credibile, *eum* Deo *placiturum*, qui abjectis facultatibus ſuis inertiam ſequitur, aliosque hortatur, ut ex aliorum ſudore ventri ſuo conſulant? *Augetur dubium*, quòd asſeratur, *Deum* immenſis beneficiis *mactaturum* hominem, vel ideò, quòd militi veſtimentum donaviſſet. Quæ cauſſa tandem Deum impulit, ut per viſionem *Franciſco* obtingeret leproſus, aut per miraculum è conſpectu abduceretur? An adeò ſtupidus fuit *Franciſcus*,

viſcus, ut intelligere non poſſet, miſero homini aliquid elargiendum? An propter oſculum hoc contigit? Interim *divinæ illæ viſiones* de paupertate ſponte adpetenda & aliis commendanda, demùm audito præcepto Jeſu Chriſti diſcipulis ſuis, Matth. X. dato, *firmæ rataque* fuerunt. Ita enim *Bonav.* Sect. XIII. „ Dùm die quâdam Miſſam de Apoſtolis ad prædicandum mittendis formam tribuit evangelicam in vivendo: ne ſcilicèt poſſiderent aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam; quo audito noſter ſolvit calceamenta, de pedibus deponit baculum, peram rejicit, & pecuniam execratur, unâque contentus tunicâ, rejectâ corrigiâ pro cingulo funem ſumit, omnem ſolicitudinem cordis opponens, qualiter audita perficiat, & Apoſtolicæ rectitudinis regulæ per omnia ſe coaptet. „ Bonus homo *Apoſtolum* ſe eſſe putavit, aut ſimilem eis. Fortè per omnem vitam nunquàm legit ſcripta Evangeliſtarum, nedùm ut ad rectæ interpretationis normam Chriſti dicta exigere potuiſſet. Scilicèt in eo *Summa Evangelii* conſiſtit, *peram, baculum* & *calceamenta* abjicere! At nova adeſt *viſio*, cæteris quidem non clarior, at juxta interpretationem Franciſci ad eumdem tendens finem: Cap. II. pag. 7. „ Cùm ingreſſus eſſet S. Damiani templum ruinæ proximum & lachrymoſis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipſa cruce delapſam ad eum corporeis audivit auribus ter dicentem: Franciſce, vade & repara domum meam, quæ, ut cernis,

cernis, tota deſtituitur. Senſus autem fuit de Eccleſia Chriſti reſtauranda. Franciſcus confeſtim vendit pannos & equum, munivit ſe ſigno crucis, & Sacerdoti hujus templi pecuniam offert, quam ille reſpuens in feneſtram quamdam projecit; manſit autem apud Sacerdotem, inde Pater iratus perſequitur Franciſcum, quo deprehenſo, coram Epiſcopo deponit veſtes, unde apparuit, cilicium habuiſſe ſub delicatis veſtibus, tandem & his projectis totus denudatus fuit. „ *Cruces ligneas* omni tempore *incredibili vi* portenta faciendi præditas fuiſſe, omnes, *exceptis Hæreticis*, credunt. Credere autem debent, quia vocem illam *Franciſcus corporeis* audivit *auribus*, quibus & *Hæretici* gaudent, quàmvis optandum eſſet, ut his deſtituerentur aliquandò. Si *ſpiritualibus auribus* audiviſſet Pater, non nihil dubitarent. Interim optandum fuiſſet, ut verba illa: *Repara domum meum*, ad animum, non aures tantùm, revocâſſet. Fortè enim crux illa aliud longè dicere voluit, quàm quod intellexit *Franciſcus.* Neque enim propoſitiones illæ: *Repara domum meam*, & vende veſtes tuas, ſunt *identicæ.* At ſequentia, quæ adducit *Bonaventura*, quid ſibi *crux* illa *voluerit* oſtendunt. Poſtquàm enim ita coram *Epiſcopo*, (quod ſingularis modeſtiæ ſignum erat,) „ veſtibus nudatus eſſet, oblatus ei eſt mantellus pauper & vilis cujusdam agricolæ, quem ipſe gratanter accipiens, cum cæmento, quod ſibi occurrit, ad modum crucis manu propriâ conſignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis & pauperis ſemi-nudi. „ Dignum ſanè

patellâ

patellâ operculum. At non ſolùm *pauperibus ſubveniebat Sanctus noſter*, *ſed teſte Bonav.* pag. 6. *Sacerdotibus cumprimis*, *præcipuè in ornamentis Altaris*, *officia præſtabat.* *Commentator* p. 127. ex *S. Antonio* hæc addit: „ Sacerdotalibus manibus, quibus conficiendi Dominici Corporis Sacramentum eſt collata poteſtas, magnam volebat reverentiam exhibere; unde ſæpe dicebat: ſi Sancto venienti de cœlo & pauperculo Sacerdoti me contingeret obviare, ad Sacerdotis manus deoſculandas me citiùs conferrem, & Sancto dicerem: expecta me; Sancte; quia manus hujusmodi Verbum vitæ contrectant, & ultrà humanum aliquid poſſident. „ Nemo miretur, Franciſcum pluris æſtimare *Sacerdotes*, quàm *Angelos* & *Sanctos*. Angeli nimirùm tantùm veſcuntur *pane*, *angelico* nimirùm; at Sacerdotes quotidiè *Deum* faciunt; unde ſinè dubio *deificantur* ex parte. Angeli autem ſunt toti quanti ſunt, creaturæ. Hanc *pietatem* & *reverentiam* erga *Sacerdotes*, ut diſcipulis ſuis inculcaret, omnem dedit operam. Hinc *Bonav.* pag. 22. ait: „Docuit diſcipulos, honorare præcipuâ reverentiâ Sacerdotes; fidei quoquè veritatem, ſecundùm quod Sancta Romana tenet & docet Eccleſia, & firmiter credere & ſimpliciter confiteri. Servabant illi S. Patris documenta per omnia & ad omnes Eccleſias, & cruces, quas è longinquo videre poterant, juxtà datam ſibi formam orantes, ſe humiliter proſternebant. „ Nimirùm *illuminatiſſimus Vir* Religionem Chriſtianam nunquàm examini ſubjecit, & colere tamen unicè *Romanam* voluit. Si *Conſtantinopoli*

poli natus fuiſſet, non minore fervore Mahumedis ineptiſſima propugnâſſet decreta. Interim non *ſine cauſſa* tanti ab eo & diſcipulis habitam *crucem* docet *Commentator* pag. 265. ex *Jo. Molano*, ita dicente: *Rectiſſimè in viis publicis eriguntur Crucis ſigna & Sanctorum imagines, juxtà definitionem ſecundæ Nicæni Synodi. Nam ſi Pagani Mercurium (ut eſt apud Clementem) viæ viciniæque præfectum ſtatuebant; quantò magis à nobis convenit Sanctorum imagines in viis poni, ubi eorum patrocinium requirimus.* Rectè, benè, σοφως. Dijudicari ſimul poteſt, *quales* fuerint *diſcipuli*, quos referente *Bonav.* pag. 17. in 4. mundi plagas emiſit. Interim tamen Deus (ſi fides *Bonaventuræ*) diſcipulos illos divinitùs monuit *de præſtantia Magiſtri*, quem in poſterùm ſequerentur. Pag. 23. refert *Bonaventura viſum noſtrum diſcipulis ſuis currui igneo inſidentem. Cùm in horto pernoctaret* (ita Bonaventura) *& oraret, currus igneus mirandi ſplendoris per oſtium domûs intrans huc atque huc tertiò per domicilium ſe convertit, ſuper quem globus lucidus reſidebat, qui Solis habens aſpectum, noctem clarere fecit, & ſenſerunt corde & oculis, S. Franciſcum ſibi demonſtrari à Domino, quem ſequerentur.* Ex *Ovidio* hanc hiſtoriam mutuò petitam crederem, niſi perſpectum eſſet, elegantiorum litterarum culturam ſtupidiſſimis Monachis hac ætate prorſùs fuiſſe incognitam. Hæc autem apparitio nulla ratione conferri poteſt cum ea, quam pag. 28. narrat *Lugendiſta*; interfuit enim Capitulo *Generali* & *Provincialibus ſimul.* Pag. 28. ait: „Cùm Capitulo generali adeſſet Franciſcus,

ciſcus, Capitulis provincialibus ſimul vacare non potuit; factum autem eſt, ut dùm Antonius quidam de titulo Crucis: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, in Arelatenſi Capitulo fratribus prædicaret, quidam frater Monaldus ad oſtium Capituli divina commotione reſpiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciſcum in aëre elevatum, extenſis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. At interna perſuaſione mentis Spiritus teſtimonium reddidit fratribus, reverâ ſe vidiſſe Franciſcum, quod poſteà ſignis & S. Franciſci adſertione fuit probatum. „ *Par* videtur fuiſſe *ventis*, volucrique ſimillimus ſomno; at ne *ventus* quidem *unus idemque* ſimul adeſſe, & non adeſſe poteſt. At præſtat ita *mentiri*, ut *palpari* poſſit, quàm arte fabulæ colorem conciliare, quod certè ſuperabat ingenium fanaticum *Bonaventuræ*. Quàmvis autem diſcipuli *Franciſci* ejus miracula videbant, atque viſiones non ſemel de excellentia Magiſtri habebant, erant tamen adeò præfracti ingenii homines, ut regulas ejus pro oraculis de cœlo delapſis admittere noluerint; unde divinitùs pœnis immiſſis meliora edocti ſunt. Rem ita narrat *Bonaventura* pag. 20. „ Videbatur ſibi de terra micas panum ſubtiliſſimas collegiſſe, multisque famelicis fratribus ipſum circumſtantibus debere tribuere. Cùmque micas tam tenues distribuere formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox ei deſuper ait: Franciſce, unam de micis omnibus hoſtiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicunque illud non devotè recipiebant, aut receptum contemnebant donum,

H mox

mox leprâ infecti, notabiles apparebant. Manè Vir ſanctus recitat hæc omnia ſociis, dolens, ſe non præcipere myſterium viſionis. Sequenti verò die, cùm vigil in oratione perſiſteret, hujusmodi vocem de cœlo delapſam audivit: Franciſce! micæ præteritæ noctis verba evangelica ſunt, hoſtia regula, lepra iniquitas.„ At divina hæc explicatio nondùm ſufficiebat. *Aſcendit igitur in montem tum duobus, conſcribi eam fecit ſecundùm quod oranti ſibi divinus Spiritus ſuggerebat, poſteà ad majorem confirmationem impreſſa ſunt ſtigmata Jeſu digito Dei vivi.* Quis non perſpicit cauſſam, cur vaniſſimus ſomniorum captator hæc omnia ſibi contigiſſe adſerat, nimirùm ad gloriam ſuam auctoritatemque confirmandam? Quis verò adeò Religionis *expers* eſt, ut credat, Deum *miraculis* & *viſionibus* uſurum, ad *hiſtrionicum cultum* & anilem ſuperſtitionem confirmandam? *Præſtaret*, omnem *Religionem* abjicere, quàm tam ſtultè de Numine ſentire. Character omnium impoſtorum eſt, ineptas *viſiones*, congreſſus cum *Deo* & *Diis* jactare, ut decipiant eos, qui quæſtui impudentiæ ſunt. Ex hactenùs allatis nemo dubitabit ampliùs *de divina origine & inſtitutione Ordinis Franciſcanorum;* ne tamen ouiquam ullus inſuper *animo* inhæreat *ſcrupulus*, teſtimouium adferam *omni exceptione* majus. Extat illud apud teſtem, fide digniſſimum, *Boſquierium*, p. 184. „ Anno Domini (inquit) 1310. die 23. Februarii, cùm fratres irent Ravennam ad indulgentiam S. Johannis Evangeliſtæ, cùmque illuc perveniſſent, hoſpitati ſunt in domo cujusdam Do-

minæ

minæ divitis & honeſtæ & honoratæ, atque publicè cognitæ à civibus forenſibus, nomine *Saneceſſe*, & ſimul cum eis alii boni Viri octo de Civitate Bononienſi. Cœnantibus autem prædictis Viris & præfatâ Dominâ cum eisdem, cœpit ipſa Domina loqui liberaliter, ita ornatè & ſapienter & profundè de multis & variis ſententiis, ut omnes audientes redderet attentos, & eorum mentes converteret in ſtuporem. Unus vero ex diſcumbentibus, nomine Jacobus de Bononia, præfatum Sacerdotem fratrem Jacobum præ nimia admiratione reſpiciens, dixit ei: Audis quomodò illa mulier loquitur? Qui reſpondit: Audio & vehementer admiror. Sed quia idiota ſum, nec ipſam poſſum intelligere, nec ſermonibus profundis reſpondere. Et illa ſtatim reſpondit: Benè credo, quòd neſcis mihi reſpondere; nec eſt mirum, quia ſi hìc eſſent omnes ſapientes Ordinis fratrum Minorum, qui ſunt meliores & ſapientiores quàm Ordines Prædicatorum, ego ſola omnes confunderem per Scripturas. Tunc ait illi Sacerdos: Eſt-ne major & melior Ordo Minorum quàm Prædicatorum? Reſpondit illa: Eſt in triplo. Interrogata ubi talia didicerit? reſpondit: In cœlo empyreo, de quo ejecta ſum cum Lucifero & aliis multis propter unam cogitationem, in qua omnes pariter conſenſimus. „ Hactenùs Bosquierius. Teſtimonium ſanè πασης ἀποδοχης ἀξιον. At ſunt multa alia, quæ, ſi vel maximè *teſtimonia* deeſſent, oſtendunt, *ſingulari & inuſitata planè mentis facultate* præditum tantorum diſcipulorum *Auctorem.* En quædam ſpecimina!

Pag. 27. juxta Bonav. *Quidam in facie ejus vidit litteram* T, *quod faciem ipſius miro venuſtabat ornatu; hoc quippe Signum Vir ſanctus miro venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis quas dirigebat literulis manu propria ſubſcribebat, tanquàm ſi omne ejus ſtudium foret ſignare Thau.* Videtur *Franciſcus* in facie figuram Thau aut *pinxiſſe*, aut *incidiſſe*; aliàs quomodo alter videre potuiſſet, vix intelligi poteſt. Dubium interim non eſt, quin hoc Viro inſigni *elegantiam* conciliaverit atque ſingulare decus; olim enim *præſtantiſſimorum Virorum* fronti *nigrum Theta* inurebatur. Multi in occidentali & orientali India populi, præſertim fœminæ, faciei imprimere ſolent figuras; imò vel ipſa animantia fronte ſigno notantur. Ut ſingularem habuit *faciem* Franciſcus, ſic etiam *ſtomachum*. Pag. 31. *Cocta cibaria ſanitatis tempore vix admittebat & raro: admiſſa verò aut conficiebat cinere, aut condimenti ſaporem admixtione aquæ reddebat inſipidum. De potu vini quid dicam? dùm & de aqua frigida, cùm ſitis æſtuaret ardore, vix ad ſufficientiam biberet.* Nemini non hæc mira videntur. Cæteri mortales exiſtumant, cibum ritè coctum & temperatum ad corporis noſtri conſervationem multùm facere; *putant delectationem*, quæ ex fruitione cibi & potûs oritur, *benefici Numinis voluntati adſcribendam*; at qui *perpetuis* utuntur *viſionibus* fortè habent planè *alius generis ſtomachos. Chimæris* paſcuntur & *viſionibus*, non cibis ritè coctis & præparatis. Moderni autem *Franciſcani* in cœnobiis ſuis aliis inſtructi ſtomachis, præparatis ritè cibis

bis utuntur. *Veſtimentis* autem utebatur *horridis*, neque eum in finem, quem cæteri mortales. Ibidem *Bonaventura: Unicâ paupere contentus erat tuniculâ. Si quandò autem lenitatem in ea ſentiret, chordulis eam contexebat interiùs, ſupernâ flammâ frigus hyemis exteriùs poſſe tolli exiſtimans.* Scilicèt *metaphoricus* ignis vim ſuam non minùs *æſtate*, quàm *hyeme* exerit. Audi autem cauſſas, cur laciniâ tantùm uteretur: *Experientiâ*, inquit *Bonaventura*, *didicerat*, *dæmones aſperitate terreri.* En hujus rei exemplum! „ Cùm nocte quâdam propter infirmitatem capitis & oculorum, præter ſolitum morem, cervical de plumâ poſitum haberet ad caput, Dæmon in illud ingreſſus, ipſum ad horam uſque matutinalem inquietatum multimodè à ſanctæ Orationis ſtudio deturbavit, donec vocato ſocio pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longiùs exportari. Egreſſus autem cum pulvinari frater de cellâ, membrorum omnium vires amiſit & uſum, quousque ad vocem S. Patris, hoc cognoſcentis in Spiritu, vigor priſtinus cordis & corporis ſibi fuit plenariè reſtitutus. „ Ætate *Franciſci major* fuit Dæmoni data *poteſtas*, quàm *noſtra*. *Benignior* erga mortales factus, pati poteſt, ut ſomnum capiant in ipſis lectis, plumis refertis, & molliter ſtratis. Quantâcunque autem illuminatiſſimus Vir auſteritate vitæ ornatus fuit, impedire tamen non potuit *Veneris ſtimulos*. Hinc *Bonaventura* pag. 32. & ſeq. non ſinè affectu animi moleſto teſtatur, dicens: „ Franciſcus curam permaximam geſſit de utriusque hominis puritate ſervanda, quapropter circa

converſionis ſuæ primordia tempore hyemali in foveam glacie plenam ſe ipſum plerumque mergebat, ut & domeſticum ſibi hoſtem perfectè ſubigeret, & candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſervaret. Tolerabiliùs Viro ſpirituali fore incomparabiliter asſerebat, magnum ſuſtinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis lubidinis vel modicum ſentire in mente. Cùm autem nocte quadam orationi vacaret, in cellula vocavit eum hoſtis antiquus, tertiò dicens: Franciſce! Franciſce! Franciſce! Gui cùm quid quæreret reſpondiſſet, fallaciter ille ſubjunxit: Nullus eſt in mundo peccator, cui, ſi converſus fuerit, non indulgeat Deus; ſed quicunque ſemetipſum pœnitentiâ durâ necaverit, miſericordiam non inveniet in æternùm. Statim Vir Dei per revelationem cognovit hoſtis fallaciam, quomodò niſus fuerit eum ad tepida revocare.„ Mirum eſt, *Franciſcum* Diabolum vocare *domeſticum hoſtem*, cùm tamen ſummam auſteritatem, quibus terrentur Dæmones, obſervaverit. Fortè quemadmodùm Regibus ad manus eſſe debent Mimi, qui jocis & ſcommatibus otium fallunt & tempus; ita Diabolus, ὁ Θεος τȣ αἰωνος τȣτȣ, delectatur ſocietate hominum inſanentium, & ſuperſtitione prorſùs delirantium. Nihil tamen definio. Interim cùm neſciam, cui *factioni* addictus ſit Diabolus, de *judicio* ejus *theologico* temerè judicare nolo; aliàs credibile, Diabolum asſerturum, viros pios & Dei gratiâ ad emendatiorem vitæ rationem traductos ab omni tentatione liberos eſſe. At hoc evidentiſſimum certiſſimumque eſt, eos ſolos,

qui

qui cucullo induti, corpusque duriter habent, lancinant, ſanctos & Mariam devotiſſimè colunt, cruces omnes, omnes reliquias & ſacra oſſa exoſculantur, Deo placere, *atque Diabolum in fugam conjicere.* Id probat recta ratio & exempla Sanctorum, *Franciſco* ſimilium. Hinc Franciſco eò magis in præcordia venit virtus. Audi, & riſum, ſi poſſis, tene: *Continuò poſthac ad inſufflationem ipſius* (nimirùm Diaboli) *cujus halitus prunas ardere facit, gravis ipſum carnis tentatio apprehendit, quam ut præſenſit caſtitatis amator, depoſitâ veſte, chordâ ſe cœpit verberare fortiſſimè. Eja, inquit, frater Aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagellum. Tunica Religioni deſervit, ſanctitatis ſignaculum præfert, furari eam libidinoſo non licet. Si quò vis pergere, perge. Inſuper & mirando fervore Spiritus animatus apertâ cellâ foras exivit in hortum; & in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum ſeptem ex ea plenis manibus cœpit compingere maſſas; quas ſibi proponens ſuo ſic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc major uxor tua eſt, quatuor iſtæ duo filii & duæ filiæ: reliquæ duæ ſervus & ancilla, quos ad ſerviendum habere oportet. Feſtina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si verò eorum multiplex ſolicitudo moleſtat, uni Deo ſòlicitè ſervi. Illicò Tentator victus abſceſſit, & Vir ſanctus cum victoria in cellam rediit, quia dùm benè pœnaliter arſit foris, ardorem interiùs ſic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minimè ſentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia lunâ clariùs incedente proſpexit. Comperto*

Vir Dei, quod ille hæc noctu vidiſſet, referens illi tentationis proceſſum præcepit, ut, quamdiu ipſe viveret, nulli viventi, rem, quam viderat, propolaret. (*) Quædam ad hiſtoriam hanc peramœnam

(*) Auctor des penſées libres ſur la Religion pag. 268. ſimile exemplum adfert. Audi eum: Notre Patrie peut ſe glorifier d'un Religieux, qui a vécu long-tems avant St. François, & qui ſe ſervoit des mêmes armes pour vaincre la tentation. Il ſe jettoit ſouvent dans l'eau, ou dans la neige, pour éteindre le feu de la concupiſcence; & ce remede opéroit beaucoup mieux ſur lui que ſur St François, qui, pour ne pas ſuccomber à la tentation, étoit obligé de ne pas approcher du beau ſexe. Il n'en étoit pas ainſi de notre St. Aldhelme, Moine Anglois, qui a vécu dans le huitieme ſiecle, & qui fut élevé à l'Epiſcopat à cauſe de ſon Erudition & de ſa Pieté. Cet intrépide Religieux gagna, à force de combattre, une victoire ſi complete ſur ſes deſirs, que la plus belle femme ne faiſoit plus la moindre impreſſion ſur lui. Pour inſulter à l'ennemi juſques dans ſa retraite même, il ôſa bien ſe mettre au lit avec une jeune fille; mais, bien loin d'être puni de ſa témérité, il eut la force de répeter tout le Pſautier d'un bout à l'autre, avec des mouvemens du cœur qui tendoient uniquement vers le Ciel. On a regardé avec raiſon ce courage héroique & cette fermeté inébranlable de St. Aldhelme, plûtôt comme un ſujet d'admiration que comme un exemple à ſuivre; & je ne crois pas que ceux qui s'y ſont hazardés, en ſoient ſortis à leur honneur. Je ſai bien, que depuis ce Saint pluſieurs devots ont formé la même entrepriſe, mais les conquérans de cette eſpece doivent être plus rares, que les Alexandres & les Céſars.

Environ

amœnam notanda. Et primò quidem vehementer hæſito, utrùm βιογραφυ potiùs *ſtultitiam &* H 5 *inſa-*

Environ l'an 1537. une Comteſſe de Guaſtalla, animée par les exhortations de Baptiſte de Creme, Moine Jacobin, fonda la Société de la Victoire ſur la Chair. Une certaine Dame appellée Julie, Membre de cette pieuſe Société, voulant initier dans les myſtéres de çet Ordre un garçon & une jeune fille, les mit enſemble au lit, & plaça un Crucifix entre deux, pour ſervir de barriere à leurs deſirs. Je ne ſai pas, ſi cette expérience réüſſit; mais je ſai bien que ſi par là ce jeune couple eſt demeuré dans l'innocence; on a grand tort de ne pas groſſir de ce fait le Catalogue de Miracles operez par la Croix. Au reſte, cette Société des Guaſtalliens s'augmenta prodigieuſement, juſqu'à ce, que ſoupçonnée des plus grands deſordres elle fut diſperſée. Confer primum Tomum Diarii gallici, cujus titulus le Journal Univerſel, ubi narratur, Monachum quemdam, fundatorem cœnobii in Gallia, nomine Abriſſet, inter amplexus virginum ſedaviſſe æſtum pravarum libidinum.

Poſtquàm ea, quæ de Franciſco narranda eſſe exiſtimavi, ad finem perduxiſſem, in manus incidit ipſe Liber Conformitatum. Titulus ita ſonat: „ Liber aureus, inſcriptus Liber Conformitatum vitæ Beati ac Seraphici Patris Franciſci, ad vitam Jeſu Chriſti Domini noſtri. Nunc denuò in lucem editus, atque infinitis propemodùm mendis correctus à Reverendo ac Doctiſſimo P. F. Jeremia Bucchio Utinenſi, ſodali Franciſcano, Doctore Theologo, laborioſis ornatiſſimisque lucubrationibus. Cui planè addita eſt perbrevis & facilis Hiſtoria omnium virorum, qui ſanctitate, probitate, innocentiâ vitæ, ac doctrinâ, eccleſiaſticisque dignitatibus in Franciſcana Religione uſque ad noſtra

inſaniam, an *Franciſci ſtolidiſſimum animum* admirer & explodam? Perſuaſiſſimus ſum, ſi quæ mica *bonæ* fuiſſet *mentis* in *Cardinale* illo, talia de *Heroë* ſuo, ſiquidem verè geſta fuiſſent, ſuppreſſurum fuiſſe. At nihil eheu tam *abſonum*, *ridicu-*

noſtra hæc tempora excelluerunt. Bononiæ, apud Victorium Benatium. M D C. XX. „ Ante indicem ſequentia extant:

„ Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. „

Se neget atque crucem, tua poſt veſtigia quisquis,
Proſequitur, tollat, tu bone Chriſte jubes.
Non ægrè hanc præſta ipſe feram per tela, per hoſtes,
Ingrediar tutus, te Duce quâque ſequar.
Franciſcus Chriſti ſanctiſſima dogmata ſectans
Rarum, & perfectum dat decus hinc fidei;
Amplificatque pii cultiſſima dona tonantis,
Nulla latet labes pectore fixa Viri:
Candida namque fides divina in ſtigmata ſurgit,
Illuſtrans orbem claraque facta Poli.
Sancte Pater, precibus duc nos ad ſydera ſanctis,
Clare Pater cœlo, pectora noſtra geras:
Uberiùs populis ſanctiſſima dona miniſtres;
Scandere quo cœli regna beata queant.

Ex hoc Conformitatum libro plura decerpere & huic libello inferre nolui, cùm quia brevitati conſulere volui, tùm quia deprehendi, Auctorem Alcorani Franciſcanorum fideliter omnia illa collegiſſe ex hoc libro, quæ ad argumentum hoc elucidandum facere poſſunt. Accedit hisce, quod exiſtimarim, tempus longè meliùs collocari poſſe in legendis præſtantiſſimorum Virorum libris, quàm in colligendis tot inſulſis, ſuperſtitioſis & ſæpè blaſphemis narrationibus, à ſtultis Monachis, de homine plus quàm fanatico, conſarcinatis.

ridiculum, deteſtabile eſt, quin *ignavi* aliquandò *Monachi* defendant. Nec illitterati hoc faciunt, ſed & illi, qui in cæteris acutum cernunt. Hinc *Gretſerus* & *Ferrandus ineptiſſimas* & *ſtolidiſſimas* Franciſci actiones longè conquiſitis *ratiunculis* defendere voluère. Lege ad vitam *Franciſci*, quæ candidè monet P. *Baylius.* At ſuprà jam hoc ulcus tetigimus. 2.) Credidit Franciſcus, Diabolum ſtimulos turpiſſimarum libidinum menti immediatè inſufflare [uti loquitur] poſſe. Si hoc; cur tantâ auſteritate in victu & amictu opus? 3.) Quæritur cur *corpus ſuum Aſinum* vocaverit. Fortè exiſtimavit, *mentem ſuam* olim corpus aſini *inhabitâſſe*, cujus *conjectura* poſſent dari *rationes morales.* Aut ex *modeſtia* ita locutus; notum enim, aſinum contemtiſſimum animal eſſe; unde leo in fabula naturæ dedecus appellat. Nihil definio. (*) 4.) Sto-

(*) Non mirum eſt adeò, Franciſcum *Aſinum* corpus ſuum compellâſſe, cùm exemplum Pontificis Romani extet, nimirùm Benedicti XII., qui cùm à Cardinalibus Papa electus eſſet, dixiſſe fertur: Profectò Aſinum elegiſtis. Rem ita narrat celeb. Pfaffius in epiſtolis adverſus Scheffenmacherum editis. Verba extant Réponſe à la troiſième Lettre pag. 38. Pour ce (inquit) qui regarde le mot d'Ane, le R. P. nous permettra de rapporter un fait averé & atteſté par des Hiſtoriens Catholiques dignes de foi. Il eſt tiré de l'hiſtoire de Benoit XII. Ce Pape étoit fils d'un boulanger, ou d'un muletier, & aïant été élû contre ſon attente par les Cardinaux, pour remplir la chaire de St. Pierre, il leur dit en pleine aſſemblée: Profectò Aſinum elegiſtis. Provocat ad hoc probandum excell.

4.) Stolidus homo *corpus ſuum* verberavit, cùm in præcordiis tamen ſeu *pravis animi deſideriis* hæreat malum. Non peccavit *Frater Aſinus*, ſed *Frater Franciſcus*. Quidam interim *Hæretici* crediderunt, Franciſcum cum *uxore ex nive* efformata *rem* habuiſſe, atque ſalacem naturam edomâſſe, inducti verbis ultimis *Bonaventuræ*, dicentis, *eum libidinem hâc ratione extinxiſſe*; accedit, quòd vix ratio dari alia poteſt, cur ejusmodi imagines ex nive finxerit; at fortè ſignificare voluit, præſtare quacunque ratione naturæ ſatisfacere, quàm uxorem ducere. Sc. hoc *præcepta Juris Naturæ* & *Religionis Chriſtianæ decreta* poſtulant. Qui *molliſſimè* impudentem actionem interpretantur cum *Ferrando*, quem citat in Vita Franciſci *Baylius*, dicunt, eum, dùm ita *maſſam niveam* absque ullo facto obſcœno *amplecteretur*, *libidinis calorem ſedâſſe*. Quicquid dicas, eum à *ſtultitia* abſolvere non poteris. In eo tamen laudandus *Franciſcus*, quòd *candidè* faſſus fuerit, ſe ab omni *mala libidine* liberum non eſſe. Vix enim illis *fides* habetur, *qui clamant*, *ſe naturam hominis planè exuiſſe*. Incidit *exemplum*, quod nuper legi in *Bibliotheca Italica*, Tom. V. pag. 160. „Il s'agiſſoit de choiſir un Confeſſeur pour ſa fille; (Sermo eſt de Coſmo III. magno Duce Hetruriæ,) deux Religieux briguoient ce poſte. Avant que

---

cell. Cancellarius ad Papirium Maſſonum, Bzovium, Spondanum & Pagi. Lege ridiculam etiam huc ſpectantem narrationem, quam eodem loco pag. 39. ex Vigneul-Marville petit.

que de ſe determiner il vouloit les éprouver lui même, & pour cela ayant fait venir le premier, il tourna inſenſiblement la converſation ſur le Chapitre des fenmes, & lui demanda, ſi la vue de pareils objets ne lui faiſoit point regretter la vie du monde? Le Religieux aſſura que non, & ſe vanta d'ètre ferme, & froid comme marbre. Un Capucin, qui étoit l'autre aſpirant, fut de meilleure foi; quand le Grand-Duc lui fit la même queſtion, il avoua, que la tentation ne l'épargnoit point, & qu'il ſe ſentoit de chair & d'os comme les autres hommes. Cette franchiſe donna une meilleure idée de ſon caractére, que du premier, & lui valut la prèference.„ Confer ad hanc materiam *Ebingerum*, qui *plurimis exemplis* oſtendit, quàm *ineptis & inſulſiſſimis mediis* uſi fuerint *Monachi*, *ad refrænandos naturæ impetus.* Vide pag. 779. ſeq. At audi denuò ſpecimen, quàm parùm curaverit *fratrem Aſinum.* Pag. 40. „ Accidit (ita Bonav.) ſemel, ut infirmitate gravatus rigorem abſtinentiæ pro recuperanda ſanitate modicum relaxaret, viribus autem corporis utcunque reſumtis, verus ſuî contemtor, ad propriæ carnis animatus opprobrium. Non eſt, inquit, conveniens, ut populus abſtinentem me credat, & ego è contrariò carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea ſanctæ humilitatis Spiritu inflammatus, & in platea Civitatis Aſſiſii populo convocato ſolemniter cum fratribus multis, quos ſecum adduxerat, majorem introivit Eccleſiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus ſolis in oculis omnium ſe trahi præcepit, uſque

uſque ad lapidem, in quo malefactores conſueverunt collocari. Super quem conſcendens, licèt quartanarius eſſet & debilis acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit, audientibusque cunctis asſeruit, ſe non tanquàm ſpiritualem honorandum fore, quin imò tanquàm carnalem & glutonem ab omnibus contemnendum. „ Quis talia legendo temperet à riſu? Et hic tamen *perfectionis evangelicæ & veræ pietatis exemplar!* At impudentiæ & ſtultitiæ plura, Lector, audies ſpecimina: „ In *Provincia Maſſæ* (ita Bonavent. pag. 44.) apud montem Caſulem intellexit per Spiritum, ſacras ibi eſſe reliquias, & non ſine horrore conſpexit eas honorificentiâ debitâ defraudatas, præcepit igitur fratribus, ut eas ad locum debitum, ſcilicèt in Eccleſiam, deferrent; quod cùm illi facere neglexiſſent, oſſa pulcherrima & redolentia nimis virtute Dei eò delata ſunt. „ O impudentem linguam & ferreum os! Deus, qui *ſibi ſoli cultum* vult præſtari, omnemque idololatriam *deteſtatur;* Deus ille ζηλωτης, non ſolùm *ſtolido homini* inſolita ratione *aperit*, ubi oſſa ſint terræ mandata, quæ divino cultu adficerentur; ſed &, ut hoc fiat, *miraculum facit.* Niſi *Monachorum* cognitum eſſet *ingenium*, omnis Religionis expertem fuiſſe crederem *Franciſcum* aut *Bonaventuram.* At *frater Aſinus* hæc *locutus eſt.* Pag. 45. & 46. narratur, Dæmones quosdam, Aretii cives ad diſcordiam inflammâſſe, at omnipotentis *Dei*, & *Franciſci* (hoc enim addendum fuit) *juſſu*, in fugam conjectos. Simul autem mox verberant *Dæmones Franciſcum*

&

& ſemi-animem relinquunt. Quæ cauſſa tantarum irarum? *Quòd pauper Vir* (ita Bonav.) *in domo Cardinalis tùm temporis commoratus ſit.* Nimirùm Dæmones *Palatia* non amant; nolunt homines *ſuperbos* eſſe. *Franciſcus ſingulari* in beſtias omnis generis erat *adfectu*, *amatus* & ipſe, cultusque *ab iis.* Bonavent. pag. 60. ait: *Creaturas, quantùmlibet parvas, fratres vel ſorores appellâſſe Franciſcum.* Idem olim faciebant Nomades, qui teſte D. Siculo Lib. III. Cap. 32. *tauros, vaccas & aves, parentes appellarunt ſuos.* Neque mirum mollibus adeò verbis compellâſſe beſtias *Franciſcum*, ita enim eum *reverebantur*, ut *voto cæcæ obedientiæ* teneri omnes *jurares.* Vis Exempla? Audi: *Quùm* (pag. 61.) *gregem ovium ſalutâſſet, relicto paſtu eum comitati ſunt, & intentis in eum oculis cum admiratione Paſtorum plauſum fecerunt.* Ibid. „ Noſtro (quem Virum Dei ſemper appellat Bonav.) occurrit ovis, quam gratanter ſuſcepit. Monebat pius vir oviculam, ut & laudibus divinis intenderet, & ab omni fratrum offenſione caveret. Ovis autem, quaſi Viri Dei pietatem adverteret, informationem ipſius ſollicitè obſervabat: Nam audiens Fratres in Choro cantare, & ipſa Eccleſiam ingrediens ſinè alicujus informatione flectebat genua; vocem balatûs emittens ante Altare Virginis Matris Agni, ac ſi eum ſalutare geſtiret. Inſuper cùm & elevaretur ſacratiſſimum Chriſti Corpus, inter Miſſarum ſolemnia flexis curvabatur poplitibus, tanquàm ſi reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Chriſtoque devotos ad Sacramenti reverentiam invitaret. „

ret.„ Nihil reſtabat, quàm ut ovis *hoſtiam* accepiſſet; quòd ſi enim per miraculum hoc, quod narratur, factum, cauſſa non erat, cur Sacramento deſtituetur. Si *Gentilis* mediocri ingenio *inſtructus* nugaciſſimas *nænias* legeret, firmiter ſibi perſuaderet, *Chriſtianos ratione & ſenſibus captos.* Pag. 62, „ Vocante Franciſco lepusculus in ſinum ejus propero curſu ſaltavit, dimiſit autem, ſimulque hortatus ne ſe iterùm capi permitteret; ſed rediit ille tamen in ſinum Fratris Franciſci, uſque dùm in loca tuta deductus eſt. Pag. 63. In lacu Reatino oblatus ei fuit piſcis magnus & vivus, quem more ſolito, fraterno nomine vocans, in aquam repoſuit juxtà navem: Piſcis verò coram Viro Dei ludebat in aqua, & quaſi amore ipſius allectus, nullatenùs receſſit à navi, niſi priùs ab eodem benedictione licentia ſibi data. *Ibid.* Aves cantantes, ipſo jubente, dùm horas canonicas demurmuràſſet, quieſcunt. *Ibid.* Vidit Cicadam in ficu & juſſit advolare; dictum factum. Volat in manum *Franciſci*; tunc ille: „ Canta, ſoror mea Cicada, & Dominum Creatorem tuum tuo jubilo lauda. Sinè mora obediens canere cœpit, nec deſtitit, donec juſſu Patris ad locum proprium revolavit. Manſit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando & recedendo ejus juſſa perficiens. Tandem Vir Dei ait ad ſocios: Demus jam ſorori noſtræ licentiam, ſatis enim cantu ſuo nos lætificans ad laudes Dei octo dierum ſpatio excitavit; & ſtatim ab eo licentiata ſe recepit, nec ultrà ibidem apparuit, ac ſi mandatum ipſius non auderet

aliqua-

aliquatenùs præterire. „ Pag. 93. Hirundines, volente *Franciſco*, ſilent, & audiunt *Concionantem.* Idem factitâſſe *ranas* perhibet *Commentator.* Pag. 339. *Hirundo* nomine Franciſci juſſa tacere, ſiluit *altum.* Imò (pag. 94.) *Navicula, quam conſcendit, ſponte à terra ſubducitur.* Unum addam exemplum, (nam tædet ineptiarum) quod extat pag. 92, „ Quùm appropinquaret Bevanio, ad quemdam locum pervenit, in quo diverſi generis avium maxima multitudo convenerat; quas cùm Sanctus Dei vidiſſet, alacriter cucurrit ad locum, & eas veluti rationis participes ſalutavit. Omnibus verò expectantibus & convertentibus ſe ad eum, ita ut, quæ in arbuſtis erant, inclinatis capitibus, cùm appropinquaret ad eas, inſolito modo in ipſum intenderent, uſque ad eas acceſſit, & omnes, ut Verbum Dei audirent, ſolicitè admonuit, dicens: Fratres mei volucres, multùm debetis laudare Creatorem veſtrum; qui plumis vos induit & pennas tribuit ad volandum, puritatem conceſſit aëris, & ſinè veſtra ſolicitudine vos gubernat. Cùm autem eis hæc & ſimilia loqueretur, aviculæ modo mirabili geſtientes cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire roſtra, & in illum attentè reſpicere. Ipſe verò, cùm Spiritus fervore mirando per medium ipſarum tranſiens tunicâ contingebat eaſdem, nec tamen de loco aliqua mota eſt, donec ſigno crucis facto & licentiâ datâ cum benedictione Viri Dei omnes ſimul avolarunt. „ Haud malè feciſſet *Bonaventura*, ſi ad hæc omnia dictum *Phædri* adjeciſſet, dicentis:

Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quòd arbores loquantur non tantùm feræ;
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

At tantum *candoris* fruſtrè ab *inepto* & *ſtulto Monacho* exſpectes. Mihi certè identidem illud *Luciani* in *Philopſeude* incidit: dùm enim *Philocles* innumera portenta & ſplendida mendacia narrâſſet, atque ad *Tychiadem* dixiſſet: Hæc ſi vidiſſes, non ampliùs dubitares; reponit hic: Ευ λεγεις, ην δ' εγω επιςευον γαρ αν, ειγε ειδον αυτα· νυν δε συγγνωμη, οιμαι, ει μη τα ομοια υμιν οξοδερκειν εχω· i. e. *Benè dicis, inquam, ego credidiſſem equidem, ſi vidiſſem ea: nunc verò ignoſcendum mihi puto, ſi qualia vos videtis, acutè perſpicere non poſſum. Rectè idem ad finem; enarratis tot* τερατολογιαις: αλλα θαῤῥωμεν ω φιλοτης, μεγα των τοιυτων αλεξιφαρμακον εχοντες την αληθειαν και τον επι πασι λογον ορθον, ω χρωμενες ημας υδεν υ μη ταραξη των κενων και ματαιων ψευσματων· i. e. *At bono animo ſimus, amice, cùm magnum adverſus hujusmodi res remedium habeamus, veritatem rectamque in rebus omnibus rationem: quâ ſi utamur, nullis hujusmodi vanis ſtultisque mendaciis turbabimur. Ehingerus* pag. 812. *exemplum* adfert, quo oſtendit, non ſolùm *animatorum*, ſed & *inanimatorum* ſingulari amore fuiſſe captum *Franciſcum*: „ Parcit (inquit) lucernis, lampadibus, candelis, nolens ſuâ manu deturpare fulgorem; ſuper petras reverenter ambulat, ejus intuitu qui dicitur petra legis divinæ, vermiculos ne tranſeuntium pedibus conculcentur levat, & apibus, ne inedia

pereant

pereant glacie hyemali, mel & optima vina jubet apponi, fraterno nomine animalia cuncta vocabat, miro & ineffabili gaudio replebatur, ob Creatoris amorem: cùm Solem, Lunam, Stellas intuebatur, & eas ad Creatoris invitabat amorem. Coronam ſibi magnam fieri perhibebat, dicens: quòd fratres mei pulices partem habeant in Capite meo. „ At reliqua, quæ caracterem Sancti noſtri exprimere poſſunt, audiamus. Ubique autem, *Fanaticiſmus* dicam an *ſtultitia*, pellucet. Pag. 75. hæc de eo narrat *Bonaventura:* „ Suſpendebatur multoties tanto contemplationis exceſſu, ut ſupra ſemetipſum raptus, & ultra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid ageret exteriùs extra ſe ignoraret; tranſiens namque ſemel per Burgum Sancti Sepulchri, caſtrum utique populoſum, pro debilitate corporis ſubvectus aſello, obvias habuit turbas, in eum præ devotione ruentes. Tractus autem & detentus ab eis, compreſſus quoquè ac multipliciter attrectatus, inſenſibilis videbatur ad omnia; & velut exanime corpus de iis, quæ fiebant circa ipſum, nihil penitùs advertebat, unde cùm jam diù tranſito caſtro, turbiſque relictis perveniſſet ad quoddam domicilium leproſorum; quaſi aliunde rediens cœleſtium contemplator, ſolicitè requiſivit quandò appropinquarent ad Burgum. Mens quidem ipſius in cœleſtibus fixa ſplendoribus, varietates locorum non ſenſerat nec temporum, nec occurrentium perſonarum. Quod ipſi accidiſſe frequentiùs ſociorum ejus experientia multiplex comprobavit. „ Benè factum, quòd dùm Franciſcus in ecſtaſin fuit raptus,

aſellus, cui inequitabat, mentis compos fuerit. Pag. 76. denuò inſolitâ agitatione mens *Franciſci* abripitur: „ Viſus eſt (ita graviſſimus Hiſtoricus Bonaventura) nocte orans, manibus ad modum Crucis protenſis, toto corpore ſublevatus à terra, & nubeculâ quâdam fulgente circumdatus, ut illuſtrationis mirabilis intra mentem mira corporis illuſtratio teſtis eſſet. Ibi etiam ſic, ut certis eſt comprobatum indiciis, incerta ſibi & occulta divinæ Sapientiæ pandebantur; quàmvis illa non vulgaret exteriùs, niſi quantum Chriſti urgebat charitas. „ Acciderunt talia ſapientiſſimis omnis ævi viris. Unum adducam exemplum, quod narrat *Livius* Lib. I. Cap. 19. de *Numa Pompilio*, *qui omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis ſeculis rudem, efficaciſſimam, Deorum metum injiciendum ratus eſt; qui quùm deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat ſibi cum Dea Ægeria congreſſus nocturnos eſſe; ejus ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, Sacra inſtituere*, &c. At peſſimum hoc, quòd cum *Orbe Chriſtiano* bonus *Franciſcus revelationes* ſuas non *communicavit.* Quòd ſi autem quis putet, hæc, quæ adduximus, nondùm probare, *Franciſcum* hominem fuiſſe *fanaticum*, ille audiat *Bonaventuram* ipſum, pag. 80. totidem ferè verbis id conteſtantem: „ Ad tantam autem (inquit) mentis ſerenitatem indefeſſum orationis ſtudium cum continua exercitatione virtutum Virum Dei perduxerat, ut quàmvis non habuerit S. Litterarum peritiam per doctrinam, NB. æternæ tamen lucis irradiatus fulgo-

tibus Scripturarum profunda intellectus ſcrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita; & ubi magiſtralis ſcientia foris ſtat, effectus introibat amantis.„ Hic *mos* eſt *ingeniorum fanaticorum.* Jactant *altiſſimas viſiones* & *revelationes*; S. Litteras autem *ſpernunt*, rudes ſunt, imperiti; volunt tamen *lumina mundi* videri, & ſtolidiſſima *cerebri commenta* pro *divinis* venditant *oraculis.* Non unum ſpecimen in *βιογραφια* noſtri deprehenditur, quos in Sacris *Franciſcus* & *Bonaventura* fecerint progreſſus. Si *Franciſcus* S. Litterarum ſtudio *diligentem* navâſſet *operam*, atque *verâ pietate* excelluiſſet, credi poſſet, Deum, ut erant *tempora, ſingulari ratione* ejus curam habuiſſe; ſed ineptiſſimum & imperitiſſimum hominem, revelationem de cœlo datam *ſpernentem*, & ſtultas viſiones pro oraculis *venditantem*, nemo, qui naſum habet, pro Legato Chriſti agnoſcet. At qui ſemel *verecundiæ* limites transgreſſus eſt, eum oportet *gnaviter* eſſe *impudentem.* Non *viſionibus* tantùm *paſcitur*, ſed *blaſphemè* etiam ſibi vindicat virtutem ſoli Deo debitam, nimirùm *vim* aliorum cogitationes *cognoſcendi.* „ Eo quoque (ita Bonav. pag. 84. ſeq.) tempore, quo revertebatur de ultra mare, ſocium Leonardum de Aſſiſio, contigit eum fatigatum & laſſum parumper aſellum conſcendere. Subſequens autem ſocius, & ipſe non modicùm feſſus, cœpit dicere intra ſe, humanum aliquid paſſus: non de pari ludebant parentes ejus & mei. En ipſe equitat, & ego pedeſter aſinum ejus duco. Hæc illo cogitante protinùs deſcendit de Aſino Vir

ſanctus, & ait: Non frater convenit, ut ego equitem, tu venias pedes, quia nobilior & potentior in ſeculo tu me fuiſti. Obſtupuit illicò frater, & rubore ſuffuſus, deprehenſum ſe cognoſcens, procidit ad pedes ipſius, & lachrymis irrigatus, nudum expoſuit cogitatum, veniamque propoſuit.„ Aut audivit *Franciſcus* ſocium hæc verba demurmurantem, aut non audivit; ſi audivit, homo *nequam* & *impoſtor* fuit, qui cogitationum *ſecreta* ſe *nôſſe* ſimulavit; ſi non audivit, & facultatem tamen eam ſibi tribuit, gloriam Deo ſoli competentem rapuit: utrum eligas, mihi perinde erit. Paria legas pag. 88. Simile exemplum narrat Boſquier pag. 252. Sed properamus ad ultima *illuminatiſſimi Viri* fata. Pag. 108. inquit *Bonaventura*: „ Licèt totus eſſet attritus, gravis prolixitate languoris projiciens ſe in terram, oſſa debilia duro caſu colliſit, & deoſculans humum: gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis.„ Inſanus vir tantum non Martyr eſſe voluit, ita tamen ut vitæ tantiſper parceret. En aliud ſpecimen: „ Cùm ad S. Mariam de portiuncula ſe portari juſſiſſet, ut veritatis exemplo monſtraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo in illa infirmitate tam gravi, quæ omnem languorem concluſit, ſuper nudam humum ſe totum nudatum in ſpiritus fervore proſtravit, quatenùs hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis naſci, nudus luctaret cum nudo.„ Exemplum egregium pietatis: *Franciſcus* nudus jacet humi: Ergo nihil illi commune cum mundo. Gentiles, quibus pudor

inerat,

inerat, cavebant, ne morti proximi nudi apparerent. De *Cornelia Maximilla Veſtali* refert *Plinius* Epiſt. Lib. IV. epiſt. XI. *Quòd, quùm in ſubterraneum cubiculum demitteretur, atque deſcendenti ſtola hæſiſſet, verterit ſe ac recollegerit.* Et paucis interjectis: Omnibus numeris pudoris πολλὴν πρόνοιαν ἔιχεν ἐυσχημόνως πεσεῖν. At Franciſcus noſter, quid ſit ἐυσχημόνως agere, *ignorâſſe* planè videtur. Reddit autem perſpicuam rationem hujus rei *Bonaventura*: „ Voluit certè per omnia Chriſto crucifixo eſſe conformis, qui pauper & dolens & nudus in cruce pependit. Propter quod & in principio converſionis ſuæ nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſummatione vitæ nudus voluit de mundo exire, fratribusque ſibi aſſiſtentibus in obedientia charitatis injunxit, ut cùm viderent eum jam eſſe defunctum, per tam longum ſpatium nudum ſuper humum jacere permitterent, quo unius milliarii tractum ſuaviter quis perficere poſſet. „ Dignus fuiſſet, cui (quod *Diogenem Cynicum* olim poſtulâſſe meminimus) baculus in manus daretur, ut *muſcas* depellere poſſet. At reliquit tandem terras *Franciſcus*. „ Unus ex fratribus (ita pag. 3.) & diſcipulis ejus vidit animam illam beatam, ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ à candida ſubvectam nubecula, ſuper aquas multas in cœlum recto tramite ſurſùm ferri, tanquàm ſublimis ſanctitatis candore prænitidam & cœleſtis ſapientiæ ſimul & gratiæ ubertate repletam, quibus Vir ſanctus promeruit locum introire lucis & pacis, ubi ſine fine cum Chriſto adquieſcit. „ Mirum eſt, corpus, quòd in facie litte-

ram *Thau*, in pedibus & manibus *ſtigmata* divinitùs impreſſa habuit, hoſpitem ſuum non comitatum; præſertim cùm Chriſto per omnia ſimilis eſſe deberet Franciſcus. Sola igitur anima rectà contendit Olympum. Fortè autem major *fides* habenda *Fratri Thomæ*, cui in oratione *ſuſpenſo* apparuit *S. Franciſcus*, Purpurâ indutus *Dalmaticâ*, teſte *Alcorano* pag. 241. Is ità teſtatur citato loco: *Anima B. Franciſci, ut Chriſto eſſet conformis, poſt mortem, ſicut fuerat in vita, ad purgatorium acceſſit, ac abinde multis animabus extractis, earum vallatus caterva, cœlum adiit.* Utrum jam *Bonaventura* an frater ille *mentiatur*, ego quidem neſcio. Juvat autem ex *Alcorano* illo *Franciſcanorum* aliquot adducere exempla *ſuperſtitionis*, *ſtoliditatis* & *ineptiarum* hujus viri. Et *ſtultitiæ* quidem argumenta ſequentia ſunt. Pag. 30. fatetur ineptiſſimus homo, *dixiſſe Deum, velle ſe, Franciſcum eſſe unum fatuellum* (ita loquitur) *in hoc mundo*. Pag. 31. „ Confitebatur peccata ſua, quòd in infirmitate ſua comederat carnes & brodium conditum, & cibaria condita cum lardo. Pag. 36. Franciſcus ſæpe vidit Diabolum, non tantùm ſimulatâ ſpecie, ſed clarâ viſione ſe in proprio eſſe ad eum terrendum oſtendebat. Interrogavit Frater Ægidius, an Diabolus ſit ſic terribilis, quòd homo per unum Pater Noſter non poſſet ſuſtinere, reſpondet, quòd nullus poſſet ſuſtinere Diabolum per medium Pater Noſter, quin ſtatim moreretur. „ Ibid. Diabolus apparuit *Franciſco*, dicens: „ Neſcis, quòd dormire corporis eſt potiſſimum alimentum? Statim Fran-

Franciſcus tunicâ exutâ & femoralibus de cella exiens ad ſylvam nudus, cùm frigus eſſet, & nives & glacies, ſe in ſylvam ſpinis plenam volutabat, ſpinarum puncturis cruentatus. Pag. 42. Franciſcus juſſit lapidem, in quo ſedebat Chriſtus, quandò apparuit ei, lavari aquâ, oleo, balſamo, quia quatuor mihi pro ordine repromiſit: 1. Qui diligit Ordinem, bonum finem habet: 2. Ordinis perſecutor punietur: 3. Qui non ſervat Ordinem, confundetur: 4. Religio durabit uſque ad finem ſeculi. „ Pag. 44. *Franciſcus* beati Viri fratris *Maſſei* arcana intellexit. „ Nam Maſſeus antecedendo B. Franciſcum interrogavit, per quam viam ire vellet? Reſpondit B. Franciſcus: Per ſignum, quod faciam in te. Unde mandavit ei per ſanctam obedientiam, quòd volveret ſe in gyrum, ſicut aliquandò ſolent pueri, & nunquàm ceſſaret, donec ipſe ſibi diceret. Quod faciens ex vertigine capitis pluries cecidit. Tandem dixit ſibi B. Franciſcus, quòd ſe non moveret & diceret, verſùs quam partem haberet faciem, & ille diceret verſùs Senas. B. Franciſcus dixit: Vadamus Senas, quia ſic eſt Dei voluntas. Pag. 45. Franciſcus ivit ad orandum poſt altare, ubi viſitationis divinæ recepit tam ignitum fervorem, ejus animam ad paupertatis concupiſcentiam inflammantem, quòd videbatur ex facie & oris hiatu quaſi flammas ardoris emittere, & egrediens ad ſocium ſic ignitùs ore dixit: AAA frater Maſſee! hoc ter repetivit ex fervida devotione, ac ruebat Maſſeo in collum, habebatque os ſuum latè diductum præ nimio fervore Spiri-

tûs Sancti, & clamabat continuè: AAA frater Maſſee! & erexit Maſſeum de terra, cum ipſo flatu oris levavit Maſſeum iu aerem, & impulit illum ante ſe, quantum eſſet unius haſtæ longæ menſura. Frater Maſſeus ſtupuit de tam mirando S. Patris fervore, tantam conſolationem & dulcedinem Spiritûs perſenſit, quòd nunquàm in vita ſua tam maximam conſolationem ſe meminerat habuiſſe. „ Mendacium Monacho dignum. Pag. 47. „ Diabolus tentavit Ruffinum, dicens: Tu es damnatus & ipſe Franciſcus damnatus; & quicunque eum ſequitur, decipitur. Quod cùm Ruffinus Franciſco dixit, reſpondit Franciſcus: Si iterùm apparebit, & aliquid tibi dixerit, dicas ei: (ſcilicèt Diabolo) Aperi os tuum, & ego ſtercorizabo in illud. Poſteà Ruffinus cùm oraret iterùm, apparuit ei Diabolus in ſpecie Chriſti, dicens: Frater Ruffine! nonne dixi tibi, quòd non crederes Filio Petri Bernhardionis, cur te affligis? Et ſtatim Frater Ruffinus ſibi dixit: Aperi os tuum, & ego in ipſum ſtercorizabo. Tunc Diabolus indignatus cum tanta furia & tempeſtate ab eo receſſit. „ Addendum fuiſſet illud *Mediocrum: Probatum eſt.* Ibid. „ Quâdam die dixit B. Franciſcus Ruffino, ut iret ad prædicandum Aſſiſium, quicquid ei Spiritus ſuggeſſiſſet. Frater Ruffinus dixit: Sum idiota, parce mihi, Domine. B. Franciſcus dixit: Quia non ſtatim obediiſti, ideo per ſanctam obedientiam tibi præcipio, ut nudus ſolis brachiis remanentibus vadas Aſſiſium in Eccleſiam aliquam, & ſic nudus populo prædicabis. Poſteà pœnitentiâ ductus

Fran-

Franciſcus de mandato tam duro etiam venit nudus, & audivit prædicantem Fratrem Ruffinum. Sed cives Aſſiſinates videntes iſtos nudos dicebant: Iſti faciunt tantam pœnitentiam, quòd efficiuntur amentes. „ Haud malè judicarunt concives. Pag. 133. *Lupum* vocat *fratrem ſuum.* „ Nam lupum rabioſum, qui multos in civitate læſerat, ſigno Crucis ſanavit, & dixit: Frater Lupe! tu debes mihi promittere, quòd nunquàm vis rapax eſſe, ſed cives debent te nutrire. Et lupus ſignum evidens inclinato capite dedit, quòd promittebat illa facere. Et B. Franciſcus: Da mihi fidem; & extendit manum pro fide recipienda. Tunc lupus levavit pedem anteriorem dextrum, & blandè poſuit in manus beati Franciſci. Tunc beatus Franciſcus dixit: Frater lupe! præcipio tibi in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut venias modò mecum; & ivit, &c. Omnes cives & mulieres adorabant. Poſteà concionabatur; deinde dixit populo: Frater lupus, qui coram adſtat, promiſit fidem vobis & pacem; ſi tamen vos promittatis, eidem omni die dare expenſas, & pro fratre lupo ego fidejubeo. Tunc omnes promiſerunt. At S. Franciſcus coram eis dixit lupo: Et tu, frater lupe, promittis pactum ſervare? Et lupus ſe ingeniculans, geſtibus ſe ſervaturum pacta oſtendit. Item iterùm levavit pedem dextrum &c. Tunc omnes clamabant ad ſydera. Lupus vixit duos annos neminem lædens, oſtiatim quærens fuit curialiter enutritus; & mirum, quòd nunquàm aliquis canis latrabat contra eum. „ Gloſſa margini adjecta addit: „ Mirum, quòd lupum cu-

cullo

cullo non induerit, quo & ipſe ſalvatus fuiſſet. Pag. 236. Pulchra cujusdam mulier ſollicitavit S. Franciſcum. Ipſe verò nudum ſe poſuit ſuper carbones, dicens: Hic eſt lectus meus, concumbe mecum. Tunc mulier aufugit. Pag. 138. Franciſcus mandavit cuidam fratri nobili, quòd nudus prædicaret; reſpondit frater: Pater! quid ex hoc habebo? Reſpondit S. Franciſcus: Securo te, quòd habebis vitam æternam. Tunc ille cum ſumma alacritate nudus abivit. Pag. 172. Franciſcus ſemel comedit coquinam de lardone; de quo peccato ſe acriter accuſavit coram populo in ſermone. „ Pauca hæc ex innumeris *ſtoliditatis* argumenta ſufficiant. *Viſionum ineptiſſimarum non minor jactantia.* Ex multis quasdam adducam; ex quibus ſimul de hujus hominis *Religione* judicari poteſt. Pag. 145. „ Cùm Franciſcus pro peccatoribus ferventiſſimè oraret, apparuit ei Angelus, dicens: Chriſtus & B. Virgo in Eccleſia expectant te cum magna multitudine Angelorum, &c. Quò veniens cecidit in faciem ſuam præ timore & reverentia. Chriſtus dixit: Franciſce! multùm ſollicitus es cum tuis ſociis pro ſalute animarum; poſtula ergo quod vis pro ſalute animarum, quia datus es in lucem gentium. Et ipſe jacebat, quaſi raptus in conſpectu Deitatis; & tandem reverſus ad eos dixit: Sanctiſſime Pater noſter! ſupplico ego miſer peccator, quatenùs facere digneris hanc gratiam humano generi, quòd concedas veniam & indulgentiam omnibus & ſingulis venientibus ad locum hunc, omnium peccatorum ſuorum univerſaliter & generaliter. Et

ſupplico

ſupplico beatæ Mariæ Matri tuæ, Advocatæ humani generis, quatenùs pro hujusmodi petitione me adjuvare & apud tuam piiſſimam & clementiſſimam Majeſtatem intercedere dignetur. Et ipſa cœlorum humillima & beatiſſima inclinata precibus B. Franciſci ſtatim cœpit ſupplicare filio ſuo, dicens: Altiſſime Deus omnipotens, ſupplico humiliter Deitati tuæ & intercedo, quatenùs dignetur Majeſtas tua ſe inclinare beati Franciſci famuli tui precibus; & ipſa divina Majeſtas ſtatim locuta eſt, dicens: Satis grande eſt, quod petiiſti, ſed majoribus dignus es, Frater Franciſce, & majora habebis, & ego orationem & petitionem admitto. Sed volo, quòd vadas ad meum Vicarium, cui dedi poteſtatem ſolvendi & ligandi, & petas ab eo ex parte mea dictam indulgentiam. Pag. 177. Chriſtus beato Franciſco plus quàm decies apparuit, & beata Virgo etiam decies. Ibid. Franciſcus pro quodam Nobili orabat, ut Ordinem intraret. Orabat autem tanto fervore, quòd, vidente dicto Nobili, ſublevatus à terra per magnum ſpatium extitit, & Dominus Jeſus Chriſtus apparendo ſibi dixit, preces ſuas pro præfato Nobili exauditas fore. Tantæ elevationis miraculo viſo, dictus Nobilis poſt orationem ad beatum Franciſcum humiliter accedens petiit, ut ipſum ad Ordinem reciperet, qui omnibus ſuis bonis datis pauperibus factus eſt frater minor ſanctiſſimus. Pag. 178. Virgo Maria cum Filio parvulo, quem gerebat in ulnis, apparebat B. Franciſco. Nam cùm quidam frater devotus valdè murmuraret de B. Franciſco, quòd comederet

&

& dormiret ſicut cæteri homines. Beatus igitur Franciſcus cæteris dormientibus ivit in ſylvam ad orandum, quem prædictus Frater ſubſequitur ipſo B. Franciſco ignorante. B. Franciſcus poplites inclinans cœpit altâ voce clamare, & dicere ſocio ſuo audiente: O beata Virgo! oſtende mihi Filium tuum. Tunc B. Virgo cum Filio ſuo de cœlo deſcendit, & Filium ſuum in ulnis B. Franciſci poſuit. Quem tenens, B. Franciſcus amplexans & oſculans à dicta hora uſque prope diem, tandem Beatæ Virgini regratiando reſtituit. Tunc Beata Virgo cum Parvulo receſſit. „ Scio fore homines, quibus viſiones illæ *ideò* non videbuntur *fide indignæ*, quòd olim Seculo ſecundo, tertio & ſequentibus, multis *viris* & *fœminis* viſiones obtigerint. Ego verò, ut non prorſùs negaverim, viſiones *quibusdam* contigiſſe, ità tamen diffiteri non poſſum, plerasque mihi videri *ſuſpectas*. Rationes non paucæ adſunt, quas tamen ut heic loci adferam, inſtituti ratio non patitur. *Cl. Viri, H. Dodwellus, Diſſertatione Cyprianicis* inſertâ, & *Pfannerus ſingulari libello*, ut de aliis nil dicam, viſiones, quæ piis primorum ſeculorum contigiſſe dicuntur, enarravêre; at ità, *ut facilè videas, quo animo antiqua evolverint Patrum monumenta.* At ſi concedamus, *Viris quibusdam piis viſiones obtigiſſe*, nondùm ſequitur, ergo *Franciſco* etiam conceſſæ ſunt; niſi putes, omnibus *in univerſum*, qui viſiones *jactitant*, fidem eſſe habendam. *Diſpiciendum* ergo *quinam* fuerint illi, qui ad viſiones *provocant;* videndum *in quem finem* Deus illis conceſſerit, &c.

Interim

Interim non dubito, *famam multarum viſionum*, quæ olim factæ *dicebantur*, effeciſſe, ut *Philoſophi Platonico-Pythagorici* jactitarent, ſibi etiam tales obtigiſſe. *Gloriantur de hac felicitate Plotinus, Porphyrius, Jamblichus, Proclus, Syrianus &c.* Vide quæ diligenter notavit Cl. *Brukerus* Tom. III. *Hiſt. Philoſoph.* pag. 524. 630. 692. 783. 787. 814. 818. 824. 852. *Viſiones* autem illæ, ut fieri ſolet in tanta viſionum copia, ſibi invicem *contrariæ* aliquandò. Pag. 188. *impreſſa ſtigmata tribuuntur imaginationi Franciſci.* „ Cùm Chriſtus (ità habent verba) ſit Rex Regum, decuit eum habere aliquem vexilliferum ſtigmatiſatum, ſcilicèt Beatum Franciſcum; vehemens imaginatio impreſſit ſtigmata Beato Françiſco. Sed cùm talis imaginatio præ omnibus in Beata Virgine fuiſſet, quæ præ aliis doluit, tamen Eccleſia non aperit, nec aliqui Doctorum, quòd Maria ſit ſtigmatiſata, quia non decebat, ut mulier ſtigmatiſaretur. Paginâ verò 195. ait: Eſt igitur ſtigmatiſatio opus Dei, non hominis. „ (*) Inerat ſimul ſtolidiſſimo homini

(*) Petrus de Alva Aſtorga edidit librum in folio, ſub titulo: Prodigium Naturæ & Gratiæ portentum. Madriti. 1651. Cùm in Bartholomæi Albizii Piſani, Auctoris Libri Conformitatum Chriſti & Franciſci, quadraginta inſtituerentur comparationes, ſive conformitates inter Chriſtum & djus dicta, facta, miracula, & inter Franciſcum Chortigerarum Parentem, tùm idem ille quem indigitamus Hiſpanns, P. de Alva Aſtorga his minimè contentus, in eo quem diximus libro, eos incredibile dictu ad quater mille conformitates extendit. Neque

homini magna *ſuperbia.* Pag. 187. „ B. Franciſcus vult ſuam regulam intelligi ſimpliciter, ut jacet, quia ſic eſt divinæ voluntatis. Pag. 169. Duo juvenes petierunt Ordinem à S. Franciſco, qui volens probare ſi verè obedientes erant, duxit eos ad hortum dicens: Venite, plantemus caules; & ſicut me videbitis plantare, ſic & vos plantate. Tunc B. Franciſcus plantando radices poſuit deſuper verſùs cœlum folia ſubtus. Unus illorum fecit per omnia, ſicut B. Franciſcus; ſed alter non, ſed dixit B. Franciſco: Non ſic, Pater, caules plantare conſueverunt, ſed potiùs verſâ vice. Cui B. Franciſcus: Fili, ego volo, quòd tu facias, ſicut facio ego. Cùmque ille facere nollet, quia fatuum videbatur, dixit B. Franciſcus: Frater, video, quòd magnus Magiſter es; vade vias tuas, quia non bonus es pro Ordine meo. „ Pag. 113. repulit B. Franciſcus quemdam in Marchia, volentem in Ordinem ingredi, quia *ſua* non *pauperibus*, ſed *Parentibus* dederat. Pag. 135.

que enim per prodigium Naturæ & Gratiæ portentum quemquam indigitat, quam eumdem illum S. Franciſcum, in cujus mirabilibus enarrandis is ultrà quàm credi poteſt & diffuſus eſt & fatuus, Suppeditavit hujus libri longè rariſſimi, quique in Bibliotheca Genevenſi publica asſervatur, quamdam recenſionem, atque ex eo dedit ſpecimina Auctor Anonymus, datâ Epiſtolâ Anno 1744. die 1. Aprilis ſcriptâ, quæ inſerta legitur dans la Biblioth. Raiſonnée 1744. P. I. pag. 279-299. Verba ſunt clariſſimi & amiciſſimi D. Gerdeſii, Theologi Gröningani, quæ extant in ejus Florilegio Hiſtorico-Critico Librorum rariorum pag. 232.

135. „ Franciſco prædicante mulier cymbalum pulſabat. Franciſcus juſſit eam tacere, & noluit. Tunc dixit Franciſcus: Tolle, tolle, Diabolè, quod tuum eſt. Statim capta eſt mulier miſera & in aerem levata, ampliùs non eſt viſa. Ibid. Quidam Epiſcopus prædicans laudavit B. Franciſcum, allegans de eo hunc verſum: Non fecit taliter omni nationi. Poſt prædicationem dixit ad eum B. Franciſcus, inclinatus ad pedes ejus: Domine Epiſcopè, in veritate dico vobis, quòd nullus mihi fecit unquàm tantum honorem in hoc ſeculo, quantum vos mihi feciſtis hodiè. Pag. 122. Quidam B. Franciſcum interrogavit, quis Ordo eſſet melior? Reſpondit: Nullus Deo magis placet, quàm meus. Pag. 123. Florentinus quidam perſecutus eſt noſtrorum Ordinem, & hanc habet pœnam uſque ad diem judicii, ut duo mallei ſemper ejus percutiant caput. „ *Teſtis autem frequentiſſimè Diabolus eſt rerum narratarum, aut veritatis à Franciſco adſertæ.* Pag. 11. „ Lucifer de Ordine ſupremo fuit, & conſequenter de Ordine Seraphico, & per conſequens præ aliis Ordinum inferiorum ſedem habuit & locum inſigniorem. Quòd autem in Luciferi loco humilis Vir S. Franciſcus ſedeat, probatur, quia fratri Pacifico & fratri Leonardo de Aſſiſio eſt divinitùs revelatum. Ac ipſe Diabolus, per os cujuſdam Dominæ Zanteſæ de Ravenna, Presbytero Jacobo de Bononia Franciſcum in ſede Luciferi reſidere dixit. Item: Præfatus Diabolus dixit, cùm S. Franciſcus ſit Jeſu Chriſti ſignifer, & talis habeat eſſe juxtà Regem, hinc eſt, quòd nullus Ordo ſit Chriſto

propinquior, & juxtà Regem Regum ſtat B. Franciſcus glorioſus, quod & Diabolus præfatus dixit, quòd poſt B. Virginem, Johannem Baptiſtam & Apoſtolos B. Franciſcus cum ſuis omnes alios præcedit Sanctos. „ Quis hoc Diabolo dixit, (ità addit Auctor Gloſſarum) cùm ipſe poſt caſum ſuum in cœlum non venerit, nec unquàm ſit venturus? Pag. 20. „ B. Franciſcus Dæmonibus declaratus, qualis eſſet futurus. Nam, ut habetur in Legenda antiqua, Dæmoniaco à Franciſco liberato, ipſe Diabolus interrogatus de ſanctitate B. Franciſci dixit, quòd in hora nativitatis B. Franciſci tanta facta eſt in/inferno commotio, quòd omnes crediderunt, judicium futurum adveniſſe; & tandem videntes, quòd judicium non parabatur, dixerunt, pro certo aliquem eſſe natum, qui ipſum commoveret infernum & deſtrueret. Et tunc à Principe tenebrarum miſſi in omnem terram, hunc B. Franciſcum natum in illa hora repererunt, pro certo tenentes, per ipſum eos fore & ſuos deſtruendos. Pag. 108. In B. Franciſco impletum eſt dictum Abrahæ: Si quis poteſt numerare pulverem terræ, &c. Unde Diabolus prædixit per os cujusdam mulieris: Ordo Minorum, etſi parvulus ſit, ſuper omnes Ordines multiplicabitur. Pag. 114, Chriſtus petiit à Patre & impetravit regulam & ordinem Minorum, ſicut teſtatus eſt Diabolus. Pag. 121. Dæmon per os cujusdam mulieris à Lucifero informatus cuidam divo Bartholomæo coram quadraginta Presbyteris multa & magna de B. Franciſci ſanctitate dixit. Pag. 159. Mulier quædam obſeſſa dixit ad Fratres Mino-

Minoritas, quòd ſi hîc eſſent omnes ſapientes Minorum, & ſi hîc eſſent omnes ſapientiores Prædicatorum, ego ſola confunderem omnes per Scripturam. Tunc unus Minorita ait: Eſtne melior Ordo Minorum, quàm Prædicatorum? Reſpondit: Ita eſt. Interrogata ubi didicerit talia, reſpondit: In ſchola cœli empyrei, de quo cœlo ejecta fui cum Lucifero & multis aliis propter unam ſolam cogitationem, in qua omnes conſenſimus.„ Pag. 264. *Autenticatur indulgentia* (nimirùm B. Virginis de portiuncula) *alio Dæmonis teſtimonio:* „Diabolus interrogatus, quare vexaret mulierem, reſpondit: Ob nullum peccatum, ſed ut clareret, quanta eſſet indulgentia S. Mariæ de Portiuncula. Illâ indulgentiâ perdidimus omnes animas noſtras, quas lucrati ſumus & poſſedimus magno tempore; & addidit: Heu! Cogimur verecundiam noſtram & periculum propalare, ex quo illi, qui deberent eam prædicare, non prædicant. Pag. 175. D. Bartholomæus dixit Dæmoni: Quomodo Paſſio Domini eſt in hoc homine renovanda? Numquid ille Franciſcus ſicut Chriſtus pro humano genere patietur? Cui Dæmon adhuc inquit: Notum erit toti mundo, qualiter Chriſti Paſſio in hoc homine renovabitur. Hoc autem dixit Dæmon per biennium, antequàm ejus ſacro corpori eſſent ſtigmata impreſſa crucifixi. Item Dæmon dixit: Duæ partes totius orbis virorum & mulierum in propriis habitantes, domibus hujus Ordinis dignos pœnitentiæ agent fructus. Hæc dixit Dæmon Bartholomæo; quibus dictis apparet, quod dictum eſt, beatum

Franciſcum adeò viciſſe Dæmones, quòd ab ejus fugerent præſentia. Id ipſum alius Diabolus dixit Baroni cuidam, quòd omnes Diaboli ad B. Franciſci mortem accedentes appropinquare non potuerunt præ multitudine Angelorum. Et alibi tenetur, quòd alter Diabolus habuit dicere, quòd per decem milliaria circùmcirca beato Franciſco appropinquare non poterat, præ multitudine Angelorum eum cuſtodientium. Pag. 192. Dæmon per os cujusdam mulieris cuidam Baroni de tertio Ordine B. Franciſci de B. Franciſo dixit, quòd Chriſtus petiit à Patre cœleſti, ſibi dari aliquos, qui eſſent ſuæ crucis Bajuli & Pater cœleſtis dedit ſibi datum à Patre, pro Signifero ſibi ſua ſtigmata impreſſit, ut ſibi ſimilis eſſet per omnia & conformis. Ibid. Diabolus adjuratus à quodam Sacerdote hanc ſimilitudinem dixit. Nam ſicut Rex non committeret annuli ſui bullam niſi propter aliquod magnum factum; ità crucifixus quandò voluit ſalvare populum ſuum, noluit Franciſco aliud ſignum concedere, niſi bullam ſuorum ſtigmatum. „ Hæc Diabolus. Plus *ſatis*, ni fallor; quo *ingenio moribusque* fuerit Franciſus, oſtendimus. (*) Nemo non videt, eum omnium, quos terra unquàm tulit, *hominum* fuiſſe *ſtolidiſſimum* & *ineptiſſimum*; neque adeò opus eſt; ut multis *doctrinam* ipſius exponam. Qualis arbor, talis fructus. Homo, qui perpetuas *viſiones*, easque *ineptiſſimas* & *ridiculas jactitat*; qui nullâ S. Litterarum *cognitione*, imò *vix ratione* inſtructus eſt; qui *reliquias* & *Sanctos venera-*
tur

(*) Siquidem ulla fides habenda eſt vitæ ſcriptoribus.

tur; qui turpiſſimam *idololatriam* & *ſuperſtitionem* omnibus viribus *promovet*; qui manifeſtisſima *mendacia* deblatterat; qui cum *beſtiis* ſermones ſe *miſcere* jactitat, & per ignaviam, *utì mente captus*, ſinè ulla rationis umbra quaquaverſùm *currit*, aniles *fabulas* disſeminandi &c. dignus eſt potiùs, ut *Plauti* phraſi utar, *qui ad fuſtitudineas ferricrepidinas inſulas, ubi vivos homines mortui incurſant boves, mittatur, quàm ut pro homine divino* aut *Doctore* publico habeatur. Qualis doctrina tum temporis fuerit, nemo, vel leviter hiſtoriæ ſacræ peritus, ignorat. *Horrendam* illam & *abominandam* ſuperſtitionem *Franciſcus* cum *ſtolidiſſima turba Monachorum* non ſolùm non *imminuit*, ſed in immenſum *auxit*, à *Jeſu Chriſto* unico Salvatore & *ſanctisſima* ejus *diſciplina abstraxit*, & ad *ineptas viſiones* & cultum *abominandum* traduxit, ſeque pro *Deo* & *Chriſto* in mundo *coli* voluit. Imò addo, ſi talem ſe perhibuit *Franciſcus*, qualem nobis ſiſtunt *Bonaventura* & *nebulones*, qui *Librum Conformitatum* ſcripſerunt, non ſolùm *ſtultus* & *fanaticus* fuit, ſed omnium *Hæreticorum*, qui inde ab *Orbe condito* ad noſtra tempora vixerunt, *nequiſſimus*. In omnibus enim operam dat, ut *Chriſto* videatur *æqualis*. Loca Scripturæ *V. T.* quæ *Meſſiæ* competunt, ad ſe *rapit*; de quo tamen plura infrà, ubi de teſtium indole ſermo erit, agemus. Neque quicquam ad auctoritatem *Franciſco* conciliandam faciunt *horridus* veſtitus, ciborum quorumdam *abſtinentia*, & voluntaria *paupertas*. Præterquàm enim quod legibus divinis & humanis *contrarium* ſit, talem vitæ eligere ſtatum, in quo ex aliorum

ſudore vivendum eſt, &, quod magis eſt, alios, ut idem faciant, *ſpecie Religionis* inducere; turpiſſimi *hiſtriones* in cauſſa Religionis omni tempore idem fecère. Non referam teſtimonia, quæ nemo ignorat. Notum quid moderni Sacerdotes inter Paganos hâc in parte faciant. Alia eſt *natura* veræ *pietatis*. Hæc certis fundamentis *ſuperſtructa*, atque altiſſimè menti *infixa*, nihil, quod *ſtultitiam* præ ſe ferat, habet; neque *externo* corporis veſtitûsque *ratione* aliquid *adfectat* ſingulare. De *regulis*, quibus continetur Franciſcanorum religio, nihil ex profeſſo dicam, poſtquàm πολυμαθέςατος *Hoſpinianus* de *Origine Monachatûs* pag. 202. ſeq. non ſolùm ſingulas enumeravit, ſed & examini ſubjecit. Formulam tantùm deſcribam, quâ ex mente *Franciſci* utuntur, ſi quem in Ordinem recipiunt. Eſt autem talis: „ Ego Frater N. voveo & promitto Deo omnipotenti, B. Mariæ Virgini, B. Franciſco & omnibus Sanctis, & tibi Patri, toto tempore vitæ meæ ſervare regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Gonorium confirmatam, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. „ Forma recipiendi: *Et ego (dicat ſubſequenter recipiens) ſi hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam; reſpondet: Amen. Cùm verò in tota regula* (verba ſunt magni Hoſpiniani) *ſua nihil præcipiat Franciſcus de vera fide in Filium Dei, cui ſoli verbum Dei ſalutem hominum & vitam æternam adſcripſit, apparet, jurantes in ejus regulam Minoritas aliâ viâ ad regnum Cœlorum tendere, quàm Deus in verbo ſuo monſtrat. Quicunque autem per aliud oſtium, quàm Chriſtum, introierit, fur & latrò eſt.* Joh. X.

Ad

Ad controverſias jam quidem ego dilabi nolo; adjiciam tantùm teſtimonium *Matthæi Pariſienſis* de modo confirmationis regulæ *Franciſci* per *Innocentium III.* obtenta. Ità autem ille apud eumdem *Hoſpinianum:* „ Papa in Fratre Franciſco habitum deformem, vultum deſpicabilem, barbam prolixam, capillos incultos, ſupercilia pendentia & nigra diligenter conſiderans; cùm petitionem ejus tam arduam & executione impoſſibilem recitari feciſſet, deſpexit eum, & dixit: Vade Frater, & quære porcos, quibus potiùs debes quàm hominibus comparari, & involve te cum eis in volutabro, & regulam illis à te commentatam tradens officium prædicationis tuæ impende; quod audiens Franciſcus inclinato capite exivit continuò, & porcis tandem inventis, in luto ſe cum eis tamdiù involvit, quouſque à planta pedis uſque ad verticem corpus ſuum totum cum ipſo habitu polluiſſet. Sicque ad Conſiſtorium revertens, Papæ ſe iterùm præſentavit, dicens: Domine, feci ſicut præcepiſti; exaudi nunc, quæſo, petitionem meam. Quod factum cùm Papa admirans conſpexiſſet, contriſtatus eſt valdè, quòd illum deſpexiſſet; atque in ſe reverſus, præcepit, ut benè lotus rediret. Quod cùm factum eſſet, reverſus eſt feſtinanter. Commotus igitur Papa ſuper eo, petitionem ejus admiſit, & per privilegium Romanæ Eccleſiæ, officium prædicationis ſimul cum Ordine confirmavit, eumque cum benedictione dimiſit. „ Hæc *Matth. Pariſienſis*, fide dignus ipſorum Pontificiorum, *Du Pinii*, *Mabillonii*, *Langleti* judicio, *teſtis.*

CAPUT VIII.

In quo agitur de Dominico, ejus moribus & Decretis. (*)

FRanciſco æqualis fuit *Dominicus*. Homo iisdem ferè *virtutibus*, quibus *Franciſcus* ornatus fuit, *nobilis*. Nimirùm virtus utriusque tanta habetur, quantum verbis eam extollere potuère præclara Monachorum ingenia. Nec dubium eſt, quin parùm nobis çognitæ futuræ eſſent virtutes, quibus eluxerunt Viri *ſapientiſſimi*, niſi per *graviſſimorum Virorum* diligentiam fidis cuſtodibus, chartis nempe, traditæ fuiſſent *accuratæ* rerum geſtarum narrationes. Fortè autem *Auctor Vitæ* Dominici multa oblitus eſt; (quanquàm ſatis adhuc adferat argumentorum, quibus de *indole ingenii* Herois ſui judicare licet) neque enim tot inuſitatas actiones ei adſcribit, ac *S. Franciſco* Bonaventura, quod tamen magis ex Scriptorum vitæ *diverſitate*, quàm ingeniorum utriusque & virtutum *diſcrepantia* ortum eſſe credo. Sed ad rem ipſam venio, atque de *ingenio* & *doctrina*, quantum ex Βιογράφω conſtat, *Dominici* agam. In vita *Pythagoræ*, *Apollonii* & *Franciſci* audivimus, non ſinè *miris* & *præ-*

(*) Vitam Dominici ſcripſit R. P. Touron. Edita illa Pariſiis in 4to. Anno 1739. Eam non vidi; crediderim tamen, ſi veteres Legendas ſecutus eſt, meliora iis, quæ nos adduximus, narraturum non fuiſſe.

præſagiis in *lucem editos* eximios Viros; quod ſi tacerent Scriptores, vix tamen fieri potuiſſe crederemus, ut homines, *cœlitùs nobis dati*, ſinè aliqua pompa mortalibus innoteſcerent. (*) Sein Leben (ità Auctor hujus βιογραφιας, Thomas Dillinger) iſt eine Sonn zu nennen, dieweil er ein wunderthatiges Ebenbild Gottes, gleichſam von deſſen Hand ſelbſt ausgearbeitet, und mit ſo vielfaltigen Strahlen einer ſeltſamen Tugend und Heiligkeit vor vielen andern Heiligen begnadet, ja geſtaltſam unter denen herrlicher, gleich wie die Sonne unter den Sternen anſehnlicher von der allmächtigen Hand Gottes iſt an dem Firmament des Himmels geſezt worden. Non ſinè *ominibus* & *præſagiis* igitur naſci potuit & debuit tantus Vir. Hinc pag. 2. ait Auctor: Ehe aber und bevor ihn ſeine Frau Mutter auf die Welt gebohren, wurde ſie durch ein himmliſches Geſicht von der künftigen Geburt unterwieſen, denn es kam ihr in einem Geſicht vor, als ob ſie ein Hündlein in ihrem Leib trug, ſo in ſeinem Mund eine brennende Fakel hielt, und wie es aus Mutter-Leib kommen, mit ſelbiger die ganze Welt entzündete; durch welches ihr angezeiget wurde, daſs ſie einen Sohn ſollte gebähren, welcher ein weit-berühmter Prediger des göttlichen Worts ſeyn, und durch ſeinen brennenden Eifer die erfrohrne und er-

K 5 kaltete

(*) Ipſiſſima verba Dillingeri germanico idiomate prolata adducere voluimus; ne homines Religioni Catholicæ addicti putent, nos pro lubitu ad invidiam conflandam Dominico aliquid adjeciſſe.

kaltete Herzen der Menſchen zu der Liebe Gottes und Haltung ſeiner Gebotten anhalten würde. Alii non minùs *eruditi ſomniorum interpretes* longè aliter, quàm *Dillingerus*, quæ matri *Dominici* contigère, explicare ſolent: nixi *experientiâ*, *ſignificari* putant hàc *viſione*, *Dominicum olim, rabidi adinſtar canis, innocentiſſimos quosque aggreſſurum, latratuque ſuo & ſævis morſibus multis exitio futurum, id eſt, omnem operam daturum, ut innocentes homines, oves patientes injuriæ, exquiſitis ſubjiciantur ſuppliciis.* Atque ità *Hoſpinianus* & *Limborchius*, hujus viſionis mentionem facientes, *interpretantur.* Alius exemplo *Hecubæ* hanc interpretationem fulcire voluit. *Hecuba* prægnans facem ſibi *ardentem parere* viſa, *Paridem* enixa eſt, qui *fax* illa fuit *Aſiæ* & *Europæ infauſta*, & *Trojæ*, patriæ ſuæ, *exitialis: Non nemo* cumprimis reſpici in hac viſione putabat ad *Jacobum Clementem* & *Bernhardum de Monte Politiano.* Quicquid ſit, viſio hæc matris cum *eventu* non malè *convenit.* Certè poſtquàm duce gregis *Dominico*, ſanctiſſimum Inquiſitionis tribunal diſcipulis traditum, ex hominibus in rabidos canes & tygres mutati videntur, efficiùntque adhucdùm mendaciis ſuis, quæ evomunt erga homines innocentes, qui Deo pro captu conſcientiæ ſervire volunt, ut flammis tradantur innumeri homines. Incidit hìc, quod in Legenda *Gregorii VII. Pontificis ſanctiſſimi & pacis amantiſſimi* legi: *Gregorius Papa VII. cùm parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inſcius, luderet, ex rejectis tamen ſegmentis illa Davidici elementa Oraculi: Dominatur*

tur à mari uſque ad mare; caſu formâſſe narratur, manum pueri ductante Numine, quo ſignificatur, ejus fore ampliſſimam in mundo poteſtatem. Neſcio tamen, utrùm *à blaſphemia* abſint nec ne, quæ pag. 3. dicuntur de Dominico à Βιογραφῳ: Es kam (ità verba ſonant) ſeiner geiſtlichen Mutter, einer gottſeligen Mutter, die ihn aus der heiligen Taufe gehoben, in einem Geſicht vor, wie Dominicus an ſeiner Stirn einen glänzenden Stern hätte, von deſſen übermäſſigem Glanze die ganze Welt erleuchtet war; wodurch zu verſtehen gegeben wurde, NB. daſs er verordnet wäre zu einem Licht denen Einwohnenden dieſer Erde, zu erleuchten alle diejenigen, welche in der Finſternuſs und Schatten des Todes waren. Hæc per *ſanctam Catharinam Senenſem* confirmantur. Hæc enim apud *Antoninum* Part. III. T. XXIII. pag. 246. „ Vidit imaginariâ quâdam vi in oratione poſita ſummum & æternum Patrem de ore ſuo (*ut videbatur*) coæternum ſibi Filium producentem, qui in aſſumta natura ſibi demonſtratur. Quod cùm attenderet, ex alia parte vidit beatiſſimum Patriarcham Dominicum ex ejusdem Patris pectore produci, luce ac ſplendoribus circumdatum, audivitque eodem ex ore prolatam hanc vocem: Ego dilectiſſima filia hos duos filios genui: unum naturaliter generando, alterum amabiliter & dulciter adoptando; cumque nimiùm admiratur de tanta comparatione & aſſimilatione, verba prolata ſibi fuerunt expoſita per ipſum dicentem: Sicut Filius hic meus unigenitus in natura aſſumta fuit mihi perfectiſſimè obediens, uſque

uſque ad mortem crucis; ità & iſte filius meus Dominicus, omnia, quæ operatus eſt ab infantia, uſque ad terminum vitæ, ſecundùm obedientiam mandatorum meorum regulata fuerunt; nec unquàm aliquod præceptum transgreſſus eſt, ſed virginitatem mentis & corporis illibatam conſervavit & innocentiam baptiſmalem nunquàm per mortale peccatum amiſit. „ Pag. 5. & 6. narratur, quòd *inſtitutione agnati* uſus, imò lectione *Scripturæ* delectatus fuerit. Vix tandem crediderim *S. Litteras* ab eo *viſas*. Lubentiùs credò, quod auctor teſtatur: Den Altären, Geſangen, Myſteriis, wohnete er bey; und befliſſe ſich, auf der Erden, nicht im Bethe zu ligen. Multum ad virtutum, quibus eminuit *Dominicus*, ſplendorem contuliſſe lectionem *libelli*, cui titulus: *Collationes Patrum*, notat Auctor pag. 12. ex quibus etiam ſinè dubio, quomodo cum *Hæreticis* disputandum ſit, edoctus fuit. Scripſit etiam libellum *de veritate Fidei Catholicæ*. At omnes disputationes cum *Albigenſibus* fruſtrà fuère; hinc diva *Virgo Maria* inuſitatis *miraculis* miſeris mortalibus occurrere debuit. Rem omnem, aut fabulam, narrat auctor pag. 27. Paulò prolixior quidem narratio, at jucunda auditu. *Audi ergo & obſtupeſce:* Als Dominicus 7. Jahr wider die Kezerey ſtritte, und dieſe doch immer wuchſe, ſo gedachte er endlich Hilf zu ſuchen bey *der mächtigen Himmels-Königin Maria*; verfügt ſich deswegen nicht weit von Tholoſa in den nächſten Wald an ein einſames Ort, fallt daſelbſt auf ſeine Knie, hebt ſeine Hände und Augen auf gen

Himmel,

Himmel, ſeufzet und ruffet flehentlich zu *der Mutter der Gnaden*, (zu welcher er, von ſeiner erſten Kindheit an, eine groſſe Liebe und Andacht getragen,) ſie wollte doch einmal vom Himmel herabſehen, und ihre barmherzigen Augen wenden auf ſo viele verführte Seelen, damit dieſelben nicht verloren und ewig verdammt würden. Caſteyet daneben ſeinen Leib mit ſtrengem faſten, betten, wachen, und andern dergleichen Buſs-Werken mehr; wodurch er die göttliche Majeſtät vermittelſt *der kräftigen Fürbitt Mariæ* verhoffete zu erweichen, und für die armen Seelen Gnad und Barmherzigkeit zu erlangen. Demnach er dabey 3. ganzer Tage in ſolcher Uebung verharret, und endlich vor Mattigkeit des Leibs zur Erde geſunken; da kömmt die *glorwürdige Königin* Maria in groſſem Glanze und Schein vom Himmel herab, und mit ihr drey *überaus ſchöne Jungfrauen* in königlichen Kleidern, und ſpricht mit liebreichſten Worten: *Herzliebſter Sohn Dominice*, weil du ſo dapfer wider meine und der Kirchen Feinde geſtritten, ſo bin ich hieher gekommen, dir Hilf und Beyſtand zu leiſten. Darauf neigeten ſich die drey *königlichen Jungfrauen* zur Erde, heben ihn auf, und ſtellen ihn für *ihre Königin* Mariam; dieſe empfanget ihn alſobald mit ihren *jungfräulichen Armen*, labet und erquiket ihn mit ihrer *ſüſſeſten Milch*, und ertheilet ihm ſeine vorige Stärke, und ſagt mit freundlichen Worten: Du weiſt, *vielgeliebter Sohn Dominice*, was Gott vor Zeiten für Mittel gebraucht, da er das menſchliche Geſchlecht *erlöſen*

löſen wollen. Der Anfang dieſer Erlöſung iſt geweſen *der engliſche Gruß*, den mir der Erz-Engel *Gabriel* im Namen *der allerheiligſten Dreyfaltigkeit* gebracht; darauf iſt gleich erfolget: erſtlich, die gnadenreiche Geburt des ewigen Sohns Gottes: anders, ſein bitteres Leiden und Sterben: drittens, ſeine glorwürdige Auferſtehung und Himmelfahrt, dadurch die Welt erlöſst, und der Himmel eröfnet worden. Wolan! *Dominice*, willſt du, daſs auch dieſes Volk, für welches du bitteſt, vom Untergang errettet werde, ſo predige ihnen meinen *Roſenkranz*: verkündige ihnen meinen *Pſalter*; in demſelbigen wird *der engliſche Gruß* ſamt obgemeldten Geheimniſſen begriffen; derſelbe wird ſeyn *der Anfang ihrer Erlöſung*, und *das Mittel*, dadurch du *die Kezerey* wirſt austilgen, und die Sünder bekehren. Hierauf erklärte *die gnadenreiche Mutter* dem heiligen Dominico die Weis und Form, wie der ganze Pſalter ſolle gebettet werden, nemlich 150. mal ſolle der engliſche Gruſs wiederholet, und zwiſchen jedem immer ein Vater Unſer geſprochen, und eines aus den 15. Geheimniſſen erkläret werden. Als er nun allen Bericht von ihro empfangen, ſpricht Dominicus: Ich förchte, *o glorwürdigſte Königin des Himmels und der Erde!* das Volk werde mir wenig Glauben geben, ſonder mich vielmehr mit dieſer neuen Lehr verſpotten. Darauf verſpricht Maria, ſie wolle unſichtbarlicher Weiſe die Engel vom Himmel ſenden, ſo *alle Gloken* der Haupt-Kirch zu Toloſa läuten ſollen; das Volk werde zuſammenkommen, und ſeine Predigt

digt hören: ſie wolle auch viele andere entſez-liche Zeichen geſchehen laſſen, dadurch ſie wer-den bewegt werden, ihm Glauben zu geben. Nach Vollendung dieſer Worte begiebt ſie ſich mit *den königlichen Jungfrauen* wieder in den Himmel. Pag. 29. Unter dieſem Läuten nun ſteiget der heilige Dominicus auf die Canzel; fanget an, *den Roſenkranz* (den er kurz zuvor von Maria erlernet) zu verkündigen. Als *die Kezer* den neuen Prediger anſichtig werden, und eine ſolche *unbekannte Lehr* hören, ergrim-meten ſie wider den Mann, ſchmähen und ver-ſpotten ihn auf mancherley Weiſe, lauffen aus der Kirche, unterreden ſich wie ſie ſeine ver-meſſene Kekheit (wie ſie es nenneten) an ihm rächen wollten; da entſtehen urplözliche *Don-nerſtreiche*, ſo entſezliche *Blize*, ein ſolches *Sau-ſen* und *Brauſen* der Winde, *Erzitterung der Erden*, ſolche *Finſterniß* und *Verdunkelung* des Himmels, daſs alle vermeynten, *der jüngſte Tag* ſey vorhanden. Unter dieſem wurde in der Luft *ein jämmerliches Heulen* gehöret *der hölliſchen Geiſter*: O wehe! o wehe! wehe uns! Die Engel binden uns: Durch *Kraft des Pſal-ters Mariæ* werden wir in Abgrund der Höl-len geſtürzet. Und was noch das allerſchrek-lichſte, ſo ſahen ſie *das Bildniß Mariæ*, ſo zu oberſt in der Kirchen ſtuhnde, die rechte Hand ausſtreken, und über ſich in den Himmel erhe-ben, als thäte ſie ihnen drohen und ſagen: So fern ihr *den Prediger* nicht werdet hören, ihm folgen und glauben, was er euch von *dem Ro-ſenkranz* ſaget, werdet ihr alle zu Grund gehen.

Alle

Alle zittern vor Forcht, heulen und weinen, ſchlagen ihre Hände zuſammen, erkennen ihre Schuld, verheiſſen Beſſerung des Lebens, wenden ihre Augen zu dem Bildniſs Mariæ, und ruffen einhellig: *Gnad, Gnad, o Maria, Gnad!* Wodurch dann die Mutter Gottes bewegt worden, ihre ausgeſtrekten Hände wieder einzuziehen, und den gefaſsten Zorn fallen zu laſſen. En quid valeat *ingenium Monachorum!* Obſerva unum & alterum, quod ingenium *Dominici* prodere & *Monachorum* impudentiam manifeſtare poteſt. Et 1. quidem ab ipſa juventute ſuperſtitione captus fuit; teſtatur *Dillingerus* ipſe, eum *maximi feciſſe* atque *veneratum Mariam.* 2. *Inſanus* fuit, qui exiſtimavit *abſtinentiâ cibi & potûs, corporisque caſtigationibus* errores aliis eximi. *Argumentandum, probandum fuerat, S. Dominice, non eſuriendum.* Fruſtrà Dii Deæque *implorantur*, ubi tete ignaviæ dederis. 3. *Dominicus* non ſolùm *Idololatra* eſt, ſed & *Blaſphemus* ex mente noſtra. *Mariam* vocat *cœli terræque Reginam*, quo nomine excellentiſſimum Numen appellare ſolemus. Ità ergo aut *Maria* ſola eſt Ens perfectiſſimum, aut ſaltem diviſum imperium cum Deo habet; *utrumque* in Deum O. M. *injurium.* 4. Impium eſt dicere, recitationem *Roſarii* æquè aptum eſſe medium, homines à peccatis & erroribus liberandi, ac nativitatem & obedientiam Jeſu Chriſti. 5. Impium dicere, Deum ipſum miracula patrare, ad *ſuperſtitioſum* & penè *magicum ritum*, qualis eſt inepta illa recitatio Roſarii, *confirmandum* atque inter homines *proferendum.* *Ineptum* ſimul

&

& *ſtoliditſſimum* commentum eſt Monachorum, aſſerentium, *Mariam Roſario uti ad Hæreticos convertendos.* Quòd ſi enim *Maria* talis eſt *Regina*, qualem fingunt *Monachi*, ſapientior eſt, quàm ut *ineptiſſimo* utatur *medio* perveniendi ad ſcopum ſuum. Probè callet ſinè dubio *Maria*, *Hæreticos*, de quibus hìc agitur, nihil magis deteſtari quàm *Idololatriam*; ſtultum igitur eſſet, *medicinam* in eo quærere, quod, quò minùs homines *convaleſcant*, in cauſſa eſt. Experientia oſtendit, *Roſarium* cæteraſque nugas, quas ſuperſtitio & ignorantia produxit, *Hæreticorum numerum* in immenſum poſt tempora boni *Dominici* auxiſſe. 6. Virtute *Roſarii* dæmones in infernum præcipitantur. Ubi tandem erant illi ante inventum *Roſarium?* 7. Quales illæ tres præſtanti corpore virgines fuerint, difficile eſt conjicere. Fortè *tria Elementa Carteſii*: aut *mendacium*, *ignorantia* & *ſuperſtitio*, per miraculum (in Monachorum enim ſyſtemate omnia poſſibilia ſunt) in fœminarum *formam* transmutatæ, quales apud Ovidium frequenter occurrunt; fortè *ancillæ domeſticæ* domûs Lauretanæ; fortè *Sancta Petronilla*, *Sancta Plautilla*, & *Sancti Ovidii uxorcula.* Sed nihil licet determinare. At enarremus ordine, quæ de fratre noſtro *Dominico* notanda ſunt. Fatuus homo *nudis pedibus* incedere vult *contra Hæreticos pugnaturus.* Pag. 21. In einem Fleken, zwo Meilen von der Stadt Tholoſa, ward ein Disputat mit den Kezern angeſtellt; dabey war der Biſchof von Tholoſa, Fulco genannt, mit biſchöflicher Macht, ſamt vielen Dienern und Hof-Geſind; (hæc

enim multùm faciunt ad errantes revocandos;) aber Dominicus wollte mit *Demuth* wider die Kezer kommen, und mit bloſſen Füſſen auf ſie anziehen. Als ſie vor Tholoſa heraus gekommen, und nach dem Dorf wollten, ſo führte ſie ein Albigenſer auf einen Weg, da ſie über Dornſtrauſſen gehen muſsten, welches er auch gedultig gethan; durch welche Gedult *der Kezer bekehret worden.* Mirum eſt, *peſſimum* illum *viæ ducem* ſubitò in *ovem* mutatum. At interim obſcurum non erat, cùr *Dominicus* nudis pedibus per *ſenticeta* ambularet. Voluit *Martyr* eſſe. Hinc pag. 47. obſervat *Dillingerus*, eum loca, ubi *Hæretici* erant, *ſtudio petiiſſe*, ut ſi fieri poſſet, eorum *manibus* periret: Der Urſache gieng er an die Orte und Ende mit Freuden, in welchen er wuſste, daſs ihm nachgeſtellet würde; und als deswegen ſeine Widerſacher ſich verwunderten, und ihn befragten: Förchteſt du dich nicht zu ſterben; was würdeſt du machen, wenn wir Hand an dich gelegt hätten? gab er ihnen aus recht *Apoſtoliſchem Eifer* und Begierd der Marter zur Antwort: Ich wollte euch gebetten haben, daſs ihr mich nicht *eines geſchwinden Todes*, ſondern *ein Glied nach dem andern* langſam von meinem Leib *abgehauen*, und vor meinen Augen anzuſchauen niedergeworffen; zulezt *die Augen ausgeſtochen*, und den zerſtümmelten Leib in ſeinem Blut umher walzen laſſen, und hernach nach euerm Gefallen umgebracht hättet. Novimus, quosdam veterum citiùs ad martyrii gloriam graſſatos, quàm par erat. At facile ignoſcimus illis, dùm pro *ſan-*

ctiſſima

ctiſſima Religione vitam profundere voluerunt. At homo noſter pro *Roſario ſuo*, pro ineptiſſimis nugis & cerebri commentis, nullis vel *Rationis* vel *Revelationis* fulcris ſuſtentatus, *mortem* vult *oppetere*. Interim præceptum Chriſti: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; meliùs intellexère *Hæretici*, quàm *Dominicus*. Ille enim, ut infrà audiemus, membrum, imò dux *Catilinarii Concilii*, *nefandum* Inquiſitionis *infernalis tribunal intelligo*, factus, effecit, ut *multa millia* innocentiſſimorum hominum injuſtâ nece lacerarentur. Talia autem in eum non tentabant, *ipſo fatente*, *Albigenſes*. Eò magis autem mirum, temperâſſe ſibi à cæde *Albigenſes*, qui tamen omnes Diabolo (ſi fides habenda ſancto Dominico) utebantur familiariter. Pag. 50. narratur, novem fœminas præclari ſtemmatis *Dominicum* perorantem audiviſſe, auditoque ſermone, ipſum in templo orantem conveniſſe, atque, ut veram Religionem ſe edoceret, rogâſſe. Dominicus ità reſpondit: Seyt beſtändig und vvartet unerſchroken; denn ich hoffe zu Gott meinem Herrn, daſs er, vvelcher niemand vvill verderben laſſen, euch jezt bald vvird zu verſtehen geben, vvas für *einem Herrn* ihr bis auf *gegenwärtige Zeit* angehangen; ſprach darauf zu *dem böſen Geiſt*, den er mitten unter dieſen neun Weibern ſtehen ſahe: Gehe hinvveg von dieſen Weibern, denn du haſt keinen Theil mehr an ihnen. Darauf ſahen ſie mitten aus ihnen ein gar *abſcheuliches Thier* hervorſpringen, in der Gröſſe *eines Hunds*, *mit groſſen diken Augen*, *feuerigem Geſicht*, *breiter*

L 2 *Zunge*,

Zunge, vvelche bis an den Nabel heraushienge, *mit einem unleidenlichen Geſtank*. Als ſich nun dieſe höllifche Beſtie mit hin und her lauffen lang aufgehalten, ſpringt ſie endlich an *dem Gloken-Seil* hinauf, und verſchvvindet vor aller ihrer Augen. Da kehrte ſich der heilige Dominicus zu den Frauen, tröſtet die erſchrokene und ſprach: Anjezt könnet ihr ſelbſt erkennen, vvem ihr bisher gedienet; da dankten ſie Gott dem Herrn, und bekehrten ſich gänzlich zum *Catholiſchen Glauben*. *Utinam priora hæc revocarentur ſecula!* Hodiè enim non tam facile *Hæretici* errorum ſuorum ponunt propugnacula. At fœminæ ſpectra maximè timent. Oſtendit autem Dominicus in *victu* & *amictu*, quòd à reliqua turba hominum longè *ſecretus* eſſet. Pag. 192. Er hat *freywillige Armuth* ervvehlet, und vvar ſchlecht gekleidet. Pag. 196. *Des Fleiſch-Eſſens* hat er ſich gänzlich enthalten, auch in ſchvverſten Krankheiten; ſondern allein ſchlechte Müſslein angenommen. O miram pietatem! Sed ad majora. Pag. 198. Er *caſteyete ſeinen Leib* mit *faſten*, und trug *eine eiſerne Kette* um ſeinen Leib, er lage ganze Nächte vor *dem hochwürdigen Sacrament des Altars*, mit *einer eiſernen Kette* diſciplinierte er ſich alle Nächte drey mal, daſs ganze *Bächlein Bluts* (fortè hìc hyperbole locum habet) von ihm floſſen; er trug leztlich *ein härines Buß-Kleid*, und da er *das Fieber* hatte, vvollte er von ſeinem Faſten nicht aufhören. An in hoc veræ pietatis conſiſtit apex? Audiatur fidei ſocius, *Dominico* non parùm *ſapientior*, *Claudius Fleury*, *Discours VIII.*

ſur

ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique. Pag. 340. inquit: *Je crains encore, que les auſterités corporelles, ſi uſitées dans les derniers ſiècles, n'ayent étés des occaſions de relachement. Car ce ne ſont pas des ſignes infaillibles de vertu. On peut ſans humilité & ſans charité marcher nuds pieds, porter la haire, ou ſe donner la diſcipline. L'amour propre, qui empoiſonne tout, peut perſuader à un eſprit foible, qu'il eſt un Saint, dès qu'il pratique ces devotions exterieures, & pour ſe dedommager de ce qu'il ſouffre par là peut être ſera-t-il tenté de prendre d'ailleurs quelque ſoulagement, ou quelque plaiſir permis.* Pag. 203. Dominicus hatte eine groſſe Reinigkeit an Seel und Leib. Als er in Bononien das Amt der heiligen Meſſe verrichtete, verfügte ſich ein Jüngling herzu, *ſeine Hand zu küſſen;* dieſer Jüngling vvar von ſehr gottloſem Leben. Als er nun ihm die Hand küſſete, verſpürete er *einen wunderlichen Geruch*, der da *mehr* als etvvas *natürliches* mit ſich brachte. Und ſiehe! vvas *die Reinigkeit* des heiligen Vaters an dieſem Jüngling *gewürket:* Kaum hatte er dieſen *jungfräulichen Geruch* empfunden, ſo vvurde er von den überlüſtigen Anfechtungen des Fleiſches befreyet, und an ſtatt deſſen mit heilſamen Gedanken erfüllet. At creditu perquàm difficile eſt *nobis homuncionibus, particulas* quasdam *odoriferas* tantam vim in animos hominum *habere*, ut pravis voluptatibus captos *ſubitò* mutare poſſint. Sanè hæc quæſtio examine *Phyſicorum* & *Chymicorum* digna eſt. Miraculum autem hoc ſinè dubio ideò factum, ut adoleſcens ille cognoſceret, corpus

Dominici ex *alia* planè *materia*, quàm cæterorum mortalium, conſtare. Omnia enim in illis hominibus *ſancta* ſunt. Hoc colligo ex multis indiciis, quæ in hac *βιογραφια* deprehenduntur. Ita pag. 194. *indicium* ſatis *manifeſtum*: Magiſter Nicolaus verachtete das Ordens-Kleid; und desvvegen vvurde er in eine Krankheit geſtürzet, hörete auch in allem Schmerzen eine Stimme alſo redend: Ich vvill nicht nur, daſs man *verehren ſoll die Perſonen der Geiſtlichen*, ſondern auch *den Habit*, vvelchen ſie tragen. Mirari noli, tantam vim ineſſe *cucullo Dominici*; erat enim factus ad *normam*, quam *Maria* diva *Virgo* (nam is ſuperis labor eſt) per *viſionem* cuidam *Romæ* ſignificavit. Vis teſtem? Audi pag. 81. Ein gelehrter Mann, *Reginaldus* von Orleans, kam nach Rom, der vvollte durch die Welt reiſen, und den armen Chriſtum auch ſelbſt arm predigen, ſuchte Geſellſchaft; dazu vvurde recommendiert der neue Dominicaner-Orden; er begab ſich desvvegen in den Orden des H. Dominici, vvurde aber unterdeſſen mit einem hizigen Fieber überfallen. Dominicus rufte die Barmherzigkeit Gottes an; indem nun der H. Dominicus im Gebett verharret, erſcheinet die glorvvürdigſte Königin des Himmels dem Reginaldo in ſichtbarlicher Geſtalt, bey ſich habend zvvey über alle maſſen ſchöne himmliſche Jungfrauen, vvelche ihn alſo anredet: Begehre von mir, vvas du verlangeſt; und ich vvill dir es ertheilen. Als er aber bey ſich ſelbſt gedachte, vvas er begehren ſolle, vvird er von einer dieſer zvvey Jungfrauen vermahnet, er ſolle nichts

begehren,

begehren, ſondern ſich ſelbſt der allerſeligſten Mutter Gottes befehlen und heimſtellen. Er folget dem heilſamen Rath, und befehlet ſich der gebenedeyteſten Jungfrauen, daſs ſie ihm, vvas beliebig, ſollte geben; da ſtrekt die barmherzige Mutter ihre jungfräuliche Hände aus, und ſalbet des Kranken Augen, Ohren, Naſen und Hände mit dem köſtlichen Balſam-Oele, vvelches ſie mit ihr aus der himmliſchen Apothek hatte mitgebracht, und ſprach zur Salbung jedvveden Glieds beſondere Worte. Als ſie aber die Füſſe ſalbete, ſprach ſie: Ich ſalbe deine Füſſe zur Vorbereitung des Evangelii des Friedens. Und zur Salbung der Lenden ſprach ſie: Deine Lenden ſollen ſeyn umgürtet mit dem Gürtel der Keuſcheit. Zeiget ihm darauf den Habit des Prediger-Ordens, und zugleich verſchvvand das himmliſche Geſicht; und verlieſſe *Reginaldum* alle Krankheit, alſo daſs er friſch und geſund aufſtunde. Nach der Hand hat Dominicus den Habit, vvie die Mutter Gottes hat angezeigt, getragen. Poſtquàm *Surius* in vita *Dominici* pag. 65. eamdem *fabulam* narrâſſet, hæc addit: „ Beatos planè, qui his veſtibus multiplicis gratiæ indui meruerunt, quas mulier fortis ſuis contexit domeſticis, ut armis lucis induti honeſtè ambulent, ne ab agni nuptiis excludantur. Verè felicem & inclytum Prædicatorum Ordinem, inter Ordines præcipuum, & Angelico Ordini ſimillimum. Laudat enim, benedicit & prædicat Deum, quæ ſunt officia Angelorum. Purgat inſtar Angelorum immunditiem peccatorum, invitando reos ad pœnitentiam;

tiam; illuminat infidelium & inſipientium ignorantiam, ſcientiam ſalutarem docens. Perficit denique proficienter, excellentiorem eis viam demonſtrans. Hæc eſt hujus inſtituti ordinatiſſima religio, Deo gratiſſima profeſſio, ab æterno profecta conſilio, quam Virgo mater impetravit à filio; extremis temporibus in populi ſalutem inſtituendam. Quam etiam fovet patrociniis, attollit beneficiis, illuſtrat miraculis, tuetur in afflictionibus, conſervat in tentationibus, & à periculis omnibus tàm potenter, quàm clementer eripit.„ Ità Surius. Quàm impia hæc & *Deo contumelioſa* ſint, quilibet videt, qui Religionis prima intelligit elementa. Vide quid de hac re ſentiant *Hoſpinianus: De Origine Monachatûs* Lib. III. Cap. XIII. & *Jurieu: Préjugez légitimes contre le Papiſme* Cap. XXXIII. Audiatur inſuper aliquis ex *Doctoribus Eccleſiæ Romanæ*, *Alphonſus* nimirùm *de Caſtro: De Hæreſ.* Lib. I. pag. 23. „ Nusquàm, inquit, Eccleſiæ venuſtas diminuta eſt, aut color obſuſcatus, eò quòd tot ex ipſa Hæretici exierint. Propter quod non poſſum, non ſtomachari in eos, qui, ut ſuum inſtitutum laudent, non verentur coram populo jactare & dicere, eum, qui ſemel habitum illum S. Dominici illius Ordinis ſuſceperit, non poſſe in fide errare, aut deficere. Nonne hoc aperta eſt blaſphemia, cùm per hoc magis tribuere videatur habitui, quo induitur, quàm fidei, aut gratiæ Dei? Eſt-ne fortè potentior pannus ille, quàm Dei gratia & fides?„ Ità ille. At audi tamen plura abominandæ ſuperſtitionis ſpecimina.

Pag.

Pag. 87. Cap. VIII. Ἐπιγραφὴ talis eſt: Von abſonderlichen Gnaden, vvelche Gott der Herr dem Kleid des Prediger-Ordens mitgetheilet, vvelches diejenigen, ſo zu demſelben eine aufrichtige Neigung tragen, von unterſchiedlichen Krankheiten erledigt, und mit vielen andern göttlichen (ô blaſphemum os!) Tröſtungen erfüllet hat. So iſt Leonora Vanegas, eine junge adeliche Frau, von einem Hals-Geſchvvär geheilet vvorden. Nach dieſem Kleid habendie Sterbenden ein groſſes Verlangen, vvelches gottſelige Verlangen ſonder Zvveifel herrühret von deme, daſs ſolche verhoffen, die übergebenedeyte Jungfrau werde ihnen mehrere Gunſt u. Gnad erzeigen, vvann ſie verſehen ſeyen mit demjenigen Kleid, vvelches ſie dem Prediger-Orden mitzutheilen ſich gevvürdigt hat. Der Urſachen halben auch viel Römiſche Päpſte dieſes Ordens-Kleid ſonderbar verehret, indem ſie denjenigen, vvelche ſolches mit Andacht tragen, oder mit ſelbigem angethan von dieſer Welt abſcheiden, vollkommenen Ablaſs ihrer Sünden; denen aber, die ſolches aus Ehrerbietigkeit küſſen, Johannes der XXIII. 5. Jahr und ſo viel Quadragenen ertheilt. Pag. 283. erzehlet, vvas Geſtalt das vvunderthätige Bildniſs Dominici in Soriana, der Landſchaft Calabrien, von Maria vom Himmel gebracht vvorden. Es leuchtet (ità pag. 298.) bis auf dieſen Tag mit herrlichen Wunder-Werken. Dieſe Gnade ſo vvunderſamer Gutthaten und übernatürlicher Beyhilfe gegen denen beträngten Menſchen hat der miltreicheſte Gott aus dem Ueberfluſs ſeiner Gütig-

keit nicht allein dem vvahren und himmliſchen Bild an gemeldtem Ort, ſondern auch denen Contrafaiten, ſo ſolches Gnaden-Bild berührt haben, ertheilt. Gleicher Würkung ſind deſſen ſo ſchäzbaren heiligen Bildniſſes angerührte Maaſſen oder Länge, vvie auch das Oel, ſo vor dieſem vvunderthätigen Bildniſs in der Ampel brennend ſo heil- und vvürkſam, daſs es in Genieſſung etlicher Tropfen den ſchvvangern Frauen in Kinds-Nöthen vvunderlich geholffen. Hoc uno exemplo *didici*, quid valeat *fides* Eccleſiæ habita. In Exemplari βιογραφιας, quo uſus ſum, *tres erant imagunculæ S. Dominici expreſſæ*, uti pictor (niſi verum ſit illud Poëtæ, Pictoribus atque Poëtis, &c.) perhibet, ad exemplar de cœlo *à Maria* delatum. Non ſemel *lectio* hujus *libri gravedinem* & *nauſeam* mihi creavit, neque tamen *contemplatione* illarum *imaguncularum* liberatus ſum. At deerat *fides*. Quicquid autem dixit fecitque *Dominicus*, mirabilem habuit *vim* atque *efficaciam* in animos hominum. Invenit ille Hymnum dictum: *Salve Regina*, quem quotidiè demurmurari juſſit. Cauſſam carminis ſacri inventi aperit noſter pag. 120. Die Urſach, vvarum der Prediger-Orden dieſes Lied, *Salve Regina*, angenommen, iſt dieſe: Dieſer Orden vvurde auf vielerley Weiſe von den böſen Geiſtern geplaget, vvelche unter allerhand Geſtalten erſchienen; da haben ſie Hilfe geſucht bey der glorvvürdigſten Himmels-Königin, (neque enim Deus hæc curat,) und ein Gelybd gethan, daſs ſie hinfür zu evviger Zeit, nach vollbrachter Complet, Proceſſions-

vveiſe

vveiſe in mitten der Kirch gehen, und ihr zu Ehren das *Salve Regina* ſingen vvollen. Kaum hatten ſie dieſe Andacht angefangen, alſobald verſchvvunden dieſe teufeliſche Anfechtungen, ſie überkamen ihre vorige Ruhe, die Beſeſſenen vvurden erledigt, und die Vervvirrten erlangten vviederum den Verſtand. Ipſe autem *Hierophanta Romanus*, Paulus V. Pontifex M. *homo infallibilis*, quanti hoc carmen Dominici æſtimandum ſit, apertè ſatis oſtendit: pag. 122. Paulus V. Pont. M. hat allen denjenigen, vvelche ſich in der Prediger-Kirch befinden, vvenn das *Salve Regina* von den Geiſtlichen dieſes Ordens geſungen vvird, 200. Tage Ablaſs verleihen. Neque Papa tantùm, *formoſam Reginam reſonare templa docet*, ſed ipſa *Maria* mirificè capitur *cantu hoc.* Pag. 124. Als die Tartaren Sendomir in Pohlen verhergeten, und in der Kirchen die Fratres antrafen das *Salve Regina* ſingen, haben ſie ſolche getödet; (mirum eſt, quâ ratione hoc fieri potuerit,) die heil. Mutter aber hat den Engeln befohlen, das angefangene Lied zu vollenden. Pag. 125. Dieſes Gebett iſt gut für Donner, Ungevvitter, (vocem Seplepſarii audire videor) Gefahr des Lebens, Verluſt der zeitlichen Güter, Feuers-Noth, groſſe Anfechtungen des Teufels; teſtibus *Cæſario Heiſterbacenſi* & *Ruellio Benzano*, Viris celeberrimis. Quæ ſit efficacia *Roſarii* ſuprà audivimus. Addemus autem aliquot exempla; partim, ut *doctrina Dominici* clariùs *eniteat*; partim, ut, *quem in finem* miracula edita ſint, quilibet videat. Pag. 39. miraculum *Carcaſſonæ* in Gallia

Gallia factum dicitur: Ein Albigenſer verſchmähete den Roſenkranz, und iſt derhalben mit vielen Teufeln beſeſſen vvorden, vvurde mit eiſernen Ketten gebunden, da fieng er an Gott zu läſtern, mit vielen Sprachen zu reden, und vieler Menſchen verborgene Sünden zu entdecken. Dieſer Menſch vvard von ſeinen Eltern in einer Verſammlung von 12000. Perſonen zu dem heiligen Dominico gebracht. Dominicus vvendte ſich zu dem Beſeſsnen, und ſpricht mit ernſtlichen Worten: Im Namen der allerheiligſten Jungfrau Maria, und in Kraft des Roſenkranzes, den ich gepredigt habe, beſchvveere ich euch, ihr hölliſchen Geiſter, daſs ihr mir auf alles, ſo ich frage, Antvvort gebet. Er fragt dann, vvarum ſie in dieſen Menſchen gefahren? Sie antvvorteten: Weil er nicht in die heilige Mariam geglaubet. Pag. 42. fraget Dominicus die Teufel: Warum 15000. dieſen Albigenſer beſizen? Sie antvvorteten: Weil der Roſenkranz, vvelchen dieſer verachtet und vervvorffen, 15. Vater Unſer und 15. Geheimniſſe in ſich begreift. Nach der Hand beſchvveeret ſie Dominicus bey dem heiligen Roſenkranz; darauf bekennen ſie, daſs alles vvahr ſey, vvas Dominicus von dem Roſenkranz geſagt. Da ſagte Dominicus pag. 44. O allerglorvvürdigſte Jungfrau Maria! Durch die Kraft deines heiligen Pſalters zvvinge dieſe Feinde, daſs ſie mir auf meine Worte Antvvort geben. So bald er dieſes geredt, ſind aus Ohren, Augen, Mund und Naſen des armen Menſchen Feuerflammen als aus einem brennenden Ofen herausgeſchlagen;

gen; darauf alles Volk heftig erſchroken, daſs ſie ſich mit dem heiligen Creuz bezeichneten. Die Teufel ſchrien ſehr: Durch das Leiden Chriſti und durch die Verdienſte der allerheiligſten Jungfrauen bitten vvir dich, Dominice, du vvolleſt uns von dannen laſſen, vvas vvillſt du von uns vviſſen, die vvir falſch und lugenhaft ſind? Die Engel vverden dir alles offenbaren; die Chriſten glauben doch unſern Worten nicht. Dominicus fallt vvieder auf ſeine Knie, und bettete alſo: O vvürdigſte Mutter der evvigen Weisheit! Wenn ich das Volk allbereit untervvieſen, vvie man dich vvürdig grüſſen ſoll, ſo bitte ich dich vvegen des Heils der Umſtehenden, zvvinge die Feinde, mir meine Frage zu beantvvorten. Auf ſolches Gebett erſchienen alsbald mehr als 100. Engel mit göldenen Ketten; unter ihnen die ſeligſte Mutter Gottes mit einem göldenen Scepter, ſo ſie in ihrer Hand hatte, mit dem ſie den Beſeſſenen angerührt und geſagt: Gebt Antvvort meinem Diener Dominico auf ſeine Frag; (das Volk zvvar hat dieſes Geſicht nicht geſehen, ſondern allein Dominicus,) die Teufel aber ſchrien erbärmlich: O du unſere Widerſacherin, Verdammerin und Verfolgerin! Warum biſt du vom Himmel herabgeſtiegen, daſs du uns alle peinigeſt? Anjezt vverden vvir gezvvungen, vvider unſern Willen die Wahrheit zu bekennen: Die Mutter Gottes iſt ſehr mächtig, ihre Diener zu erhalten; ſie iſt diejenige, vvelche alſo unſere Betriegereyen entdeket, und alle unſere Verſuchungen zu nichten machet; kei-

ner

ner vvird verdammt, der beharrlich in ihrem Dienſt verbleibet. . Paucis interjectis adhortatur populum ad Roſarium precandum. Und, o Wunder über alle Wunder! ſo oft ſie einen engliſchen Gruſs ausgeſprochen, iſt allezeit eine groſſe Menge Teufel aus dem Mund des armen Beſeſſenen in Geſtalt glüender Kohlen ausgefahren; und zu dem Ende des Roſenkranzes iſt er von allen Teufeln völlig erledigt vvorden. Pag. 93. Dominicus reiſete in Spanien; da predigte er immerzu das Wort des Lebens, abſonderlich aber NB. von dem Roſenkranz der allerheiligſten Mutter Gottes, vvas nemlich vor ein kräftig Mittel es vväre, die Sünder zur Buſs zu bevvegen, und Verzeihung von Gott zu erlangen. Ibid. & ſeq. Benedicta, eine Tochter eines gräflichen Geſchlechts, lebte von Jugend auf vvollüſtig. Endlich hat ein reicher Edelmann ſie geſchvvängert; nach der Hand lebte ſie in gleichem übeln Leben. Dominicus, als Vetter, konnte nichts bey ihr ausrichten, bis daſs er ihr ſagte: Tochter! ervvehle eines aus beyden, entvveder in vvenig Tagen zu ſterben, und evvig verdammt zu vverden, oder dich zu ſtellen unter die Hand der Mutter Gottes, daſs du dich in ihre Brüderſchaft (non enim datur tertium) begebeſt, und den heiligen Roſenkranz betteſt. Thuſt du es, ſo verſprich ich dir, daſs du nicht allein in kurzer Zeit geſund, ſondern in vorigen Stand geſezet vverden ſolleſt. Die Begierd der Geſundheit und Schreken der hölliſchen Peinen bevvegten ſie, den heiligen Roſenkranz anzunemmen, denſel-

ben

ben täglich zu betten, und in die Brüderſchaft ſich einverleiben zu laſſen; bate auch den heiligen Dominicum um Untervveiſung, denſelben recht zu betten. Und o groſſes Wunder! Kaum hat ſie den heiligen Roſenkranz eine Wochen gebettet, erlangt ſie vviederum ihren Verſtand, alle Wolluſt zur Welt verſchvvunde, und empfieng eine Luſt zu den Tugenden. Indem ſie nun in Bettung deſſelben verharret, vvird ſie von allen, die ſie zuvor verlaſſen, vviederum beſucht, und mit Gelt und Gut geholffen, alſo daſs ſie dieſe Gnade und Gutthat merklich dem heiligen Roſenkranz zueignet, vvodurch ſie auch der engliſchen Heimſuchung gevvürdigt vvorden. Denn bey der Nacht vvurde ihre Wohnung ganz glänzend geſehen, bey Tag aber engliſche Stimmen gehöret, vvelche ſich über die Bekehrung dieſer Sünderin erfreueten; ja als die Andacht ſich in ihr vermehret, hat ſich auch die Mutter Gottes ihrer angenommen, und mit ihrer jungfräulichen Milch ſie beſprengt, dadurch aller Ausſaz von ihr gevviechen, und vollkommene Geſundheit ertheilet, mit mehrerer Schönheit, als ſie zuvor gehabt. Pag. 100. Einer Frau vvar ihr Mann untreu; und als keine Beſſerung ſchiene, vvollte die Frau auch dergleichen thun; da ſahe ſie im Traum die Pein der Hölle, ſo den Ehebrechern angethan vvurde. Sie gehet zum heiligen Dominico, und begehret ſeines Raths. Der heilige Vater giebt ihr dieſen Rath: Sie ſoll 14. Tage nach einander den Roſenkranz unſrer lieben Frauen andächtig betten, ſo vverde ſich

Gott

Gott über ſie erbarmen. Endlich giebt er ihr ſeinen Roſenkranz, und ſagt: Nachdem ſie 14. Tage vverde gebettet haben, ſolle ſie dieſen Roſenkranz ihrem Gemahl 3. Nächte verborgener Weiſe unter ſein Haupt legen, vvelches ſie dann auch fleiſſig vollzogen. Als dieſes geſchehen, kam er in groſſe Angſt, ſahe die Hölle offen, und die Pein der Verdammten; ihn verlangte zu vviſſen, vvas das vväre; da ſagte ihm eine Stimme: Dieſer Ort iſt für dich bereitet vvegen deines unzüchtigen Lebens. Gleich morgens ſtehet er auf, gehet zum heiligen Dominico, und thut eine General-Beicht. Hæc exempla ſatis probant, quam vim habeat *Roſarium*. Certè ſi *mendaciis* & *nugis* aliquod eſſet propoſitum *præmium*, omnium confeſſione & voluntate, Sanctorum Βιογραφοι id *eſſent ablaturi*. Perpende, quæſo, Lector, quisquis es, *malitiæ exceſſum*. *Dominicus* formulam precum excogitat. Hæc non ſolùm *rectæ rationi*, ſed & *revelationi* oppòſita eſt. *Repetendus* vocum ineptiſſimarum idem *ſonitus*. *Eadem verba* per 150. vices demurmuranda. Hæc verba dirigenda ad *beatam Mariam*, non ad Omnipotentem Deum, qui tamen in Sacris execratur illos; qui alium invocant præter ſe. Hic tamen *ſanctiſſimus* Deus, Ζηλωτης nominis ſui, ad *magicam illam* repetitionem vocum non ſolùm *miracula* edit, quibus innumeri mortales ad *Idololatriam* committendam *inducuntur*; ſed & *remiſſionem peccatorum* cum repetitione *ineptarum precum* conjunctam eſſe per *viſiones* adfirmat. Doleo equidem vicem credulæ plebis, quòd divinæ ratio-

nis

nis & revelationis adeò exiguam habeat curam; at *Dominicum* & ſequaces, *ſtultiſſimos*, *nugaciſſimos*, aut *nequiſſimos* homines eſſe oportuit, qui talia unquàm *publicè* dicere auſi fuerunt. Interim facilè patet, quò hæc omnia tendant: *Dominicus Propheta* & *Apoſtolus* eſſe vult, neque quâ ratione *impudens homo* eam famam asſequi poſſit, videt. Fingit igitur, (quod credere jam quidem liceat per Βιογραφον,) *Mariam* de cœlo ſibi apparere, cum illa ſibi *intercedere familiaria colloquia*, eamque in *mutui amoris* ſignum, cùm alia dare non poſſet, *formulam precum*, in qua Religionis ſcilicèt caſtæ, ſumma repoſita, tanquàm ἀντιδοτον contra Hæreticos ex cœleſti illa *Apotheca* donâſſe. Hæc dùm recitat *Dominicus* ſtupidiſſimæ plebi, Religionis omnis ignaræ, inſanum hominem in cœlum tollunt laudibus. *Diabolus* ipſe *ſtultiſſimè* fateri debet, *hanc formulam precum rem eſſe longè omnium ſanctiſſimam & efficaciſſimam.* Accedit turba Monachorum *ineptiſſimorum*, qui cantilenam eamdem repetunt; longè enim *facilius* eſt, ineptos quosdam *fundere ſonos*, quàm optimarum litterarum & artium ſtudiis *vacare*, atque veræ Religionis naturam ex *limpidis* revelationis *fontibus*, non ſinè *induſtria* & *meditatione* repetere. (*) Hinc *Dominicus* factus eſt *novus Propheta*, *Apoſtolus*, imò tantùm non *Deus*, qui non ſolùm ope *formulæ ineptæ*, *nullis præſidiis* virtûtis munitus, vivus

(*) Nemo non videt, hæc de omnibus promiſcuè Dominici Ordinis Viris non dici; novimus enim, multos dari inter eos Viros doctos, & in S. Litteris non planè hoſpites.

vivus *miracula* patravit, ſed & *poſt mortem* tanta fecit, quanta nec *Chriſto* nec *Apoſtolis* ullibi tribuuntur. Inde à pag. 250. ad 280. miraculorum poſt mortem editorum *impudentiſſima narratio* eſt. Ita ex. gr. pag. 252. Ein mit dem Teufel Beſeſſener ward zu ſeinem Grabe geführet, und der Teufel ausgetrieben. Ibid. Lahme, Blinde, Waſſerſüchtige, Gichtbrüchige, Beſeſſene, wurden bey dem Grabe geheilet. Ibid. In dem Winter wurde bey ſeinem Grabe ein angenehmer Geruch verſpüret. Pag. 260. Ein Waſſerſüchtiger ſahe im Schlaf Dominicum, ruft ihn an, und wurd erlöſet. Pag. 261. Eine adeliche Frau war lahm am Fuſs, Dominicus erſchien ihr, und gab ihr eine Salbe; und ſie wurde geheilet. Pag. 262. Eine Tochter mit dem Stein geplaget, rief Dominicum an; er erſcheint ihr im Traum, und leget ihr den Stein in die Hand. Pag. 264. Ein vornehmer Herr hielte viel auf dem Bild Dominici; ſein Sohn wurde von dem Einfall des Hauſes unter die Stein geſchoben; man ſah ihn unbeſchädigt neben dem Bild des Dominici ſizen. Pag. 247. Dem Prediger-Orden in Ungarn ward ein Finger Dominici zugegeben; dadurch wurden Blinde, Lahme, Stumme geheilet. Pag. 267. Ein Jüngling ertrank; die Frau, als Gräfin, gelobte, mit bloſſen Füſſen den Finger Dominici zu beſuchen; und er wurde lebendig. Vide autem quouſque hæc idolomania & λειψανομανια procedat. Pag. 248. Es wird zwar die Heiligkeit (ita Βιογραφος) ſeiner Auserwehlten gemeiniglich in ihren Lebzeiten von ihnen verborgen; aber

aber nachdem ſie allbereit von hinnen geſchieden, will er, daſs die ganze Welt ihren heiligen Leichnam, Gebeiner, Begräbniſs und Bildniſſen, ja auch die Kleider, die ſie gebraucht, den Stab, daran ſie ſich in ihrer Mattigkeit gehalten, die Geiſſel, damit ſie ſich caſteyet, verehren ſolle. En profunditates τυ Σατανα! En teſtimonium *craſſiſſimæ* & *ineptiſſimæ* Idololatriæ, quâ *Eccleſia Romana* miſerè laborat. Hactenùs (ni fallor) ſatis ſuperque, *quo ingenio fuerit Dominicus*, audivimus. Nihil quicquam in eo deprehendi poteſt, quod *ſancto*, nedùm *Prophetâ de cœlo miſſo*, dignum ſit. Si talis fuit, qualem Βιογραφος refert, *digniſſimus* eſt, *qui inter ineptiſſimos inſaniſſimosque referatur Moriònes atque Idololatras.* Nulla etiam apparet ratio, cur homo ille ineptus *à cæteris mortalibus* ſe diſtingueret, *niſi quòd ignorantiâ & ſuperſtitione cæteros ſuperavit.* Nimirùm noſter homo precum formulas, *Salve Regina* & *Roſarium* invenit, quod *ſuperſtitioſus quisque*, nemo cui *ſanum ſinciput*, facere potuiſſet; *horrido* & *ſordido* veſtitu inceſſit; *Mariam* magis quàm *Deum* coluit: *ergo Propheta eſt*, *divus eſt*, *ſancta ſunt oſſa ejus*, *oculi*, *digiti*, *nares*, *ungues*, *capilli*, *&c. &c. &c.* Hinc in ipſa βιογραφια nullum extat *argumentum*, quo probetur, (neque certè ullum adferri poteſt,) neceſſe fuiſſe, ut ſecundùm exemplum *fanatici hominis*, alii, *inſtitutâ quâdam ſocietate*, eamdem inſaniam ſequerentur. Quòd ſi, quoties *inſulſo homini* placuerit ineptire, & *voce*, *victu*, *veſtitu* à cætera turba *ſe diſtinguere*, novæ ſocietates inſtituendæ eſſent,

 gyrgathos

gyrgathos nec mundus *capere* poſſet unquàm. Quantum damni *caſtiſſimæ Religioni*, *Rebuspublicis* intulerint *Monachorum & Religioſarum Ordines*, omnes vel me tacente norunt. *Scuticis* ex clauſtris, nitidi & benè curatâ cute *Monachi* expellendi eſſent, atque cogendi, ut aut *liberalibus artibus* atque disciplinis *vacarent*, aut *ſtudiis Patriæ* inſervirent. At de his præſtat *tacere*, quàm non *ſatis* dicere. Ne quis tamen verba mea malè interpretetur, addendum, me, dùm *Monachorum mentionem facio*, non intelligere *Viros eruditos*, *deque re litteraria óptimè meritos*, quorum non exiguum numerum, cumprimis in *Gallia*, eſſe, pulchrè ſcio. Loquor de iis, *qui ſpecie pietatis pingue otium ſectantur*; *atque cuticulam curant*, *poſthabitis omnibus officiis*, *quæ Deo & Societati humanæ præſtare poſſent.* Hoc unum dico, in hac *βιογραφια* ad *viſiones* provocari, *tanquàm novæ Societatis conſtituendæ certiſſimum argumentum.* Pag. 56. Dominicus will einen Orden ſtiften. Innocentius III. hat dieſes ein wenig in Bedenken gezogen; indem er aber dieſem Werke alſo zweifelhaftig (ità ſolent homines infallibiles agere) nachgedacht, da ſendete Gott ein ſolches Geſicht und Offenbarung, daſs ihm die nächſt-folgende Nacht im Traum vorkommen; als wenn die Lateraniſche Kirche anfienge zu ſinken und zu fallen. Da er darüber erſchrak und traurig wurde, ſiehet er den heiligen Dominicum zulauffen, ſich mannhaft darunter ſtellen, und mit ſeinen Schultern dieſelbe wieder aufrichten; welches Geſicht und göttliche Vermahnung

nung der Papſt zu Herzen genommen, und wol gemerkt, was dadurch angezeiget worden, (per novam ſcilicèt viſionem) lieſſe alſobald den folgenden Morgen den heiligen Dominicum vor ſich kommen, lobte das gottſelige Vorhaben, und verheiſſet ihm die begehrte Verwilligung wegen Aufrichtung ſeines neuen Ordens. Pag. 57. Nova viſio contingit *Honorio III.* ſucceſſori, de confirmanda nova ſocietate. Nec viſiones tantùm adſunt de inſtituendo Ordine, ſed *viſionibus* etiam antè *fuit prædictum.* Pag. 62. Ein frommer gottſeliger Biſchof zu Araviſica ſagte in einer Predigt: Meine Chriſten! ich predige euch zwar das Wort Gottes nach meinem Vermögen, weiſs aber vor gewiſs, daſs bald andere entſtehen werden, die euch das Licht der Wahrheit viel heller zeigen werden. Viſio hæc *Albigenſibus* majori cum veri ſpecie potuiſſet adplicari. Pag. 63. Stephanus, Prior der Carthaus zu Lyon, hat auch den Prediger-Orden vorhergeſagt. Ibid. Der Abt des Floriacenſiſchen Cloſters hat ſelbigen Orden vorhergeſagt. Ipſe Dominicus *viſionibus* probat Ordinis, cujus Dux erat, *excellentiam.* *Viſiones* enim in Logica plerorumque Monachorum *argumenta* ſunt. Pag. 113. Dominicus ſiehet im Traum drey himmliſche Jungfrauen, unter denen eine Maria war, die eine hatte einen Keſſel, die andern einen Weyh-Keſſel, damit beſprengte Maria alle Ordens-Brüder, ausgenommen einen, welcher am Fuſs etwas entblöſst gefunden. Dominicus, obwol er ſie im Geiſt erkennte, fragte wer ſie wäre. Sie antwortete: Ich bin die Kö-

nigin der Barmherzigkeit, welche ihr täglich gegen Abend pfleget andächtig anzuruffen, und ſo ihr mich euere Vorſprecherin nennet, ſo falle ich meinem geliebten Sohn zu Füſſen, und bitte ihn um Erhaltung dieſes Ordens. Pag. 116. Dominicus war im Geiſt entzükt, und ſahe Chriſtum auf einem köſtlichen Throne, ſeine Mutter zu ſeiner Rechten, mit einem Mantel von Saphir umgeben; da ſiehet er die heiligen Vater, die Orden aufgerichtet, keinen aber von des heiligen Dominici. Als er aber ſelbige zu ſehen die Mutter Gottes bate, da breitet die heilige Mutter Gottes ihren Mantel aus einander, und unter dieſem war eine unzähliche Menge beyderley Geſchlecht ſeines Ordens. Non adeò *pallium* illud debuit eſſe *latum*; animæ enim in cœlo, *vehiculis ejusmodi*, qualibus indutæ in *Monaſteriis*, deſtitutæ. Quòd ſi *ſpatium* non requirunt *animæ*, deceptus eſt viſione ſuâ *Dominicus*. Niſi forſan *Dominici* diſcipuli unà cum *corpore* & *veſtimentis* ſuperiora petant loca. At viſiones nocturnæ *variant*. Ipſi interim *Diaboli* vehementer *irritati fuerunt*, cùm audirent *familiam Dominicanorum ortam*. Pag. 108. Als viele von dieſem Orden nach Bononien zu Dominico reiſen wollten, begegnete ihnen ein Gefehrte, der da fragte, wohin ſie wollen; und als er hörte, daſs ſie in Ungarn und andern Orten das Evangelium predigen wollten, ſchwinget er ſich in die Luft, jammert erſchreklich und ſchreyt: Euer Orden iſt unſere groſſe Schmach und Zerſtöhrung; und verſchwindet vor ihren Augen wie ein Rauch.

Pag.

Pag. 110. denuò apparuit numerus *Dæmonum* ejulantium. Neque mirum eſt, Diabolos tanto metu fuiſſe comprehenſos. Præcipuam tanti odii cauſſam eſſe crediderim, quòd cùm *Diabolus* hactenùs in inferno, tanquàm ἀνυπεύθυνος Dominus, imperitâſſet *damnatis*, eorumque *conſcientiam* vehementer agitâſſet, *exiſtumaverit*, *Dominicum* imperium hoc, *ſoli ſibi debitum*, in terris *prærepturum*. In quo tamen falſus fuit *Dæmon*; quod enim ipſe in inferno *perficit*, id *Dominicus* cum ſua familia in terris *inſtruit*. *Ego certè* vel ideò loca illa *tetra*, *formidoloſa horreo*, quòd *perſuaſiſſimus* ſim, *tribunal Inquiſitionis Hiſpanicæ ibi erectum eſſe*. En tamen unum atque alterum ſpecimen imperii Dominici in *Diabolum*. Pag. 158. Als er vor dem Altar des hochheiligen Sacraments bettete, wurf der Teufel einen groſſen Stein von dem Thurm des Kirchen-Tachs an das Ort, wo der heilige Mann war, alſo nahe, daſs er ihm das Capuz berührete: Dominicus aber verharrete im Gebett; der Teufel ſtellte ſich noch zwey mal ein, auf das Beſchelten endlich gieng er fort. Pag. 160. In dem Cloſter S. Sixti iſt er, da Dominicus den Schwöſtern predigte, in Geſtalt einer Eidechs erſchienen, hatte zwey groſſe Köpfe und lief herum. Dominicus befahl ihm, in das Waſſer zu gehen; und er verſchwund. Pag. 162. erſcheint er in Geſtalt eines Affen, und muſste Dominico das Licht halten, bis es verbrunnen, ob es gleich ihn an die Finger brennte, daſs er heulete, ob ihm ſchon das elementariſch Feuer nicht ſchaden kann. Endlich ſagte Dominicus:

Ziehe hin, du Schalk, in dein gebührendes Ort. Pag. 163. Dominicus ſiehet den Teufel, gleichſam mit eiſernen Händen, einen Brief zum Licht halten und leſen. Dominicus beſchweert ihn in der Kraft Chriſti, ihm anzuzeigen was er geleſen; da bekennte er ihm, daſs er ſeiner Brüder Sünd geleſen; da hat er ihm befohlen, den Brief ligen zu laſſen. Dominicus findet darin etliche Mängel, die ſie alſobald verbeſſerten. Mirum non eſt, hodiè eorum numerum indies magis magisque *augeri*, qua nullo Diaboli *metu* tanguntur. Cùm enim adeò ſit impotens atque inermis, ut *cucullatus Monachus* verbis abigere eum poſſit, quid non *Viri*, quibus aliquod *circa pectus æs* eſt, facere poterunt? Tandem, ut alia mittam, quæ *Dominici ingenium* ſatis ſuperque produnt, notum eſt, *Dominicum inter primarios Tribunalis S. Inquiſitionis Hiſpanicæ Duces fuiſſe.* Quo nomine quid intelligatur, non opus ut pluribus ediſſeramus. In hac βιογραφιᾳ pauca adſunt veſtigia progreſſuum, quos in *ſanctiſſimo officio* fecerat. Pag. 131. In genere memoratur, multos *Albigenſes* igni traditos, *Dominici* autem prece, unum ex iis, quem mutatum iri in melius præviderit, liberatum. Interim ex Hiſtoria hujus ſeculi, quo vivebat, rebusque geſtis contra *Albigenſes*, ſatis patet, quo animo *Monachus* noſter in *diſſentientes* fuerit. Nam teſte Antonino, Hiſt. Part. III. Tit. XIX. Cap. I. Sect. 3. & 4. *Quandò Crux in Gallia prædicabatur (ex Innocentii III. mandato) contra Albigenſes, Dominicus inter crucis iſtius Prædicatores ità excelluit, ut*, teſte Theodorico

dorico de Appoldia, *ad eum congregaretur cœtus fortis viribus cruce ſignatorum.* Idem *Antoninus* eodem loco: *Dominicus* valdè familiaris *comiti Simoni*, permanſit annis decem in illis partibus, in tali Hæreſis extirpatione. Vid. *Limborch. Hiſt. Inquiſit. Lib. I. Cap. X. & XI. Jaque Baſnage, Hiſt. de l'Egliſe, Tom. II. Lib. XXIV. Cap. IX.* Ut alios taceam. Sub *uno hoc crimine*, commiſſo *à Dominico*, omnia comprehenduntur. Nihil unquàm hominum *malitia* aut *furor* excogitavit, *quod execrabilius, flagitioſius, atque omni humanitati contrarium magis ſit, hoc infernali Inquiſitionis Tribunali & Catilinario Concilio.* Interim ipſe *Dominicus*, ſi non Inventor, *primus* tamen fuit, qui *Impulſore Sanctiſſimo Papa, Innocentio III.* manus admovit operi deteſtando, cujus exemplo per *Sanctiſſimos Diſcipulos, Militiæ Jeſu Chriſti Fratres*, vel rectiùs, *infernalis Genii & Furiarum Socios, veros Carnifices, innumerabilis hominum multitudo* injuſtiſſimâ nece lacerata. Quibus mediis uſi ſint *Dominici* Diſcipuli ad emendandos homines, errantes cumprimis, ex Hiſtoria *Albigenſium* & *Waldenſium* ſatis notum eſt. Juvat tamen unum alterumve exemplum adduxiſſe. In Chronico *Alberici*, ab *illuſtri Leibnizio* edito, ad annum 1233. de *Conrado de Marpurg*, Inquiſitore ex familia *Dominici*, hæc extant: „ Magnus Princeps Hæreticorum Vigoroſus de Baconia, qui dicebatur Epiſcopus eorum, captus & in Toloſa combuſtus. Per Alemanniam verò facta eſt tanta Hæreticorum combuſtio, quòd non poſſit numerus comprehendi; & dictum eſt de quodam, quòd non

potuit comburi, donec allatum eſt ante ignem Corpus Domini. Ultrà Coloniam fuit quædam Synagoga Hæreticorum, ubi reſponſa dabat imago Luciferi; ſed ubi Catholicus Clerus advenit, & pyxidem cum Corpore Domini de ſinu ſuo protulit, peſtifera imago corruit. Item quòd quædam ſpecialis amica Luciferi, ad ignem deducta, ſublata eſt à Dæmonibus; & non comparuit, & in hunc modum multa dicta & facta ſunt, & multi nobiles accuſati ſunt, & multi, ut dicebatur, injuſtè dehoneſtati. Et hâc de cauſsâ congregatum eſt Concilium Moguntinum in præſentiâ Regis, & Archiepiſcoporum Regni, & Epiſcoporum & Principum. Tertio die poſt Concilium interfectus eſt M. Conradus de Marpurg, & cum eo duo Minores; deinde diligenti factâ inquiſitione ſuper iſtâ peſtiferâ Sectâ Luciferianorum, & ſuper prædictis, Archiepiſcopus Moguntinus, & F. Bernhardus de Ordine Prædicatorum, quondam Pœnitentiarius Domini Papæ, reſcripſerunt Domino Papæ in hæc verba: Quòd Magiſter Conradus contra Pauperum Lugdunenſium aſtutias zelo fidei armatus, nefandam Hæreſin Manichæorum, filiam olim abſconditam, ità putavit ex toto deprehendere, ſi teſtes, qui ſe confitebantur aliquantulùm criminis eorum conſcios & participes, in illorum abſentiâ reciperentur, & dictis eorum ſimpliciter crederetur; ita ut ſemel accuſato talis daretur optio, aut ſponte confiteri, & vivere, aut innocentiam jurare, & ſtatim comburi. Et ecce falſos teſtes ab Hæreticis, uti credimus, ſubornatos adduxit inimicus. Quædam fœmina vaga

Alaidis

Alaidis annorum 20. caſu veniens finxit ſe Hæreticam illius Sectæ, fuiſſe ſuum virum apud Cruneborch concrematum, & ſe velle cremari, innuens à latere. Quòd ſi Eccleſia ſuis verbis credendum decerneret, Hæreticos abſconditos & fautores eorum manifeſtaret. Hæc miſſa eſt à M. Conrado, qui nimis ei credidit; & ipſa primò apud Caveletvillam, de quâ oriunda fuit, cognatos & notos & affines, qui eam exhæredare videbantur, fecit comburi, ſubornato etiam quodam Amfrido, quem modò fecimus in vinculis detineri, qui confeſſus eſt, quòd multos innocentes, alios ad ignem, alios ad tonſuram per teſtimonium ſuum adegerit, M. Conrado judicium fulminante. Et horum accuſatio paulatim cœpit aſcendere à ruſticis ad burgenſes honorabiles & eorum uxores, inde ad Caſtellanos & Nobiles, & in fine ad Comites propè & longè poſitos. Et Magiſter nulli, quantumvis altæ perſonæ, locum dedit legitimæ defenſionis; nec etiam confiteri proprio Sacerdoti, ſed accuſatum oportuit confiteri, ſe Hæreticum eſſe, bufonem tactum, pallidum virum, & hujusmodi monſtra pacis oſculo ſalutâſſe. Taliter quidam Catholici abjudicati maluerunt innocentes cremari & ſalvari, quàm mentiri de crimine turpiſſimo, cujus non erant conſcii, & ſupplicium promereri, quibus ipſe Magiſter Martyrium promittebat. Alii infirmi potiùs elegerunt mentiri, quàm comburi, quibus tamen oportuit ſcolas nominare, & reſpondebant: Neſcio, quem accuſem. Dicite mihi nomina, de quibus ſuſpicionem habetis; cùmque proponeretur de Comite Steinenſi, de Comite Aneberg, de Comitiſſa de Loz, reſpon-

reſpondebat evadere volens: Illi ità rei ſunt, ut ego; & in ſcolis fuerunt, ut ibi fui; & ſic frater fratrem, uxor virum, dominus ſervum accuſavit. Alii dabant pretia tonſuratis, ut docerent modum evadendi; & facta eſt confuſio à ſeculis inaudita. Ego Archiepiſcopus, M. Conradum primò ſolus, deinde cum duobus Archiepiſcopis, Colonienſi & Trevirenſi, monui, ut moderatiùs & diſcretiùs in tanto negotio ſe gereret; qui non acquievit, ſed tandem contra noſtram monitionem Crucem publicè prædicavit Moguntiæ; quo viſo, quidam ex illis interfecerunt eum, propè Marpurg. Tandem congregati apud Frankfurt cum Archiepiſcopis uſque ad 25. & multis Imperii Principibus. Deinde Dominicâ, Lætare Jeruſalem, apud Moguntiam examinavimus Comitem Steinenſem & alios, de quibus habita eſt quæſtio; & reſtituimus eos famæ & poſſeſſionibus. Mendacibus pro injurio injuncta eſt pœnitentia ſeptennalis. Eos, qui innocentes accuſaverant, ad pedes Domini Papæ transmiſimus. Qui M. Conradum occiderant, excommunicati ſunt. De innocenter mortuis quæritur conſilium Papæ. Quid ad hoc Dominus Papa reſcripſerit, nondùm ſcimus; niſi quòd pœnitet eum ſatis, quòd tantam dicto M. Conrado poteſtatem permiſerit, unde talis confuſio emerſerit. Inſuper viſio quædam eſt in Alemanniâ, de novo, per quam conjicitur, quòd idem M. Conradus ſit damnatus. „ Hactenùs Albericus. (*)

Si

(*) Quantas turbas hic Conradus de Marpurg in Helvetia excitaverit, vide Hiſt. Helvet. J. Hottingeri, Tom. II. pag. 828.

Si *igne* non poterant *intellectum hominum purgare*, ad manus erat *aqua*. In compendio rem proponit *J. Baſnage*, *Hiſt. de l'Egliſe*, *Tom. I. Lib. XXIV. Cap. VIII. Sect.* 3.

„ Dès le moment, qu'un homme étoit accuſé, on le jettoit dans une priſon; & par un ſecret admirable on découvroit s'il étoit Hérétique; cela ſe faiſoit par la preuve de l'eau. L'aveuglement étoit ſi grand, qu'on s'imaginoit, que le Diable, qui étoit, diſoit-on, compoſé d'air plus léger, que l'eau, ſe mettoit ſous le corps de ceux, qu'on vouloit éprouver, & l'empêchoit par ce moyen d'être ſubmergé. On prétendoit auſſi, que l'eau, qui faiſoit la matière du Sacrement de notre Regéneration & de notre entrée dans l'Egliſe, avoit la vertu de diſtinguer ceux, que Dieu vouloit ſauver des autres, qu'il avoit reprouvés. On avoit coutume d'exorciſer l'eau, afin que le Démon n'ayant plus aucune puiſſance ſur elle, elle ſervit à découvrir l'innocence, ou le crime de celui, qui étoit accuſé. On la conjuroit par le nom de Jeſus Chriſt, qui avoit marché ſur les eaux, & par le Saint Eſprit, qui étoit déſcendu dans le Jourdain; enfin par toute la Sainte Trinité, qui avoit fait paſſer le peuple d'Iſraël au travers de la Mer rouge; de ſervir à cet uſage: L'Accuſé étoit auſſi conjuré par le nom de Dieu, des Anges, & de toutes les Puiſſances cachées du Ciel, par le nombre de cent quarante quatre mille Martyrs, & par la bienheureuſe Vierge, de dire la verité; enſuite on lui lioit les piés & les

mains;

mains; & dans cet état on le jettoit dans l'eau; qui avoit été conjurée; s'il étoit ſubmergé, c'étoit une preuve evidente de ſon innocence, ou de ſon orthodoxie; mais quand il nageoit au deſſus de l'eau, c'étoit un Héretique ou un Criminel, que Dieu montroit au doigt, afin qu'on l'exterminat. Quel ſiècle! où de ſemblables fourbes étoient admirées, comme de merveilles de la toute-puiſſance de Dieu, d'où les plus grands hommes tiroient de conſéquences pour la verité de leur Religion. Saint Bernhard étoit de ce nombre, car il loue ceux, qui ont ainſi éprouvé les Albigois. „ (*) Ità D. Baſnage. Interim his exemplis conſtat, multos ex iis, qui tanquàm *Propheta de cœlo delapſi* ad generis humani emendationem voluerunt videri, *vindictæ* perquàm cupidos fuiſſe. Nec deſunt alia exempla. Nil dicam de *Sanctiſſimo Capite Eccleſiæ, Papa.* Notum enim eſt in vulgus, quo animo fuerint *benigniſſimi Patres* in disſentientes. Mentionem tantùm faciam hominum quorumdam, in *tanto faſtigio Sanctitatis* non poſitorum, digniſſimorum tamen *ſuâ & aliorum opinione*, qui pro *ſingularibus Dei amicis* haberentur. Notum eſt, quis fuerit *Alexander* ille, cujus tragœdiam deſcripſit *Lucianus* & *Pſeudomante.* Hoc autem de eo inter alia narrat *Lucianus* Tom. I. pag. 780. Edit. Grævii: „ Cùm navi diſcedere ſtatuiſſem, miſſis xeniis, donisque multis, pollicetur,

(*) Et huic tamen Bernhardo tribuuntur multa miracula; de quibus quid ſit ſentiendum; vide clar. Heideggeri Disſert. Tom. IV. pag. 236.

ſicetur, & navim præbituſum ſeſe, & remiges qui nos aveherent. Quod quidem animo ſimplici atque officioſè fieri cenſebam. Sed ubi jam in medio mari eſſemus, videremque lachrymantem gubernatorem, & nautis neſcio quid contradicentem, non benè de rerum mearum eventu ſperare cœpi. Erat autem ipſis ab Alexandro mandatum, ut in altum profecti, nos in mare præcipites darent.,, De *Muhamede* ità loquitur *doctiſſimus Gagnier*, Tom. II. pag. 385. *Si quelqu'un le mépriſoit, il lui pardonnoit, mais ſi quelqu'un en venoit juſqu'à le maltraiter d'injures & à l'accuſer à faux, il le tuoit; ainſi faiſoient les Prophétes.* Vide *eumdem* pag. 305. Tom. I. De *Franciſco Saleſio* inter *Sanctos* relato vide *Heideggeri Hiſtoriam Papatûs*, *Edit. Gall. Tom. II. pag.* 218. *ſeqq.* De *Berullo Ludov. XIII. Regis Galliæ Miniſtro* lege *Vaſſor Hiſt. Tom. IV. pag.* 2. 3. alibi. Alios ſilentio transmitto. Plura de *ingenio* hujus Viri non dicam. Satis ex dictis patet, *hominem fuiſſe ineptum*, *fanaticum*, *ſuperſtitioſum*, *mendacem*, *ſanguinolentum.* Quòd ſi hoc non *ſufficiat*, ad judicium ferendum de ipſius *miraculis* & *doctrina*, neſcio quid tandem ſufficiat.

CAPUT

CAPUT IX.

De ingenio & moribus Ignatii Lojolæ.

TAndem progredimur ad ultimum *ordine*, *dignitate autem & rerum ab eo & Diſcipulis geſtarum gloriâ, non poſtremum*; *Ignatium Lojolam*, *celebratiſſimæ Factionis Auctorem.* Nactus eſt *Encomiſtas* doctiſſimos, qui omnem eloquentiam in celebrandis ipſius actionibus adhibuerunt. Noti labores *Orlandini*, *Ribadeneiræ*, *Maffei*, *Buſſierii*, *Bouhourſii & aliorum.* At impedire tamen non potuerunt; quò minùs Viri non minori ingenio præditi, *Ignatium in numerum Fanaticorum vel Impoſtorum referendum* putaverint. Inter hos eminet *Auctor doctiſſimus* libelli, cui titulus: *L'Enthuſiaſme de l'Egliſe Romaine*, *demontré par quelques remarques ſur la vie d'Ignace Lojola.* Compendium illius exhibet in *Bibliotheca univerſali*, *Tom. XI. de la Croſe.* Cujus fide ſi ſtandum, conſcriptus iſte libellus *à Reverendiſſimo in Chriſto Patre*, *Guilielmo Wake*, *Archi-Epiſcopo hodiè Cantuarienſi*, *totius Angliæ Primate.* Sanè vel ipſa *epitome* ſatis oſtendit, à Viro *ingenio & doctrinâ* præſtanti libellum exaratum. Demonſtrandum autem præcipuè ſibi ſumſit *illuſtris Auctor*, *Ignatium Enthuſiaſtam fuiſſe*, atque ex eo deinde fundamento *Eccleſiam Romanam* impugnat. Nos ex vitæ Scriptoribus oſtendemus, *Ignatium non ſolùm hominem fanaticum fuiſſe*, *ſed ſuperſtitioſum etiam*, *mendacem & ſubdolum*;

unco

unde quilibet *de divinitate & veritate miraculorum ipſi adſcriptorum* judicium ferre poterit. *Ingenii* autem ad Fanaticiſmum *proni* quammaximè multa adſunt *veſtigia*. *Ignatius* in oppugnatione urbis *Pampelone* graviſſimum vulnus accepit; lapis enim, vi globi excuſſus, dextram tibiam adeò labefactavit atque confregit, ut è veſtigio ſemi-animis alienatâ mente corrueret. Cùm autem vitio prioris Chirurgi oſſa non eſſent benè locata, non ſinè graviſſimo dolore erant denuò reponenda. Cùm autem doloris vim vix ſuſtineret, *per quietem vidit Apoſtolum Petrum, optatam valetudinem ſibi adferentem*. „ Venerabatur (ità Maffeus pag. 7. & Ribadeneira pag. 4.) jamdudùm Ignatius præcipuo quodam cultu principem Apoſtolorum, quin etiam ejus laudes militariter olim Carmine Hiſpanico celebraverat; cujus profectò pietatis fructum non exiguum tulit. Siquidem illâ ipſâ decretoriâ nocte per quietem ſibi videre viſus eumdem Apoſtolum, optatam ſibi valetudinem divinitùs afferentem; nec ſanè in irritum ea viſio recidit: quippè continuò levari doloribus ciboque refici eſt cœptus. „ Parùm peritus erat *Chirurgus divus Petrus*. Mox enim animadvertit os quoddam genu ſub ipſo fœdius prominere. *Singulari* autem cum *voluptate* ejusmodi homines legunt *libros*, in quibus *inſolita & portentoſa* reperiunt. *Ignatius* noſter *fabulas Romanenſes*, *Quixotum*, & ſimilis furfuris libros *lectitabat*. Non dubito, quin *ambitio*, quod *illuſtris Anglus* jam citatus notat, huc aliquid contulerit. At *ingenii indoles* plera-

 que

que feciſſe *videtur*. Tales libros dùm fallendi temporis cauſſa poſceret *Ignatius*, *divino* (ut loquitur Maffeus pag. 8.) *conſilio factum*, *nullus ut eo tempore domi liber eſſet ejusmodi*. At verò longè meliores alii duo reperti ſunt, Hiſpanico ſermone conſcripti, quorum unius: *Vita Chriſti*; alterius (quo ſelecta virtutum exempla continebantur) *Sanctorum Flores*; erat inſcriptio. *Ea videlicèt lectio Salutis initium attulit homini. Dùm enim oblatos ſibi libros variis locis, quaſi aliud agens delibat, ſenſim capi cœptus eſt pulchritudine eorum, quæ ſcripta reperiebat; atque adeò inter ipſam lectionem, ubi inſigne quidpiam cognoverat, ſubſiſtere, ſecum ipſe deliberans: Qui ſi præclarum hoc S. Dominici* (Chriſti enim Servatoris noſtri actiones malè ſano homini parùm dignæ attentione videbantur) *facinus, quid ſi hoc S. Franciſci, Deo fretus aggrediar?* Ea videlicèt lectio ſalutis initium attulit homini. Quales actiones fuerint *Franciſci* & *Dominici*, ſuprà ſatis oſtendimus. Quam vim imaginatio in animos habeat, nemo ignorat. Meliùs *Malebranche* exemplo *Fanaticorum*, quorum *vitam moresque* conſideramus, id oſtendere potuiſſet, quàm *Senecæ*, licèt ille à morbo hòc immunis prorſùs haud fuerit. Quemadmodùm illi, qui libros de *Sagarum* portentis legunt, ubique *Spectra* & *Lemures* vident; ità *ingenia ad ſuperſtitionem prona* lectione *Legendarum* mirificè capiuntur. Hinc pag. 9. Maffeus: „ Præclari illi ad chriſtianam laudem impetus, cogitationesque de adæquanda vigilantia & ſobrietate Sanctorum, de votivis peregrinationibus, de

de victu, cultuque inprimis aſpero, horrido, non modò cùm aderant, animum inſolitâ quâdam jucunditate mulcebant, ſed in receſſu quoquè triſtitiâ ſubeunte nullâ, ſecurum hilaremque præſtabant. „ Tales autem captatores chimærarum & inſolitarum rerum *admiratores* facillimè ad ineptiſſimas actiones tentandas adducuntur; & dum in *lecto* jacent, Deorum *conviviis* intereſſe ſibi videntur. „ In hanc deliberationem (ità Maffeus pag. 10.) ingreſſus, denuò ſeſe ad Chriſti Domini Sanctorumque ſectanda veſtigia occulto quodam inſtinctu acriter ſentiebat impelli, & eorum præcipuè NB. qui in ſe ipſi quammaximè duri ac ſeveri extitiſſent. Artium quippè ſpiritualium & chriſtianæ Philoſophiæ rudis & ignarus adhuc omnem ferè Sanctitatis & officii perfectionem in aſperitate vitæ & in voluntaria corporis afflictatione ſtatuerat; quocirca jam tum agitabat animo, ſimul atque per valetudinem liceret, nudis pedibus Hieroſolymam petere, ac frequenti verberatione longoque jejunio tantas peccatorum pœnas ultrò ſuſcipere, quantas videlicèt ab excelſo magnoque animo ſalutare odium ſuî & ardens divinæ gratiæ promerendum ſtudium exigebat. Jamque rectis euntem ſenſibus & optima quæque expetentem, longè vehementiùs incitavit divina viſio. Etenim nocte quâdam vigilanti auguſtiſſimâ ſpecie ac beatiſſimo lumine fulgens Maria Virgo unà cum Parvulo JESU non modò ſeſe palàm oſtendit; verùm etiam incredibili benignitate ſpectandam aliquamdiù præbuit; quo viſo mirificè recreatus Ignatius tantum repentè tæ-

dium faſtidiumque concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præſertim, quæ cum inhoneſta voluptate conjuncta ſunt; ut omnes rerum illarum, quàmvis diuturno uſu ac vetuſtate corroboratas imagines, ex hominis memoria confeſtim aſpectus ille deterſerit. „ Quot ferè verba, tot *Enthuſiaſmi*, *Superſtitionis* & *emotæ mentis* indicia. Quamquàm de bonitate *Mariæ* non malè ſentiam, perſuadere tamen mihi non poſſum, eam in gratiam *hominis* adeò *inſulſi* iter longiſſimum *ſuſcepturam fuiſſe*. Neſcio inſuper, quis ille *infans parvulus* ſit. *Chriſtum* enim ad *dextram Patris* ſedentem, *infantem* non eſſe, pueri ſciunt, qui nondùm *ære lavantur*; *transſubſtantiationem* igitur *quamdam* interceſſiſſe *oportet*, aut *falſum* fuiſſe *Ignatium*. At hæc viſio, *mirabilis* licèt, *meræ tenebræ*, ſi cum iis conferatur, quæ jamjam referemus. *Ribadeneira* pag. 38. *Maffeus* pag. 26. referunt: „ Ignatium ipſam Trinitatem vidiſſe, multisque emblematibus poſteà cæteros de natura hujus myſterii edocuiſſe. Quâdam die (ità Maffeus) dùm indictâ publicâ ſupplicatione Minoreſſæ religioſum agmen inſtruitur, & Ignatius interim beatiſſimæ Virgini pſallit, inſiſtens gradibus Templi Dominicani, ſubitò in Deum ità rapta mens ejus eſt, quaſi per oppoſita quædam & maximè illuſtria ſymbola, Trinitatis ipſius Numen auguſtiſſimum cerneret, diſtinctum perſonis, unum eſſentiâ; quâ viſione tanto gaudio eſt delibutus, ut neque in ipſo mox agmine lachrymis & ſingultui crebro temperare voluerit; neque verò totum eum diem aliâ ullâ de re, niſi

dé

de ſanctiſſimo illo fidei chriſtianæ myſterio, diſputare; idque tantâ ſimilium & exemplorum varietate & copiâ, ut cuncti obſtupeſcerent. Quin etiam per eos ipſos dies non dubitavit homo litterarum propemodùm ignarus, librum de Trinitate conſcribere, quoquo potuit ſtylo; uſque adeò cœleſtes typi in ejus memoria atque intelligentia divinas illas rerum altiſſimarum notiones impreſſerant.„ Optandum eſſet, ut ad componendas *lites*, quæ inter Chriſtianos *de Myſterio Trinitatis* exortæ ſunt, *liber ille Ignatii* ad manus eſſet; niſi enim Βιογραφος ſimul & *Ignatius mentiuntur*, tot ſimilitudinibus explicuit *Ignatius*, ut non poſſit non *tremendum Myſterium* inpoſterùm *intelligi*. Neſcio, utrùm *exemplar* hujus libri *D. Petavio* ad manus fuerit, quandò *ante Nicænorum* de hoc dogmate enarravit *opiniones*. Perſpicuè enim ſatis hoc *Myſterium* ibi explicatum. Interim *hoc uno exemplo*, ſi alia deeſſent, ſatis conſtare poteſt, quo ingenio ornatus fuerit *Ignatius*. Evidentiſſimè conſtat, hoc *Myſterium* explicari *perſpicuè* non poſſe; vident autem homines fanatici, quæ alii, *oculatiſſimi* licèt, ne quidem *animis comprehendere* poſſunt. Si explodas *inania cerebri figmenta*, *demonſtrationis* loco, *Religionis Irriſorem* te vocabunt. Succedunt duæ viſiones, quæ cum prima, licèt *ſublimiſſima*, de palma certant: „ Neque verò (ità Maffeus) fuit hic finis mirabilium viſionum: ſiqnidem rurſus per ſignificationes arcanas & myſtica quædam exempla oblatus eſt ejus menti modus ipſe, quem in hujus Univerſitatis molitione ſummus ille rerum Opi-

ſex tenuit; quas illuſtrationes atque doctrinas, ut omnes vires naturales excedunt, ſic poſteà negabat Ignatius poſſe verbis adumbrari, nedùm exprimi. „ Vix *quem in finem* hæc *Revelatio* facta ſit, *concipio.* In Sacris *quomodò* mundus creatus ſit, clariſſimè narratur; neque quâ ratione *Spiritus* corpora vel *movere*, vel non exiſtenti *exiſtentiam*, per ſolius *voluntatis* operationem dare poſſit, *ullus mortalium* intelligere poterit. Magis miror, *Ignatio* viſionem *obtigiſſe*, quæ *nullis verbis* adumbrari vel exprimi poſſit. Quòd ſi enim Deus *creationis modum* illi oſtendere voluiſſet, ſinè dubio hoc eum in finem contigiſſet, *ut aut ipſe ſolus*, *aut alii etiam id intelligerent.* Quicquid autem *intelligi*, id etiam verbis *exprimi* poteſt. At talia *non curant* τερατολογοι. Novum idque manifeſtum *argumentum*; quid *malitia cum ignorantia* & *ſuperſtitione conjuncta* valeant, verbis proximè ſequentibus aperit *Maffeus:* „ Prætereà cùm Sacrificio Miſſæ in eodem Templo Dominicano intereſſet, dùm à Sacerdote de more Hoſtia ſalutaris attollitur, apertiſſimè vidit Ignatius, illâ ſpecie Chriſtum Deum eumdem & hominem veriſſimè contineri. „ Quid judicas, Lector, de hac viſione? Si quis asſereret, ſe vidiſſe *triangulum quadratum*, omnes eum *inſanire* unanimi conſenſu pronuntiarent. At *Ignatius* videt Chriſtum in *Hoſtia*, qui tamen in *cælo;* videt *Deitatem* ſimul & *humanitatem;* Hoſtia hæc, id eſt, *Deitas* & *humanitas à Sacerdote comeditur*, &c. &c.

O Proceres Cenſore opus eſt an Haruſpice nobis,
Scilicèt horreres, majoraque monſtra putares
Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum?

At *myſterium* hoc, aliaque ejus generis, non in *Revelatione* divina vel S. Litteris *didicit*, ſed per *extraordinariam viſionem* cuncta edoctus eſt. Ità *Ribadeneira* pag. 40. & *Maffeus* pag. 28. *Poſterior* ità: *Ad hæc intento precationi ſeſe non ſemel tùm Chriſtus Dominus, tùm Virgo Mater oſtendit. Quibus & aliis id genus Clementiæ divinæ ſubſidiis in recta fide uſque adeò confirmatus eſt, ut etiam, ſi nulla extitiſſent Chriſtianæ Religionis monumenta vel teſtimonia, nequaquàm tamen dubitâſſet, ex iis tantummodò, quæ Deo ſibi aperiente cognoverat, mortem pro defenſione Catholicæ Veritatis oppetere.* Gratias tamen agimus *Deo Optimo Maximo*, quòd *Sacras Litteras* ſartas tectasque nobis ſervavit. Cùm enim pauciſſimis *tale cerebrum* contingat, quali oneratus erat *bonus Lojola*, verendum fuiſſet, ne quid detrimenti pateretur genus humanum. *Hiſpanis* & *Italis* ſuffeciſſent quidem narrationes *de nocturnis viſionibus illuminatiſſimi Viri*; at alii *tantam lucem* ferre non potuiſſent; malunt *rationi* potiùs, quàm *viſionibus* credere. Interim ex hoc ſatis patet, quàm præclarè *Parens nobiliſſimæ Societatis* de Sacris Litteris ſenſerit. Non mirum autem, noſtrum tot res incredibiles *vidiſſe*; *duplicis* enim *generis* habuit *oculos*. Pag. 40. narrat *Ribadeneira*: *Eum oculos aliquandò in prætérlabentem aquam convertiſſe; oculis autem internis non ſolùm omnia myſteria fidei, ſed &*

 libe-

liberalium artium fundamenta inſpexiſſe. Mendacem oportet eſſe *memorem.* In ſequentibus narratur, eum præterlapſo non brevi tempore demùm ad diſcenda *rudimenta linguæ latinæ* animum adpuliſſe; ut de cæteris optimarum artium ſtudiis nihil dicam. *Miræ ſunt illæ viſiones & revelationes.* Omnia ſcientarum fundamenta *per inſomnia infunduntur; at ità*, ut poſteà non *ſinè maxima diligentia* eas addiſcas. Interim non diffitendum, *Diabolum* etiam in cauſſa fuiſſe, quò minùs optatos fecerit progreſſus. *Hunc ipſum* (pag. 41. teſte *Ribadeneirâ*) *ſub ſpecie ſerpentis latentem ope igneæ Crucis, quam irretortis oculis Ignatius aſpiciebat, detexit, detectumque atque cognitum baculo abegit. Illuminati* ejusmodi *homines* non cibo potuque, ſed *chimæris* & *viſionibus* paſcuntur; atque adeò corpora ſimillima *aëri* & *levibus ventis* facta ſenſim ſurſùm verſùs centrum ſuum ſcandunt. *Utriusque* dabo exemplum. Pag. 27. ità *Maffeus*: „ Factum eſt etiam aliquandò, (idque ipſimet, qui interfuère, teſtati ſunt) ut alienatus à ſenſibus, à Completorio Sabbathi ad alterum usque proximi Sabbathi Completorium in altiſſimo quodam exceſſu perſtiterit; quâ ipſâ horâ, multis aſtantibus, qui rei totius eventum attentè expectabant, quaſi è profundo ſomno excitatus repentè ſuſtulit oculos, Jeſum perquàm ſuaviter invocans; atque interim pii quidam homines mortuum rati, utique terræ mandâſſent, niſi contemplati omnia diligentiùs, ac pertentato corpore, latentem in eo vitam, ex tenui cordis palpitatione ſenſiſſent. „ Vehementer intonat

Ribade-

Ribadeneira in eos, qui in dubium vocant inſolitum φαινομενον; & ſunt ſanè homines illi *increduli*, digni omni *pœnâ* atque *contumeliâ*. Quid enim? an ignorant, *ejusmodi ecſtaſes praſtantisſimis Viris contigiſſe?* Certè non ſemel ejusmodi *divinas ecſtaſes* paſſus eſt *Mohamed*, *numeroſiſſimæ Factionis Auctor*; quod vitæ Scriptores non minore fide, quàm *Maffeus* cæterique digni, teſtantur. Vide quæ collegit *Vir ingenioſus*, *Comes Boulainvilliers*, *vitâ Mahomedis pag.* 278. *ſeq.* Eò majori autem pœnâ digni increduli, quòd adfuerint *teſtes*, ſecundùm *Ribadeneiram* & *Maffeum*, *oculati*; quanquàm enim oculi in negotio *Tranſſubſtantiationis* fallant, in cæteris ſolent eſſe ſatis *fidi*. Talis *Incredulus* etiam fuit circa aliam ecſtaſin *Reverendiſſimus Wake*, prout obſervat *de la Croſe* in *Bibliotheca Univerſali*, *pag.* 136. *Qu'il y en a* (de miraculis Ignatii loquitur *Archi-Episcopus*) *des contradictoires*, *comme ce*, *que la Veuve & les Enfans de Paſcal jurèrent avoir appris de leur Pere*, *qu'il avoit ſouvent vû Ignace en extaſe*, *reſplendiſſant de lumière*, *s'élever cinq ou ſix toiſes au deſſus de la terre*, *& cela dans ſa chambre*, *qui n'avoit que* 29. *paumes de long &* 14. *de large ſur* 10. *de hauteur.* Per ejusmodi mentis *exceſſus* fieri ſolet, ut non ſolùm *corpus* intereà temporis ſinè *cibo* & *potu* ſubſiſtere poſſit; ſed & *ſenſim ſenſimque* ità reddatur *tenue* atque *ſubtile*, ut oculis humanis vix cerni poſſit. Hæc ſi obſerventur, facilè intelligi poterit, quod *Ribadeneira* pag. 59. *Maffeus* pag. 37. narrat: „ Ad foſſam Clodiam (ità Maffeus) certior factus à viatori-

bus, obſervari Venetiis omnia diligentiſſimè, & è ſuſpectis præſertim regionibus venientes acceſſu prohiberi; flexit inde itinere terreſtri Patavium quorumdam conſilium ſecutus, qui id ipſum periculi metuentes, faciliorem ſibi ex ea urbe Venetias tranſitum fore ſperabant: iidemque Ignatium adjunctum ſibi comitem, præ imbecillitate haud ità æquantem gradus, in campis circumpadanis repentè deſtituunt, unius ope Chriſti ſubnixum; qui ſanè pro ſua infinita clementia laboranti ſervulo in tanta ſolitudine minimè defuit; ſed proxima nocte ſeſe illi, quemadmodùm anteà ſæpè fecerat, viſendum obtulit; recreatumque mirificè, intrà ipſa Patavina mœnia primùm, deinde Venetias ſinè ullo errore aut difficultate perduxit. Nemo quippè ex Patavinis cuſtodibus ad portas; nemo ex Venetis exploratoribus ad Inſulas frequentiores appropinquantem (cùm navim ingreſſi de more ſingulos vectores diligenter excuterent) Ignatium nullâ munitum valetudinis teſſerâ, ne appellavit quidem. „ Quod hìc contigit *Ignatio* propter apparitiones frequentes, id, ſi *Irenæo* Lib. I. Cap. IX. credendum, *Marci Hæretici* diſcipulis contigit. Crediderunt enim ejus diſcipuli: Δια την ἀπολυτρωσιν ἀκρατητυς και ἀορατυς γινεσθαι τῳ κριτῃ. Alii quin etiam *propter Lojolam viſionibus* ſunt gaviſi. Hæc felicitas evenit *Senatori Veneto.* Rem narrat *Ribadeneira* pag. 63. *Maffeus* pag. 38. „ Ignatius in nave Patavina in area Marciana ſub noctem expoſitus, cùm neque viam ad publica xenodochia noſſet, nec portitori conducendo ſuppeterent nummi; aſſuetus longo

longo jam uſu malè cubare, ſub porticu Procuratoria, quam appellant, intendentibus jam ſe tenebris, vacuum opificis cujusdam fulcrum elegit, in quo feſſos artus utcumque reficeret. Tenet fama, litteriſque multorum eſt memoriæ traditum, dùm ille ibi noctem exigeret, vicinum Senatorem cœleſti voce excitatum, increpitumque, quod in multa veſte mollique ſtrato decumberet ipſe, cùm interim Dei famulus peregrinus non longè à veſtibulo illius ædium jaceret in publico pauper, & omni humanâ ope ac ſolatio deſtitutus. Itaque ingenti metu & horrore perfuſum proſiliiſſe confeſtim, & quæſitum diligenter Ignatium excepiſſe perhonorificè. „ Adeò-ne Deus tam prodigus eſt in edendis portentis? *Ignatius divinis* & perpetuis ferè viſionibus *irradiatus* pecuniam abjicit, & *pauper eſſe vult*, inque eo admodùm *Deo placet.* Deus *extraordinario miraculo* excitat è ſomno hominem, ut Ignatii pauperis *curam* gerat. *Idem tamen homo, eodem volente Deo, perpetuæ paupertatis votum ſuſcipit.* Adeò verum eſt, imprudenter eos facere, *qui magna ingenia ad communes prudentiæ regulas exigunt;* quàm *neceſſe* ſit, ut hoc obſervetur, exemplorum aliorum inductione patebit. *Ignatius* è terra ſancta redux, in Italiâ paulisper commoratus, in *Hiſpaniam* Patriam contendit; grave autem tùm temporis inter *Chriſtianos Reges* vigebat bellum, & infeſta erant cædibus ac latrociniis itinera; admonitus igitur *Ignatius*, ut à via regia declinaret. *At ille*, (verba ſunt Maffei) *quem ardens odium ſui & amor imitandæ Chriſti patientiæ intrepidum*

trepidum redderet, rectâ nihilominùs ire perrexit. Mox autem pro exploratore à militibus habitus, captus atque ludibrio expoſitus. Si quis ad ſenſum communem negotium hoc exigeret, judicaret, *ſtultitiâ ſuâ dignam tuliſſe pœnam Ignatium.* At malè ille judicaret. *Dùm enim hæc patiebatur, ſpecies quædam ei eſt objecta Chriſti Domini,* (ità Maff.) *cùm à Pilato per mediam urbem ad Herodis tribunalia miſſus eſſet, ab eo per ſummam injuriam atque indignitatem ſpreti & illuſi, & univerſo irridente ac ſibilante populo, per hominum ora ſemel iterùmque traducti; cujus opprobrii ſe quoquè factum eſſe utcunque participem mirificè lætabatur.* En aliud ſpecimen *priore* luculentius. Referunt *Maffeus* pag. 51. *Ribadeneira* pag. 79, & 114. „Ignatium addiſcendis rudimentis grammaticis intentum, à Deo & Diabolo per inenarrabiles viſiones & myſteria præpeditum. Cæterùm (inquit Maffeus) ad illa ſpinoſa rudimenta Grammaticæ capienda ediſcendasque verborum inflexiones & nominum, cùm alia ei erant impedimento, tùm illud præcipuè, quòd animum ad rerum cœleſtium ſenſa concipienda longo jam uſu promptum & agilem, ſi amandi vocabulum, vel alia quæpiam ejusmodi vox admonuiſſet eorum, quæ piè ac religioſè cogitare & commentari conſueverat, ſubitò penè abstractus à ſenſibus, in contemplationem divinæ charitatis ac ſempiternæ beatitudinis totâ mente raperetur. Ex quo fiebat, non ſolùm ut nihil novi mandare memoriæ, ſed etiam, ut ſi quid anteà impreſſum eſſet, id ipſum concurſu novarum & præſtantiorum imaginum illicò deleretur. Quam ipſam rem, quaſi futura præſagiens, pro ſua

parte

parte adjuvabat etiam vafer humani generis inimicus, eo maximè tempore crebra intelligentiæ lumina eidem offerens, & recondita patefaciens Scripturæ Sacræ myſteria. Quod ille cùm cerneret, cumque adhibito ſæpè conatu evagationem hanc fruſtrà cohibere tentâſſet, pro ea diſcretione Spirituum, quam diuturnâ exercitatione paraverat, faciiè ſenſit Diaboli fraudem, ſeſe à litterarum ſtudio revocare conantis; ac quo conſilio Barcinonem ſeſe contulerat, id ipſum labore ac diligentiâ conſequi majorem in modum exoptans, hanc iniit rationem ejus abigendæ moleſtiæ. Templum erat Beatæ Virginis, cui à Mare cognomen eſt, Gymnaſio proximum. In id templum fuſis ritè ad Deum eamdemque Virginem precibus Ardebalum pro amicitia accerſit, rem illi totam, ut erat, exponit; deinde ſe ad pedes abjicit homini, etiam atque etiam obteſtans, ne ab incepto deſiſtat, ſe utique modo ſibi panis & aqua nón deſit, in proximum biennium, & eò ampliùs ſi opus fuerit, ad ſcholas frequentem eſſe venturum, ſedulòque daturum operam litteris; petere & rogare, ut ab ſe quotidiè non minùs quàm à cæteris penſum exigat, ceſſantem, quaſi quemlibet unum de grege puerorum arbitratu ſuo, & verbis & plagis accipiat. Miratus Viri humilitatem ac probitatem Ardebalus, bonum animum jubet habere, ſuamque illi operam denuò pollicetur. Atque hâc ſubmiſſione victus denique Dæmon abſceſſit, & importunis illuſtrationibus Dei beneficio recedentibus operæ pretium Ignatius facere, & liberiùs in Grammaticæ cognitione cœpit excurrere. Intereà diſcendi mirabiliter avido, & omnia

omnia ſtudiorum compendia perquirenti, ſuaſere nonnulli, ad pietatem videlicèt cum elegantiore doctrina jungendam, ut Eraſmi Roterodami, qui eâ tempeſtate Latinitatis Auctor idoneus habebatur, Enchiridion Militis Chriſtiani ſtudioſè perlegeret; quod ille facere cùm cœpiſſet, celeriter ſentit, lectione ſpiritûs fervorem in ſe, quaſi frigida ſuperfuſa, reſtingui; conſultoque per preces Deo, ità librum illum abjecit, ut neque in manus poſteà ſumſerit ipſe, & multò pòſt Generalis creatus, omnia Scriptoris illius opera in Societate JESU legi vetuerit; non quò ſingula hæretico veneno infecta putaret; ſed ne quis fortè captus facetiis ac dicacitate Viri ſenſim, ut fit, ab corruptis ad vitioſa deſcenderet. „

Præter *regulam ſuprà adductam* unum atque alterum heic obſervandum. I. Vix *ratio* dari poteſt, cur tantoperè *Diabolus Ignatium* præpedire conatus ſit, addiſcendi prima linguæ latinæ rudimenta. Certè ob *Ignatium* factum non videtur; nec enim *periculum* erat, ut *ingenium fanaticum ſingulares* in hoc litterarum genere faceret *progreſſus*; niſi forſan dicas, maluiſſe *Diabolum, perpetuis Ignatium ineptiis & phantaſmatibus impugnari, quàm mente ad alia converſa, inſtrumenta veræ eruditionis conſequi.* Fortè exiſtumavit Diabolus, quod poſtea *Melchior Inchoffer, Jeſuita Bavarus*, contendit, *Beatos in cœlo latinè locuturos;* connitendum igitur, ut *ab amore hujus linguæ* abſtrahatur *Ignatius, ne fortè illa agat in terris, quorum cognitio perſeve-*

rata

Google

vat in cœlis. Fortè non malo animo hoc fecit Diabolus. Prævidiſſe videtur, *Ignatii Diſcipulos Scholis & Gymnaſiis præfuturos, litterarum humaniorum præcepta ſolicitè inſtillaturos, graviora autem ſtudia ſæpè neglecturos, atque multos inſtrumento linguæ hujus decepturos;* in quo tamen *Diabolus*, ſi obtinuiſſet, quod voluit, peſſimè ſibi conſuluiſſet. At veram cauſſam noverit ſolus Diabolus. II. Cùm Diabolus miras viſiones ingeſſiſſet *Ignatio*, ut à ſtudio linguæ latinæ avocaret, imò, quod mireris, *eum in finem recondita Scripturæ Sacræ patefaceret myſteria*, Deus autem per preces conſultus itidem cum *à lectione libri Eraſmi* abſterreret, patet *clariſſimè evidentiſſimèque, Ignatium divinam inſpirationem*, ſi quæ unquàm illi contigit, *à diabolicis ſuggeſtionibus distinguere haud potuiſſe.* Quòd ſi enim *Diabolus* æquè ac *Deus* menti hominis *recondita myſteria*, & quidem Sacræ Scripturæ, *inſtillare* poſſunt, nulla ratio eſt, *quâ divinæ operationes ab infernalis Genii ſuggeſtionibus distinguantur.* Deo hanc facultatem tribuendam nemo dubitat. Juxtà *Ignatium* autem idem poteſt *Diabolus;* igitur neſcivit *Ignatius*, utrùm omnes illæ *viſiones*, in quibus *res ſanctiſſimas* percepit, à Diabolo ſint nec ne? Alio exemplo idem obſervavit *illuſtris Anglus*, cujus anteà mentionem fecimus. Verba adducemus, quandoquidem *Bouhurſii* libellus, ad quem provocat, ad manus non erat. Ità autem mentem ejus pandit pag. 127. Bibl. Univerſ. „Loyola étant à Boulogne, on lui préſenta une Réligieuſe, qui avoit des frequentes extaſes, durant lesquelles elle

elle perdoit le ſentiment juſqu'à être inſenſible au feu. Ignace l'ayant vuë ſoutint à Ribadeneira, qu'effectivement Dieu operoit dans ſon ame, & repandoit abondamment en elle l'onction de ſon Eſprit, mais que cela arrivoit rarement, & ſeulement à des perſonnes, qui lui étoient fort cheres: au lieu, que le Diable ne pouvoit rien ſur l'ame. La ſuite vérifie, que cette ſainteté prétenduë n'étoit qu'une illuſion de l'Eſprit malin. De ces exemples & de quelques autres l'Auteur tire cet argument, que les R. R. P. P. Jéſuites ſoudront, quand il leur plaira, ſi le Diable peut contrefaire exterieurement les opérations divines, ſuſpendre les ſens, cauſer des extaſes dans l'ame, & procurer à quelqu'un par ces ſingeries une grande reputation de Sainteté dans l'Egliſe Romaine: s'il peut troubler l'imagination ſans poſſéder le corps, ni ôter la liberté. Si ſaint Ignace a pris actuellement une illuſion du Démon pour un effet de la Grace: ſi le Diable lui a inſpiré de bonnes penſées en certains temps, & l'en a detourné en d'autres: Si à l'égard des pluſieurs actions de Loyola, il eſt incertain, de qui elles procédent, ou du bon, ou du mauvais Eſprit: on ne ſauroit deviner, qui de Dieu ou du Diable a eu le plus de part dans la conduite de ce nouveau Saint.„ III. Tantum obſervo, judicium *Ignatii* de libello Eraſmi certiſſimum ſignum eſſe *ſtultiſſimi ingenii*, quo oneratus fuit ineptus homo. Certè hic libellus non ſolùm ob *ſtyli elegantiam* & nativum quemdam ſermonis leporem, ſed *rerum optimarum & ſaluberrimarum copiam atque uber-*

tatem,

tatem, *ſapientiſſimum quemque & virtutis ſtudioſum* vehementer capit, pluſque bonæ frugis continet, quàm *integra ſcholaſticorum Theologorum & Legendarum volumina.* (*) At nondùm finis eſt viſionum. *Maſſeus* pag. 99. narrat: „ quòd Ignatius Romæ religioſè quotidiè corpore Chriſti uſus ſit; quòdque Maria Virgine potiſſimùm præſide atque adjutrice, ſeſe ad Sacrum ſuo tempore faciendum, ac multa pro Chriſti nomine ſubeunda dies noctesque ſimul intentâ quâdam animi curâ, ſimul inæſtimabili ſpiritûs dulcedine & novâ divini luminis copiâ præpararet. „ Hunc pium Ignatii affectum in *Mariam* Deus ipſe ſigno edito comprobavit; „ etenim (ità Maffeus pag. 100.) orandi cauſâ non longè ab urbe templum ingreſſo, qualia paſſim impoſita militari viæ cernuntur, ſtatimque, ut ſæpe ſolebat, O abstracto

(*) Succeſſu temporis Diſcipuli Lojolæ, ope cognitionis variarum linguarum, opera præſtiterunt miraculis, ſi Diis placet, ſimilia. Unum tantùm heic loci adferam, quod in medium protulit cel. Heumannus Conſpect. Hiſt. Litterariæ pag. 430. ubi agit de doctis impoſtoribus. Verba ità ſonant: Inprimis commemorari meretur docta eademque religioſa illuſio Jeſuitarum, quâ perſuadebant nonnullis Indiæ Brachmanibus, ut fierent Chriſtiani. Exponit eam Rich Simonius Tom. II. Epiſt. ſel. XXXII. pag. 226. Scilicèt Indis illi exhibebant hiſtoriam Religionis Catholicæ, ab antiquiſſimis inde temporibus deductam, ſermone Indico, & chartæ pergamenæ fumo infectæ inſcriptam. Indi, antiquiſſimam Religionem eſſe veriſſimam, perſuaſum habentes, ſimulque antiquitatem chartæ admirantes, ſtatim victas dabant manus, ſuaque nomina profitebantur inter Chriſtianos.

abſtracto à ſenſibus, atque altâ quâdam animi contemplatione defixo, clariſſimâ in luce per ſpeciem illi ſeſe Deus Pater oſtendit, JESU Filio, bajulanti crucem & crudeliſſimis adfecto ſuppliciis, præſentem Ignatium ſociosque commendans; quos ille cùm in fidem ac patrocinium lubentiſſimè recepiſſet, ad Ignatium placido ac ſereno vultu converſus, hæc ipſa effarri verba dignatus eſt: EGO VOBIS ROMÆ PROPITIUS ERO. Quo tanto tamque divino ſolatio mirum in modum erectus & confirmatus eſt Ignatius. „ Non difficile eſt conjectu, cur Chriſtus crudeliſſimè habitus *Ignatio* oblatus fuerit. Quis enim neſcit, *Ignatii Diſcipulos* ob *ſalutaria* cùm maximè *conſilia*, in generis humanj *utilitatem ſuſcepta*, ob *Religionis*, *Ethicæ* cumprimis Chriſtianæ *puritatem* & *ſimplicitatem*, ob *niveos* denique & *incorruptiſſimos mores*, ex omnibus ferè *Europæ Provinciis pulſos*, *atque infinitis calumniis* publicè ad noſtra uſque tempora *adfectos*, *proſciſſosque?* Si quæ viſio unquàm experientia fuit comprobata, hæc fuit: Ego vobis propitius ero Romæ; norunt hoc, quàm pulcherrimè diſcipuli ſanctiſſimi Viri. Sed pergamus. *Qui perpetuis ejusmodi viſionibus gaudent, rectæ rationis decreta parùm curant, & ad ineptiſſimas ſuperſtitiones proni aptique ſunt.* Probabimus, *Ignatium* graviſſimo hoc morbo vehementer laboràſſe. Pag. 7. apud Maffeum narratur, *Ignatium à puero præcipuo* quodam cultu veneratum *S. Petrum*, imò laudes ipſius *Carmine Hiſpanico* celebràſſe; (qui affectus ſingularis ſignificabat, *quo animo* diſcipuli Ignatii

futuri

futuri ſint in *Cathedram Petri*) unde facilè dijudicari poteſt, quibus præceptis *Religionis* in *Hiſpania* imbutus fuerit. Interim ipſum ingenium magis adhuc ſtimulabat ad ineptias amandas; hinc adeò ipſi placebat liber *de Vita Sanctorum*; hinc præclari illi impetus, *de votivis peregrinationibus*, *cultuque inprimis horrido & aſpero.* „ Artium quippè (ità ipſe *Maffeus* pag. 10.) ſpiritualium & chriſtianæ Philoſophiæ rudis & ignarus adhuc, omnem ferè ſanctitatis & officii perfectionem in aſperitate vitæ & in voluntaria corporis afflictatione ſtatuerat. Quocirca jam tum agitabat animo, ſimul atque per valetudinem liceret, nudis pedibus Hieroſolymam petere, ac frequenti verberatione longoque jejunio tantas peccatorum pœnas ultrò ſuſcipere, quantas videlicèt ab excelſo magnoque animo ſalutare odium ſuî & ardens divinæ gratiæ promerendæ ſtudium exigebat. „ Qui *indolem* Religionis Chriſtianæ *naturamque veræ pietatis* intelligit, facilè de actionum illarum *bonitate* judicare poterit. Tâlia item ſunt, quæ pag. 13. narrantur: „ Navaretto profectus Hieroſolymam petiturus, primum omnium Religionis cauſà celeberrimum beatæ Virginis ædem adire decrevit. Deinde reputans apud animum ſuum partim voluptates, quibus anteà indulſerat, partim etiam periculoſum & grave bellum, quod ſibi rurſus à carnis illecebris atque ab inferioribus animæ viribus imminebat; omni ratione ſe contra domeſtici hoſtis inſidias muniendum arbitratus, ergò non ſolùm inſtitutam, ex quo die Lojola diſceſſerat, conſuetudinem ob-

firmato retinuit animo, ut ſingulis noctibus pœnæ nomine ſe acerrimè verberaret, ſed etiam ratus, nullum continentiæ præſidium poſſe firmius inveniri, quàm Dei matris, ejusdemque Virginis perpetuæ patrocinium, recenti præſertim illius in ſe clementiâ ac benignitate invitatus; in ejus maximè clientelam fidemque confugit, ac ſtudio virtutis incenſus, illicò fecit, ut eidem Virgini ſacratiſſimæ ſeſe irrevocabili voto caſtitatis obſtringeret. Quòd religioſi animi obſequium & ſacrificium pro ſua infinita bonitate, ratum & gratum Deus ipſe videtur habuiſſe; quandoquidem beatiſſimâ Virgine deprecante videlicèt, ex eo tempore ad extremum uſque diem, Ignatius planè omni ſenſu libidinis caruit. „ Patet 1. ex hisce, quo animo *Ignatius* fuerit erga *Deum*, & *divam Virginem*; inter divinas virtutes *ratio* & *revelatio* etiam hoc refert: quòd Deus ſolus intellectum *ſalutari luce* perfundere, *voluntatis decreta* moderari, *impotentiam ejus* & *æſtum* frangere poſſit. Ut igitur *caſtè* & *piè* per omnem vitam vivere poſſit *Ignatius*, ad *divam Virginem* confugit, ejusque præſidium petit. Unde ſequitur, eum *Matri Servatoris noſtri* virtutes *perfectiſſimo Numini* debitas *conceſſiſſe*; falſum igitur erit *Apoſtoli Jacobi* dictum: *omne bonum & ſalutare donum à Deo, Patre luminum, eſſe.* Saltem *diviſum imperium diva Virgo cum Deo* habet. Solent autem diſcipuli *Ignatii* perſpicuis aliquandò id ſignificare verbis. Nota ſunt Epigrammata *Franciſci Remondi* Iſ. Lib. I. *de Chriſto & beata ipſius Matre.*

Hinc

Hinc lactor ab ubere, hinc paſcor à vulnere.

Ubera me matris, nati me vulnera paſcunt,
Scilicet hæc animi ſunt medicina mei,
Nam mihi dùm lachrymas dolor elicit, ubera ſugo,
Redeat ut dulci mixtus amore dolor,
At me pertentant dùm gaudia, vulnera lambo,
Ut me læta, pio mixta dolore, juvent.
Vulnera ſic nati lambo, ſic ubera matris,
Securæ ut varia ſint mihi ſorte vices.
Quis ſinè lacte, precor, vel quis ſinè ſanguine vivat,
Sanguine nate tuo, lacte puella tuo?
Sit lac pro Ambroſia, ſuavi pro Nectare ſanguis,
Et me perpetuò vulnus & uber alat.

2. Abſit invidia verbo, ſi dicam, *Ignatium*, dùm *omni ſenſu* libidinis ſe caruiſſe ex eo tempore perhibet, *mentiri.* Erat *Ignatius* in flore ætatis; erat (uti videtur) *temperamenti cholerico-ſanguinei;* tales autem *à ſtimulis Veneris* non ſolent eſſe prorſùs liberi. Aliud eſt, fœminam non tangere; aliud, *omni ſenſu libidinis carere.* Crediderim, *Ignatium motus primo-primos*, qui peccaminoſi non ſunt, interdùm *plus ſatis ſenſiſſe.* Quòd ſi tamen nihil eorum unquàm ſenſit, id laudi ipſi duci non poteſt. (*) Poſtquàm

 per

(*) Certains Cenſeurs ſoutiendront peut-être, que les Panegyriſtes d'Ignace en voulant rendre ſa vertu trop ſublime, l'ont anéantie entierement; qu'il eſt impoſſible de dompter des deſirs, quand on n'en a point; & qu'un homme chaſte ſans tentation

per varios caſus *Ignatius* Hieroſolymam tandem pervenit, abundè oſtendit, quàm vehementer *caſtiſſimæ Religionis amor* ipſum ceperit. „ Ut ad conſpectum (ità Maffeus pag. 41.) ſacratiſſimæ urbis eſt ventum, incredibilem ex ipſo illius intuitu (*crederes, antiquam ſtetiſſe adhuc Hieroſolymam*) cepit animo voluptatem; ac deinceps partim in comitatu, partim etiam ſolus, loca illa Chriſti Domini noſtri, Mariæ Virginis & Apoſtolorum nobilitata veſtigiis, eximio quodam animi fructu venerabundus haud ſemel obiit; modò inclyti quondam templi reliquias; modò ſepulchra Prophetarum intuens; hîc naſcentis & miracula patrantis Filii Dei monimenta conſiderans. Ubi verò ad loca ejusdem acerbiſſimis pœnis inſignia, & morientis in cruce ſanguine conſecrata, atque ad defuncti ſepulchrum accederet, effuſus in lachrymas humo pia oſcula imprimere, immortales agere Domino gratias, incredibili quâdam ſpiritûs dulcedine & ſuavitate compleri. Ad hæc antiquum beatiſſimæ Virginis domicilium, itemque locum inſtituto primum Euchariſtiæ myſterio, & S. Spiritûs adventu memorandum, & alia ejusmodi quamplurima, quæ per otium deinde reviſeret, à Myſtagogo, quàm acuratiſſimè addiſcere. Inſuper pag. 43. acris illum inceſſit cupiditas montis Oliveti illius celeberrimi reviſendi; quo in ſummo

tation, qui ſe feroit un merite de ſa continence, reſſembleroit à un letargique, qui ſe glorifieroit de ce, qu'il ne vole pas ſur les grands chemins. Ità Auctor des penſées libres ſur la Réligion, l'Egliſe &c. pag. 266.

ſummo cernuntur adhuc JESU Chriſti aſcendentis in cœlum expreſſa veſtigia. Sacri montis cacumen ſubiit alacer, & divinorum pedum notas multa cum prece & ingenti gaudio veneratus, ad Bethphage properavit: ubi dùm ſingula curioſè perluſtrat, ſubiit illius animum ſubitò, minùs diligenter in Oliveti faſtigio ſeſe animadvertiſſe, utra ex cœli plaga (*nam in hoc non exigua pietatis pars ſita*) dextrum, utra ſiniſtrum eſſet Chriſti veſtigium; quâ dubitatione, quaſi quibusdam calcaribus incitatus, illicò ad montem recurrit, annotavitque intentis oculis vel minutiſſima quæque; ſic ut locus in poſterùm dubitationi non eſſet; uſque adeò inexplebile ſtudium ſacro-ſancta illa redemtionis humanæ monimenta & incunabula Chriſtianæ Religionis penitùs etiam atque etiam cognoſcendi replendique mentem ejus invaſerat. „ O pium cor & Sanctis devotum pectus, *dignum*, quòd *omnes reliquias in unum collectas* manibus contrectaret atque deoſcularetur! Novimus equidem *à Monachis* in terra ſancta habitantibus paſſim ea, quorum mentionem facit *Ignatius*, quo ſunt ingenio, oſtentari; quàmvis poſt *tot deſolationes*, quas paſſa eſt urbs, olim famigeratiſſima, non magis certum ſit, ea vel *videri*, vel *oſtendi* poſſe, quàm certum eſt, in Monaſteriis *proditoris Judæ lucernam*, *Chriſti ſudarium*, *Joannis Baptiſtæ dentem*, *pennam Angeli Michaëlis*, & infinita alia crepundia reperiri. Quòd ſi tamen vel maximè *domicilium B. Mariæ* conſpiceretur cum cæteris, non magis religioſo cultu hæc eſſent proſequenda, ac quævis alia vetuſtatis monu-

 menta.

menta. Interim oblitus eſſe videtur *Ignatius*, viſendi domicilii *B. Virginis* cupidus, ædem illam ſacram Anno 1291. ab *Angelis* in *agrum Aconitanum, Lorettum translatum*; forte tamen *ædes illæ*, ut *aliæ reliquiæ*, *multiplicantur* per miraculum. Hoc exemplum *Patris ſanctiſſimi Ignatii non imitandum* tantùm, ſed & ad alia *extendendum* exiſtimârunt diſcipuli. Notum inter *principes* ſociorum *Ignatii* fuiſſe *Franciſcum Xaverium*, qui tandem in *Indiâ Orientali*, & inſulà quidem de *Sancian*, mortuus eſt. Hunc *Apoſtolum Indiæ* maximi æſtimant ſanctiſſimæ Societatis *Socii*; neque minori cultu venerantur *locum*, quo ſepultus eſt, quàm *Ignatius terram ſanctam*. Exemplum dabo, quod extat *Lettres édifiantes &c.* Tom. II. pag. 85. ſq. nimirùm *P. de Premare* cum Sociis, voti compotes facti, peregrinationem ad tumulum *Xavierii* inſtituendam exiſtumarunt; poſtquàm verba tumulo ipſius inſcripta legerunt, addit Jeſuita: „Nous baiſames pluſieurs fois une terre ſi ſainte, quelques uns l'arroſerent de leurs larmes; & je me trouvois penetré de ſentimens ſi vifs, ſi doux, ſi conſolans, que je fus plus d'un quart d'heure comme ravi, & ſans pouvoir penſer à autre choſe qu'à goûter ce que je ſentois. Après ces premiers transports de ferveur nous examinames exactement ce monument, puis avec des branches d'arbres & un morceau de viole nous bâtimes une pauvre tente, qui ne répreſentoit pas mal la cabane ſous laquelle Saint François Xavier mourut. Enfin nous chantâmes le *Te Deum* avec les Litanies du Saint, & nous entrâmes

trâmes dans la plus belle & la plus charmante nuit qu'on puiſſe peut-être paſſer en ce monde. Que le plaiſir qu'on goûte eſt pur, lorsque dans une occaſion comme celle-cy, l'on ſe communique les uns aux autres tout ce qu'on penſe, & tout ce qu'on ſent au fond du cœur? *Et paucis interjectis:* On chantoit enſuite les Litanies de la très Sainte Vierge. Dans une autre Pauſe on diſoit le Chapelet, on revenoit aux louanges du Saint, & ces priéres étoient melées d'entretiens, qui valoient bien des prières. L'on parcouroit les vertus de l'Apôtre de l'Orient, je n'en trouvois aucune, dont je n'euſſe beſoin, & qui ne me manquât. Quelqu'un ſe ſouvint de cette nuit, que St. Ignace paſſa tout entière dans l'Egliſe de Montferrat, devant l'image de la très Sainte Vierge, lorsqu'il ſe voulut conſacrer entièrement à Dieu. La veille, que nous fimes au tombeau d'un Apôtre, nous parut aſſés ſemblable, & nous la nommâmes notre nuit d'armes." (*) *Maffeus* Lib. III. initio pietatem ipſius ſingularem celebrat. Excerpemus quædam: Pag. 163. „Nullum, (inquit) quàmvis leve religionis obibat officium, quin ejus animi ardor ex toto corporis habitu, ac præſertim ex fronte atque oculis emicaret. Ex quo facilè exiſtimari poteſt, qualem ille ſe in horaria precatione, Pſalmisque & in Sacrificio Miſſæ præſtiterit. Sanè cùm initio Sacerdotii in medio Lateranenſi templo Chriſti natalitia celebraret,

O 5 ad

(*) De Xaverio vide Tom. I. du préſervatif contre la Réunion avec le Siège de Rome. A. Infantio.

ad aram, ſacris Apoſtolorum Petri, Pauli & Andreæ reliquiis inclytam, tantâ eſt repentè ſpiritûs dulcedine delibutus, ut inter divinam rem peragendam lachrymas tenere nullâ unquàm ratione potuerit. Viſionum præætereà extat libellus, ac luminum, quæ illi fermè ſacrificanti obvenêre, quo maximè tempore ſocietatem ordinabat; quas viſiones ipſemet, pietatis & memoriæ cauſâ, in ephemeridem retulit. Eum libellum qui attentiùs legat, clarè perſpiciat, quâ præparatione, quo ſpiritu ad Sacramentum Altaris accedere conſueverit. Septem etiam urbis templa, & religione & Pontificum indulgentiis celeberrima, certis anni temporibus diligenter & caſtè viſebat, pedes, & quidem per hyemem lacernatus haud ſinè mantelo; nec ullâ corporis laſſitudine, aut cæteros exemplo ſuo deſtitui, aut ſe tantorum bonorum communione fraudari patiebatur. Piacularia verò grana quæ dicuntur, & cereas agni cœleſtis effigies, pictasque Sanctorum imagunculas, & alia id genus, quæ ab impiis irridentur, ità ſtudioſè tuebatur, & caras habebat, ut in ejus ſcrinio poſt mortem nihil ferè aliud apparuerit. „ Talis fuit pietas *Ignatii* famâ ſuper æthera noti. *A tali autem pietate libera nos, Domine!* permanſit tamen in ea *ad finem vitæ Ignatius.* „ Cùm enim ſibi (ità Maffeus pag. 157.) ultimum diem inſtare ſentiret, mirantibus cæteris, miſit, qui à Summo Pontifice ſibi decedenti ſalutarem expiationem & indulgentiam ritu catholico precaretur „ Scilicèt ità *vivere* juvat, ità *mori*.

At

At conſideremus ulteriùs *ſingulares Ignatii*, quibus eluxit, *virtutes*. *Qui ineptiſſimâ ſuperſtitione capti ſunt, atque exiſtimant, quasvis imagines menti oblatas* de *cælo demitti, non poſſunt non in vultu, ſermone & actionibus delirantis animi prodere ſigna.* Probemus hoc exemplorum inductione. Pag. 14. & ſq. adfert *Maſſeus* exemplum, in quo utrum magis *Lojolæ ambitio* & *iracundia*, quàm *ſtolida inſania pateſcat*, judicium erit penes lectorem: „Quidam Maurus ſuperſtitioni Mahumedis addictus, inſidens mulo, Ignatium fortè aſſecutus comitem ſeſe illi adjunxit; ac nonnulla primùm, ut fit, de itinere ſciſcitantur; variis dein ſermonibus eo deventum eſt, ut de ſingulari Mariæ virginitate diſſererent; quam cùm nefarius ille ante partum quidem integram illibatamque fuiſſe fateretur, à partu verò nequaquàm; contrà Ignatius ab ejusmodi errore quibuscunque poterat rationibus hominem revocare contenderet; poſt multam altercationem magis magisque obſtinatus impius ille, cùm oblatam ſibi veritatis lucem intueri nollet, repentè non ſinè rabie quadam (*ſinè dubio ob ſubtiliſſimas acutiſſimasque Ignatii rationes*) ſubditis mulo calcaribus anteceſſit, ſeque celeriter ex Ignatii conſpectu proripuit; quo facto vehementiùs irritatus Ignatius, parùm abfuit, quin citato greſſu perſequeretur abeuntem, & pugione confoderet; facinus indignum exiſtimans, non tàm contemtum relictumque ſuperbè ſe, quàm de ſumma caſtimonia & ſanctitate Reginæ Angelorum (*nec enim Deus Rex Regum ſufficit*) auſum fuiſſe viliſſimum

mum caput ore polluto detrahere; cùmque militari etiam tùm ſpiritu religionis officiique (*licèt Deus incomparabilem Virum, utì olim Moſen & Prophetas viſionibus beâſſet*) momenta perpenderet, ſeſe vix pietati ſatisfacturum putabat, ſi tantas blaſphemias pateretur inultas, neque ab impuro dæmonis mancipio pœnas petulantis linguæ repoſceret. Verùm tamen incitatum jam generoſi pectoris impetum retardabat ſuſpicio, latentis in tam ſpecioſa cogitatione piaculi, metûsque probabilis, ne per hanc animadverſionem, & cœleſte Numen, & eam ipſam, quam defendere conabatur, Virginem offenderet. Cùm igitur multa ſecum agitâſſet, motu corporis pariter atque animo varius, ad extremum, ſanè quàm præcipiti conſilio ſtatuit ad bivium uſque procedere, unde Maurum ex habito colloquio ad proximum pagum novêrat divertiſſe; in eo bivio laxatis omninò mulæ, quâ vehebatur, habenis, ità de re tota interpretari, ut ſi beſtia per ſe Mauri veſtigiis inſiſteret, non dubitaret, quin accepta futura eſſet ultio Majeſtatis divinæ; ſin minùs, pro certo putaret, nequaquàm id à ſe officii Deum beatamque Virginem poſtulare. Hâc ille mente proceſſit ad bivium; cùmque pagus ille, quem diximus, abeſſet diverticulo paſſuum non ampliùs 40. viâ facili ac ſpatioſâ; planè divinitùs factum eſt, ut ſponte ſuâ jumentum anguſtiore viâ Barcinonem verſùs iter arriperet. Atque hunc in modum Ignatius in re tam gravi nullo pia ipſius ſtudia regente periclitatus, lethalis noxæ crimen feliciùs effugit, quàm ſapientiùs. „ Cùm ipſe *Maffeus*, quàmvis

vis molliſſimis verbis, inſaniam *Lojolæ* arguat in hoc negotio, non opus eſt, ut pluribus hoc oſtendamus. Hoc unum obſervamus: *Ignatium* maturè ſatis oſtendiſſe, quo animo eſſet in *quosvis disſidentes*, & quâ ratione illi eſſent ſuâ opinione *tractandi*. Homo à Religione Chriſtiana alienus concipere non poteſt, Mariam poſt editum in lucem partum Virginem manſiſſe. Adducit *Ignatius* neſcio quas rationes, nec ideò convincit miſerum hominem; *ergo* (inquit) *interficiendus eſt ille homo*. *Inſanum caput!* quid ſi hoc animo fuiſſet *Maurus in te*, qui rationibus ejus cedere noluiſti, num *dignus* fuiſſes qui confodereris? at *ille* malè ſentiebat, (inquies) non *ego*. Hoc ipſum erat, de quo inter vos quærebatur. *Ignatius* disſentientes (ut ex hac hiſtoria patet) pro *dæmonis* habuit *mancipiis*, quæ *invocatâ* cœlitùs *ultione eſſent punienda*. Nimirùm hæc eſt *indoles* & *natura Religionis Chriſtianæ*. Imitari voluit *Caligulam*, qui, teſte *Suetonio*, *Prætorium Virum* ex ſeceſſu *Anticyræ*, quam valetudinis cauſâ petierat, propagari ſibi commeatum ſæpiùs deſiderantem, cùm *mandâſſet* interimi, adjecit: *neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem*, *cui tam diu non prodeſſet elleborum*. Et certè diſcipuli, quod *Maffeus* taxare videtur, non minùs quàm *Ignatius*, militari ſpiritu *Religionis* momenta ſemper perpenderunt. Saltem haud *metaphorica* fuiſſe verba, quibus uſus eſt *Ignatius*, dùm diſcipulos quaquaverſùm mitteret, egregia præcepta cunctos mortales edocendi, dicens: Ite, omnia accendite & inflammate; *ſæpiſſimè ſenſit orbis*, *& ſentit adhuc*. *Crudelitatis*

tatis in alios exercitæ exempla alia in *Ignatio* notat *illuſtris Anglus loco cit. pag.* 129. *Superſtitioſi & fanatici, caſtæ Religionis ignari, in victu & amictu ſingularem pietatem quærunt;* quo apparatu ignotos fallunt, notis autem deriſui ſunt. „ Silentio noctis ejus, (ità *Maffeus* pag. 16.) cui dies feſtus Angelicæ Salutationis illuxit, pretioſa veſtimenta, quibus erat ornatus, quàm occultiſſimè potuit, pannoſo cuidam ex infima plebe largitus, confeſtim optato illo ſacco ſe alacer induit, ac fune præcinxit; dextro pedi, quòd ex reliquiis morbi ſingulis etiam tùm noctibus intumeſceret, calceum induxit è ſparto; ſiniſtrum utique nudum relinquere, & capite item nudo prorſùs decrevit incedere. Pag. 18. Ut Minoreſſam acceſſit, ad publicum infimæ plebis hoſpitium precario ſeſe contulit, ibique ſanctæ paupertatis ac pœnitentiæ ſtudio inter egentes ac ſordidos quam exequemur vitam exorſus eſt. Victum oſtiatim precibus infimis emendicare quotidiè; totam hebdomadam, excepto Die Dominico, jejunare; in ipſo cibatu ſimplici pane contentus, atque ubi ſitis urgeret, aquá profluente, ſomni parciſſimus humo nudus cubare, auctoque ſupplicio ſingulis diebus ter ſeſe flagellis quàm acerrimè cædere. Adhæc horas quotidiè ſeptenas genibus nixus in Oratione vocali perſiſtere, nam ejus, quæ mentalis dicitur, uſum & conſuetudinem (*lubens hoc crediderim, hinc qualis illa vocalis Oratio fuerit, haud obſcurum*) adhuc ignorabat. Præterea Sacrificio matutino, veſperarum & completoriis officiis attentiſſimâ curâ ſemper intererat; obibat

bat etiam octavo quoque die ſacra Confeſſionis, & Euchariſtiæ myſteria. Capillum relinquere cœpit impexum & ſqualidum, quin etiam ungues ipſos excreſcere per diuturnam incuriam pati; atque in hoc tam aſpero tamque horrido vitæ inſtituto conſtanter id omne refugere, quod ullam poſſet adflictæ carni delectationem aut levamen adferre. „ *Aliâ datâ occaſione*, cùm ex morbo convaluiſſet, *damnavit inſtitutum hoc.* „ Vetabat (ità *Maffeus* pag. 31.) corpus debito ſomno ciboque fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, ut moderatâ ſobrietate vegetatur animus, ſic immoderatâ vigiliâ vel inediâ vires adeò frangi ac debilitari, ut mens earum miniſterio deſtituta vix munere ſuo fungi, aut ad contemplationem rerum divinarum poſſit exurgere. „ Fanatici homines adeo ſe curæ eſſe credunt, ut abjectis divinæ Providentiæ mediis, quæ ad manus ſunt, quibusque [ut cæteri homines] uti poſſent, nonniſi inſolita expetant, & ſingularia auxilia. Haud ſemel in vita narratur *Ignatii*, *quòd oblatam pecuniam ad iter faciendum cibumque parandum abjecerit.* Ità (pag. 18.) mendico ſua dedit veſtimenta. „ Cùm Hieroſolymam contenderet, multi inter alia etiam hoc argumento disſuadere, ne ſe ipſe, afflictâ præſertim valetudine, itineri tàm longinquo ac tàm periculoſo committeret. Deinde cùm nec precibus nec ſuaſionibus eum de ſententia dimovere poſſent, inſtare ſaltem & urgere, ne incomitatus abiret; multa poſſe in tàm remotis ignotisque regionibus ac tantâ rerum humanarum varietate contingere, quæ præſentem cujuspiam

juſpiam fidelis opem ſolatiumque requirerent. Omninò probabilia videbantur afferre, & humano judicio rem æſtimantibus etiam neceſſaria, nec verò deerant homines impigri peritique linguarum, qui ſeſe illi comites laboris ac periculorum libenter offerrent. Verùm Ignatius quâ erat animi altitudine (*fortè legendum: ſuperbiâ & ſtultitiâ*) in cœlum ſemper intentus, atque à divina Providentia uſquequaque pendere mirabiliter cupiens, amicis omnia ſua in eum ſtudia profitentibus ità remiſit, ut diceret, in præcipuis hominis chriſtiani virtutibus non modò fidem & caritatem eſſe, verùm etiam ſpem; ejus porrò comparandæ gratiâ certum ſibi eſſe, non modò ſinè viatico, ſed etiam ſinè comite iter ingredi; quod clarè perſpiceret, ſi, qualia multa poſſunt homini accidere, peregrinanti præſertim, ſibi quidquam eveniſſet, fieri non poſſe, quin aliqua ſaltem ex parte comitis præſidio fideique confideret; proinde quicquid in eo ſpei locâſſet, id utique ex ea detractum iri fiducia, quam totam in uno Deo clementiſſimo Parente ac Rectore vellet eſſe repoſitam. „ Cùm in Italiam navigaret, vix adduci potuit, ut nautici panis aliquid ſecum ferret; paucos autem, qui ſuperfuerant nummos, reliquit in ipſo littore. Ità *Maffeus* pag. 35. Idem contigit denuò in itinere Hieroſolymam ſuſcepto. Pag. 36. „ Cùm relictâ terrâ ſanctâ in Hiſpaniam reverti vellet, hyems erat; Ille ſtudio paupertatis, quæ fuit illi ſemper omnibus commodis & emolumentis antiquior (*longè alia mens eſt diſcipulis*) nudis cruribus hyeme ſæviente

navem

navem conſcenderat, femoralibus tantùm è tela, conciſàque ad humeros aploide, ac ſciſſili tunicâ breviore amictus, cùm è cœlo denſa caderet nix, ac triſti gelu cuncta inhorreſcerent.

Fanatici homines non ſolùm in *aſpero cultu* corporis victuque *ſanctitatem* quærunt, ſed & in ipſo *ſermone* cum aliis, *vultuque* præ ſe ferunt aliquid *ſingulare*, exiſtimantes cæteros homines animadvertere debere, ſe *propiore Numinis convictu* gaudere. Audivimus ſuprà, quid fecerit *Apollonius Tyanenſis*; eum ſequitur *Heros Ignatius*. „Cùm ab Hiſpanis militibus, pro exploratore habitus, comprehenderetur, & ad Præfectum urbis duceretur, (ità *Maffeus* pag. 47.) repentino quodam timore perfuſus, cœpit ſubitò cogitare apud ſe, quonam modo ipſum alloqueretur. Etenim Ignatius, quòd olim in regia ſermonis floſculos & verborum elegantiam nimiùm ſtudioſè captâſſet, ad eam vanitatem expiandam, conſulto poſt converſionem inſtituerat, rudi & agreſti ſermone cum ipſis quoquè dynaſtis ac principibus agere, & quò magis vulgò contemneretur, omne liberalioris educationis & nobilitatis indicium ſtudioſè celare. Tùm igitur ſubiit illius animum, expediret-ne tali tempore quidpiam de ſuſcepta ſeu tarditate, ſed ruſticitate deponere? ſed cùm rem totam accuratiùs intuens ab humano timore profectam animadvertiſſet, uſque adeò in ſemetipſum animo concitatus eſt, ut nullâ habitâ ratione periculi, non modò mutatâ conſuetudine ad orationis lenocinia non deſcendere, ſed nullum

P prorſus

prorſus neque geſtus, neque verborum honòrem habere Præfecto decreverit. „ *Quæ res cuipiam fortaſſis* (imò omnibus, qui mente capti non ſunt) *temeritatis potiùs quàm conſilii videatur eſſe*; „ ſed utique (ô adulatores, ſervum pecus!) ſervorum Dei, præſertim in ipſo fervore pœnitentiæ facta vel dicta ad communem ſenſum ac normam exigenda non ſunt. Cùm igitur coram illo ſtetiſſet, ut erat ſemi-nudus & ſqualidus, ne aperto quidem capite oculos humi defigit, multa ac varia ſciſcitanti nullam omninò reddit vocem; tantùm ad illam interrogationem: Es-ne ſpeculator? non eſſe reſpondit; tùm ille inſanum ratus hominem, milites increpat, quòd in conſpectum dementem adduxerint. Cùm autem à militibus pugnis & calcibus eſſet confuſus, lætatus, quòd ſibi innoxio ad Chriſti exemplum (*parùm à blaſphemia hoc abeſt*) perpeti contigerit. „ Idem Maffeus pag. 167. *Niſi eum cohibuiſſet exiſtimationis ratio propter ſalutem aliorum, ſimulatâ dementiâ, ad plebem in ſe concitandam, nudus onuſtusque cornibus, aut alio fœdo corporis habitu, prodire non dubitâſſet in publicum, & inceſſentes cœno vel ſtercore pueros* (nimirùm propter religionem hæc omnia ſunt perpetienda) *vocesque improbas & ſputa, & omnes alias inſanæ multitudinis contumelias libentiſſimè pertuliſſet.* Mihi illius ſapientis decreti, quod *Ephori* olim *Spartæ* contra *Clazomenios* publicari juſſerunt, incidit recordatio, quod ità ſonat: Ἐξέστω Κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν. En aliud *Cynicæ Philoſophiæ* ſpecimen, quod extat apud Maffeum pag. 175. „ Venetiis Patavium pedibus

bus cùm iter haberet, domeſticâ eâque admodùm attritâ lacernâ ob inopiam indutus, Jacobo Laine comite, pecuarius quidam puer, conſpectis eminùs peregrinis, ad eos repentè propiùs advolat; habitûsque fortaſſè (*cauſſa dubitandi difficilis*) novitate permotus, defixis procaciter in Ignatium oculis, cachinnos tollere, eidemque licentiùs cœpit illudere. Cùmque Ignatius vultu placido ſubſtitiſſet; converſus ad eum comes: Quin, ait, acceleras gradum, pater, teque iſtius pueri petulantiæ ſubtrahis? Imò vero, inquit ille, cur puerum oblatâ ſibi præter ſpem hâc tantâ oblectatione fraudemus? Itaque conſultò etiam diutiùs hæſit in iisdem veſtigiis, ac ſe curioſius intuendum ridendumque affatim protervo adoleſcentulo præbuit; plus nimirùm ex hoc qualicunque ſuî contemtu ac ludibrio hauriens voluptatis, quàm alii ex vulgi plauſu fauſtaque acclamatione percipiunt. „ Certè hæc actio *Ignatii* non ſolùm fuit planè *ſtolida*, ſed & *peſſimi exempli*; contumeliæ enim illæ ob veſtium ſordes & novitatem illatæ, non ſolùm nihil *Religioni prodeſſe* potuerunt; ſed & *Lojola* quaſi *de induſtria* petulantiam puerorum adverſùs ſe *excitans*, peccato manifeſtè occaſionem præbuit. Non minùs *inſulſum* fuit, quòd operam dederit, ut pro homine *planè mente capto* haberetur. *Paulus* in tertium licèt cœlum raptus, cùm audiit: Act. 26. *inſanis Paule*, *ſobrio reſponſo* calumniam repulit. At *Lojola* fortè æmulatus eſt non *Paulum*, *Jeſu Chriſti Apoſtolum*; ſed potiùs illum *Argivum*, de quo *Cicero: maluit eſſe inſanus. Egregiam hanc Ignatii vir-*

 tutem

tutem ſtrenuè imitabantur primi diſcipuli (poſteri enim altiſſimæ hujus Parentis ſui virtutis immemores ſunt;) atque eo nomine ſinè dubio mirè placebant *Heroi* ſuo. *Petrum Fabrum* (ità Maffeus pag. 76.) „ cùm jam Philoſophiæ curriculum peregiſſet, ſpiritualibus exercitationibus perpolivit, adeò propenſum ad pœnitentiam, tantoque animi ardore ſuccenſum, ut hyeme ſummâ, concretum glacie flumen Sequanum, plauſtris impunè prementibus in ſeparata Jacobæi vici domuncula propoſitas meditationes, & quidem inſidens nivi ſub dio peregerit, ſexque ipſos dies omni prorſùs cibo potuque abſtinuerit; inediam longiùs utique protracturus, niſi eum (*fortè cauſſæ phyſicæ potuiſſent dari*) re animadverſâ, conſultoque ſuppliciter Deo, vetuiſſet Ignatius.

Iidem omnes, ſacris iisdem *initiati*, *Hieroſolymam*, generoſo impetu incitati, iter facere inſtituerunt. *Quia autem* [ità Maffeus pag. 79.] *plerique Theologiæ ſtudia nondùm abſolverant*, *ne interim conceptus ardor animi refrigeſceret*, *& ſimul ut ipſorum eò gratiùs divinæ Majeſtati obſequium eſſet*, *quò majorem ſibimet ipſi neceſſitatem ſervitutis ac religionis impoſuiſſent*; *implorato Beatiſſimæ Virginis patrocinio*, *ac Sancti Dionyſii Areopagitæ*, [certum enim & extra dubitationis aleam poſitum, hunc *Epiſcopum Athenienſem* in *Galliam* veniſſe, atque *Pariſiis* fortunarum ſuarum ſedem fixiſſe; *nugæ* enim ſunt, quas Sirmondus, quàmvis Jeſuita, & alii *traditioni conſtanti* oppoſuerunt,] *cujus in tutela Pariſii ſunt*, *in*

in æde ſub-urbana, *quæ mons Martyrum* [non ſinè omine] *dicitur*, *ſub Confeſſionis & Euchariſtiæ myſteria voto ſeſe obſtrinxêre ſinguli*, *emenſis Theologiæ ſpatiis continuò mortalibus rebus nuntium remittendi*, *atque in paupertate perpetua ſerviendi gloriæ divinæ ſalutique animorum.* Hoc ſtrenuè etiam Viri illi rerum theologicarum peritiſſimi fecerunt. „ Cùm Venetias ad *Ignatium* contenderent, *ſuo quisque baculo* [pag. 89. *Maff.*] *innixi*, pedites viam capeſſunt, & quidem tanta cum alacritate ac fervore ſpiritûs, ut ne à Jacobo quidem Laine, viribus nondùm è recenti morbo recuperatis, extorqueri potuerit, quò minùs & pedibus laboraret ut reliqui, & inter ambulandum inſuper invalida membra discruciaret hiſpido inprimis & horrenti cilicio. Veſtitus erat omnium, ut peregrinorum & pauperum, nequaquàm elaboratus, & ad modeſtiam ſubmiſſionemque compoſitus. Pendebat è ſcapulis mantica ex corio, in qua Sacra Biblia (*mirum hunc librum adeò inintelligibilem*, *& Ignatii Decretis contrarium*, *tanti habitum*) & Breviarium aſſervabantur, & ſcripta quæ diximus. Roſaria verò, ad Catholicam Fidem vel inter ipſos Hæreticos profitendam, palam geſtabant è collo ſuſpenſa. „ *Hic erat veſtitus in gloriam Dei. Audi jam opera*, *quæ fecerunt in gloriam Dei:* „ Ut rudimenta futuræ militiæ ponerent, Venetiis publicis valetudinariis inter ſe diſtributis, ægrotos ac pauperes omni ope adjuvare inſtituerunt. Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta gratis miniſtrare, qui per Sacerdotium poterant; cæteri ſolari jacentes, afflictos mœrentesque ſpe

cœleſtium bonorum erigere; adeſſe animam agentibus; cunctos denique ad patientiam fidemque adhortari.„ [Hæc officia à nemine præſtari poſſent, niſi eo, qui extraordinarius *Ignatii Lojolæ* Legatus eſſet.] „ Nec modò ſpiritualibus officiis fungi certatim; ſed ne viliſſima quidem, ac ſervilia corporibus pauperum curandis, defugere miniſteria; ſternere lectulos; evertere ſordes; purgare ſcaphia; cadavera defunctorum ritè curata humi condere; interdiu pariter noctuque omnibus præſtò eſſe, tanta cum diligentia ac alacritate, ut cuncti obſtupeſcerent. Quibus in officiis cùm aliorum omnium, tùm Xaverii præcipuè caritas ac virtus enituit. Is cùm in quemdam incidiſſet Morbo Gallico miſerè deformatum, atque ad ejus aſpectum exhorruiſſet; ut eâ re infringi ac debilitari ſenſit caritatem in proximum, ità repentè in ſemetipſum excanduit egregius Chriſti miles, ut manantem ſaniem ex ulceribus purulentis [cujus rei vel mentionem aures delicatæ refugiant] obfirmato animo ſemel iterùmque non dubitarit exſurgere. Quâre non modò ſe ipſum in præſentia præclarè vicit, ſed etiam in omne tempus propriam quamdam atque perpetuam in Elephantiacos atque Ulceroſos clementiam & miſericordiam eſt conſecutus; quam deinde, ubicunque terrarum fuit, quotieſcunque ſe dedit occaſio, diligenter exercuit. Quidam etiam è ſociorum numero pauperem leprâ toto corpore coopertum, cùm Præfectus Noſocomii non admitteret, in ſuum lectum accepit ipſe; cùmque manè ſurrexiſſet, cunctis ingemiſcentibus eàdem ipſe quoquè morbi fœdi-

fœditate correptus, poſtridiè non ſinè miraculo prorſus illæſus atque intactus apparuit. Ravennæ quidam (pag. 93.) ex iis, cùm hoſpitalis lectuli ſordes ac manantia tabe ſtragula nauſeabundus vitâſſet; quæ prima deinde occaſio data eſt ſuimet puniendi, non prætermiſit. In pago, neſcio quo, pauper Phtiriaſi conſumtus è vita migraverat, cùm in eum pagum noſtri veniſſent, distributisque cubilibus nullum jam ſupereſſet, niſi quod Phtiriacum foverat; Pater ille amiſſam nuper palmam recuperare vehementer exoptans, nudus illicò per ſummum animi ardorem easdem ſubiit lodices, ibique ſeſe identidem verſans, cùm ingentes animalium greges eà totâ paviſſet nocte, ad ſudorem uſque defatigatus [*ſinè dubio in gloriam Dei*] non leves ab ſe prioris faſtidii ac deliciarum pœnas exegit. „ Quis dubitet, in poſterùm tales *immortalitate* dignos eſſe? Dignos quos Deus inuſitatis donis afficiat; ſi non ob *merita ſingularia*, ſaltem in gratiam *Ignatii*, ad cujus *ingenium moresque* ſeſe totos compoſuerunt. *Xavierius certè ob heroicas has actiones à Papa inter Sanctos relatus eſt; maximique hodiè ab omnibus Diſcipulis Ignatii habetur, quem etiam rebus in arctis invocare ſolent.* Ità ſuprà citatus *Pater de Premaré Tom. II. Lettres édifiantes pag.* 63. poſtquàm ventis contrariis præpediti portum attingere non poterant ſocii, ad *Deum* & *Xavierium* confugerunt. *Mais voyant* [inquit] *que les ſecours humains nous manquoient, nous eûmes recours à Dieu & à l'Apôtre des Indes Saint François Xavier, pour obtenir la grace d'arriver cette*

année au terme de nos déſirs. Pag. 64. notulam Auctor infrà paginam adjicit, quæ digna eſt, ut hìc legatur : „ Saint François Xavier prêcha l'Evangile dans les Indes pendant dix ans ; & c'eſt en mémoire de ces dix années, qu'on fait quelques prières, ou quelque autre dévotion, dix Vendredis de ſuite en l'honneur de ce grand Saint. On a fixé cette dévotion au Vendredi, non ſeulement parceque Saint François Xavier mourut en l'Isle de Sancian un Vendredi 2. de Décembre 1552. mais encore parceque pendant la dernière année de ſa vie le Crucifix de la petite Chapelle du Château de Xavier ſua du ſang en abondance tous les Vendredis. Ce qui ne ceſſa qu'à ſa mort. „ Novi quidem, admiratores *Xaverii* jactitare multa ab ipſo inter *Indos* patrata *miracula*; at certè non memini, in *Epiſtolis* horum ab ipſo factam mentionem. Saltem ità loquitur, ut *parùm magnificè* ſentias de fructu laborum ſuorum. *Lib. V. Epiſt. Cap. II. ait : Confeſſiones ità fiunt, ut neque Indus intelligat Sacerdotem, neque intelligatur ipſe quid dicat. Lib. III. Epiſt. V.* ad Societatem *Goa* collectam, anno tertio peregrinationis ſcripta, inquit: „ Verſamur inter Indos, tanquàm mutæ ſtatuæ, multa enim illi & de nobis dicunt & agitant, ad quæ nos obmuteſcimus, patrii ipſorum ſermonis ignari. In præſentia in linguæ hujus percipiendæ elementis repueraſcimus. Ità Acoſta de procuranda Indorum Salute Lib. IV. Cap. III. Ab Evangelii, *inquit*, ingreſſu poſt annos 40. [*atque ſic poſt annos 19. à Xaverii morte*] in tam numeroſa turba vix quemquam repe-

reperias, qui ſymboli duo capita intelligat, pecudes potiùs, quàm homines habendi. *Idem, eodem loco:* Recitant illi bis terve in hebdomada Symbolum & preces Hiſpanico Idiomate, quorum ne ſyllabam quidem intelligunt. *Pergit:* Ubi exquiſitiùs res agitur, Sacerdos ſermone Indico compoſita quædam in forma Catechiſmi recitat, cùm tamen ipſe linguæ Indicæ prorſùs ſit infans. *Concludit tamen ità* Acoſta: Tota igitur catechiſandi ratio umbratilis & ludicræ ſimilis. „ Quicquid ſit, eventu comprobatum, quàm grata Deo eſſet diſcipulorum erga Magiſtrum Ignatium habita veneratio & obedientia. „ Non omittenda videtur [ità Maffeus pag. 103. Ribadeneira 167.] hoc loco res memorabilis, quæ Ignatio in illa Caſinati commoratione divinitùs accidit; dùm enim pro ſalute Baccalaurei Hozii, quem graviter ægrotare cognoverat, Domino ſupplicaret, repentè vidit in ſpiritu (quod ipſum ibidem D. Benedicto fertur olim in obitu Germani Epiſcopi contigiſſe) animam ſocii, luce clariſſimâ radiantem, deducentibus Angelis in ſublime ferri, atque ipſa demùm cœli beatiſſima regna conſcendere, eidemque Ignatio paulò pòſt, cùm ad aram ſacrificaturus accederet, in ipſo Miſſæ introitu Sanctis omnibus ritè appellandis, lucidiſſimum cœleſtium agmen ſubitò apparuit, ſic, ut in iis Hozium eximio fulgore micantem ſinè ulla dubitatione dignoſceret. Qua ex utraque viſione tanto eſt gaudio delibutus, ut multos dies præ dulcedine lachrymis temperare nequiverit. „ Vix intelligo, cur *ſecunda* viſio, quæ priori *illuſtrior* haud fuit, ſucceſſerit, niſi

contendas priorem per viſionem mentis contigiſſe, alteram *ſenſibus* objectam. At *Maffeus* utramque viſionem appellat. Crediderim tamen, poſteriorem *realem* fuiſſe, atque *ideò* factam, quòd *Ignatius*, ut erant *tempora* & *ingenium*, aliter de immortalitate mentis convinci haud potuerit. Conjecturæ meæ pondus accedit ex iis, quæ de apparitionibus talibus in Vita *Franciſci* & *Dominici*, quas evolvit *Ignatius*, notantur. Aliàs dicendum, *Deum miracula patrare fruſtrà; incredulos*, qui hæc omnia in dubium vocant, *non moramur;* quid enim tam certum & exploratum, quod illi convellere non tentent? Sanè ego nollem *ſanctiſſimis animabus* hærentes capiti multa cum laude coronas detrahere, aut *gaudium*, quo ſuperfuſus erat *Ignatius*, malè interpretari. Quis enim, cui talia contingant, adeò *ferreus* eſt, ut latentem lætitiam deprimere poſſit? Quòd ſi enim *Ignatio* tam beato eſſe licuit, ut radiis *circumfuſam* animam liquidum aëra *tranantem* viderit, quis dubitet, quin exclamaverit: *Ecce! Ecce! Volat* diſcipuli mei puriſſima mens, corpore exuta; quid tandem *mihi* continget, *qui totius ſanctiſſimæ Societatis Auctor ſum?* Non *radiis* tantùm, ſed *Sole* integro circumfuſus, & comitantibus non *Angelis* tantùm, ſed *Archangelis*, imò *Dominico*, *Benedicto* & *Franciſco* μετα πολλης φαντασιας ſuperas evadam ad ſedes, regnum in diſcipulos meos, innocentiſſimas oves, *multis criminationibus* & *perſecutionibus vexandas*, obtenturus. Neque vanum fuiſſe hoc gaudium, mirabile oſtentum, quod mox inſecutum erat, probavit.

„ Idem

„ Idem enim Hozius, cum acriùs denuò in proximorum ſalutem incubuiſſet, è magnis diurnis nocturniſque laboribus lethali morbo correptus, ex hac vita migraverat, cùm aliis miræ cujusdam ſanctimoniæ relictis indiciis, tùm verò, quòd, qui ante obitum ſubniger fuiſſet, ac vultu deformior, in ejusdem demortui facie tantus repentè nitor ac venuſtas apparuit, ut eo ſpectaculo *Codurius* conſors provinciæ animum exſaturare, & præ lætitia fletum cohibere non poſſet. „ Mirum, ipſum Hozium ſimul non collachrumâſſe.

Fanatici, ut alios emendent, non adhibent ea media, quæ recta ratio & revelatio per Chriſtum tradita ſubminiſtrant; inſolitis opus eſt & ridiculis; ità enim excitatur in aliis *admiratio & ſtupor* quidam. „ Pariſiis (ità Maffeus pag. 169. Ribadeneira pag. 423.) amicum à turpi cujusdam fœminæ conſuetudine fruſtrà ſæpe revocare conatus, cujus ille flagitii cauſâ vicum ſubindè petebat, non longè ab urbe poſitum; denique egreſſus hominis & itinera diſſimulanter explorans, deterrendi ejus conſilium tale commentus eſt. Stagnum erat propter viam, quâ transeundum erat illi de more; eo prævertens Ignatius, tempeſtate perfrigidâ ſeſe nudus aquis collo tenùs immerſit, ibique ſalutares amico tetendit inſidias, nam ut propinquantem aſpexit, Deum precatus, ut ea res utrique feliciter eveniret, horribili repentè in adverſùm intonuit voce: Quò quò miſerrime properas? Non intelligis in quanto verſere periculo? Nonne intentum in-

in te divinæ juſtitiæ gladium vides? Perge porrò, perge nefariam illam explere libidinem. Ego me hic tamdiu tuâ cauſâ macerabo, quoad cœleſtes iras meo malo avertam abs te. *Pag. 170. pro ſalute alumni totum triduum omni cibo potuque abſtinuit.* Pag. 171. „ Cùm ad quemdam adiiſſet, gravi & contagioſo ulcere laborantem, & miniſtrandi causâ decumbentem ſubinde attrectâſſet, in diſceſſu metûs Ignatium ſubiit, ne ex eo contacta dextra peſtilentiam contraxiſſet, quæ ſuſpicio cùm ſolicitaret hominem vehementiùs, eumque ab ejusmodi caritatis officio in poſterùm avocaret, ille cognitâ fraude confeſtim in ſemetipſum exarſit, dextramque in os identidem inferens increpuit ultrò; qui de unâ manu tam anxius, quid univerſo corpori facies? Atque hâc fortitudine, & præſentem depulit metum, & ad eadem porrò exſequenda pietatis opera ſeſe vegetum atque hilarem præſtitit. Pariſiis (pag. 173.) per jocum invitatus à Nobili quodam, vellet-ne trudiculis ludere? (quibus in oblonga menſa per anguſtum fornicem eburnea pila trajicitur,) ego verò ludam, inquit Ignatius. At enim quâ ſponſione, ſubjicit ille, qui pecuniâ careas. Tùm Ignatius: Hac ſponſione, reſpondit, ut certo utique dierum numero tibi deſerviam: verùm tamen arbitratu tuo, ſi viceris tu; meo, ſi ſuperior ipſe diſceſſero. Cùm ea conditio placuiſſet: age ſanè in certamen deſcenditur; cùmque nihil minùs calleret Ignatius, divinitùs factum eſt, (*nimirùm miraculum hoc ad pietatem & excellentiam Viri demonſtrandam à Deo factum*) ut in ſingu-

los

los omninò trajectus victor evaderet; ſubinde exclamante adverſario, ſe merito plecti, qui Ignatium provocâſſet; ſeque divinum judicium (*adeò pius erat ille homo*) prorſus agnoſcere. Peracto deinde certamine, victum victor ab inanibus curis & occupationibus in aliquos dies abductum, è ſponſione, ſpiritualibus exercitationibus diligenter excoluit; torpentemque ſitu ac deliciis animum ipſius ad ſalutarem Dei metum æternæque vitæ cogitationem excitavit. „ Simile quid, quod ſuprà ſilentio tranſii, contigit militi cuidam. Rem narrat *Ehingerus pag.* 817. *in vita Franciſci: Quidam miles ſancti Franciſci operibus & miraculis detrahens, cùm quâdam vice luderet ad taxillos, veſaniâ & incredulitate plenus circumſtantibus ait: Si Franciſcus eſt ſanctus, decem & octo veniant in taxillis; mox in eis ſenarius triplicatus apparuit, & uſque ad novem vices quolibet ſuo jactu ter ſenos accipit. Breviter*, at ſatis *acutè* de miraculo, quod in gratiam *Lojolæ* divinitùs accidiſſe teſtatur *Maffeus*, judicat *doctiſſimus Barbeyrac, Traité du Jeu, Lib. I. Cap. II. pag.* 25. dicens: *C'eſt ſans contredit proſtituer, ſi j'oſe ainſi dire, les miracles.* Quod ſuprà mecum monuit *Maffeus*, id hîc repetendum; nimirùm excellentium Virorum, qualis *Ignatius* fuit, actiones, nec ad *rationis*, nec ad *perſpicuæ revelationis* normam exigendas. Hoc enim ſi faceremus, *Ignatius ſtultus & inſanus haberetur.* Ad *quam* igitur *decempedam* metiemur *Ignatii* præclara facinora? Rem ego ità capio: Homines illi perpetuis *viſionibus*, iiſque *inuſitatis*, gaudent; viſiones illæ

eò

eò ipſò, dùm *inuſitatæ*, ab *illis ſolis* ritè dignoſci poſſunt, qui *eodem ſydere* afflati ſunt; ità poteſt ſinè dubio *haruſpex* de *haruſpice*, *Dominicus* de *Ignatio* rectè judicare, cæterorum hominum facultas cogitandi, quæ *ratio* dicitur; & *norma*, ſeu rectæ rationis *principia*, vel voluntas Dei, ſive *naturalis*, ſive *revelata*, ſecundùm quæ de ſuis actionibus judicare ſolent, planè *diverſæ* ſunt; hinc cum nos eos mente *captos* & *inſanos* dicimus, actionesque eorum *ineptas* & *ridiculas* rectè quidem judicamus, ſi ad *menſuram communem* judicia noſtra exigimus; ad ſecundùm *ingenium eorum*, qui perpetuis viſionibus gaudent, *actiones illas* nec *inſanas* & *ſtultas*, nec *rectas* atque *ſobrias*, ſed *nec ſtultas nec rectas*, ſed *ultrà* omnem *ſapientiam* & *ſtultitiam* poſitas dicere poſſumus. Verbo, ut *Philoſophorum* in re obſcura ſermone utar, potiùs quid *non ſint*, quàm *quales ſint*, explicari poteſt. Interim concedimus facilè, *Ignatium* ſingulari fuiſſe erga omnes affectu, atque ardentiſſimo deſiderio, alios ad *mores ſuos* adducendi, id eſt, emendandi, tactum fuiſſe, adeò quidem, ut *minùs laudabiles* actiones fecerit, vel *eum in finem*, ut *lucrifaceret* miſeros homines. Diſcipuli *magni Viri*, at ſinè *damno ſuo*, ulteriùs progreſſi ſunt. Ut enim homines etiam *eminentiſſimæ dignitatis in cælum transferrent*, *fraude*, *malitiâ*, imò *ferro*, *igne*, & ſi quid aliud *intenſiſſimus* in proximum *affectus* excogitare poteſt, uſi ſunt, vel ut alii uterentur, quod perinde eſt, omnibus viribus conniſi. Certè, quod non ſinè ſale *Julius Gallio*, *Seneca frater*, apud *Caſſium* de *Clau-*

dio

ſio dixit, *eum unco in cœlum raptum*, id auxilio *Jeſuitarum* innumeris contigit. (*) Hæc, quæ jamjam adduximus, in cauſſa ſunt, ut facilè credamus, quæ *de obedientia cæca Pontifici & Superiori habenda*, monuit *Ignatius*. Recta ratio cœcam obedientiam, præſertim in rebus ad ſalutem ſpectantibus, prorſus non admittit; at *Spiritus* illorum, *qui perpetuas habent viſiones*, ſunt ſubjecti *Spiritibus* eorum, *qui infallibiles ſunt in terris*. „ Ità [*Maffeus pag.* 180.] obedientiæ ſtudium, quibuscunque rebus potuit, ſemper oſtendit. Romano quidem Pontifici, cujus in verba præcipuo ſacramento juraverat, ità erat præſtò, ut ad ipſius nutum ſeſe paratum exhibuerit; confectâ jam ætate, unius baculi adminiculo, pedibus, quocunque opus eſſet, peregrè proficiſci, vel etiam navigium aſcendere planè exarmatum, ſeque eodem Pontifice jubente mari ventisque ſinè ulla dubitatione committere. Quem ipſius animum Vir quidam primarius oùm haud ſatis probaret, & in ejusmodi re conſilium prudentiamque requireret, prudentiam quidem non obedientis, verùm imperantis eſſe reſpondet Ignatius. Et ſanè cùm in Societate noſtra virtutem hanc cæteris omnibus anteferret; tùm nihil huic laudi tam contrarium dicebat eſſe, quàm in Superiorum juſſis

(*) Evolve librum, cui titulus: Von den Jeſuiten wider König und fürſtliche Perſonen abſcheuliche, hochgefährliche Practiquen, Anſchlägen und Thaten; gedrukt zu Hanau 1611. bey Thomas Willier. Recenſetur libellus in Bibliotheca Halenſi, pag. 504. Tom. V.

juſſis & conſilio examinando moram vel potiùs arrogantiam, negabatque obedientis nomine dignum haberi oportere, qui legitimo Superiori non cum voluntate judicium quoquè ſubmitteret. Id enim demùm Deo eſſe gratiſſimum holocauſtum, cùm omnes animi vires, ac præſertim intelligentia & mens, quæ ſummum in homine obtinent locum, in obſequium Chriſti [*Vicarius enim Chriſti & Chriſtus non multùm differunt*] coguntur. Qui verò inviti ac diſſentientes actu exteriore duntaxat, juſſa Præpoſitorum exſequerentur, hos inter viliſſima mancipia vel pecudes potiùs [*inſanivit ergo* Seneca, *qui eos, qui antecedentium turbam ſequuntur, pecudes imitari dixit*] numerandos ajebat, neque adeò vel ambitioni vel temeritati adſcribendum, quòd Ignatius, poſtquàm ſanctiſſimè in animum induxiſſet ſe abdicandi Præpoſiti Generalis dignitate, diſcipulórum auctoritati & precibus ceſſerit. *Maffeus* pag. 150. narrat, Ignatium per Chriſti Domini ſanguinem petiiſſe atque obteſtatum, ut ſinè ullo ſuî reſpectu communi utilitati proſpiciant, & quamprimùm ſibi ſufficiant virum & animo & corpore firmiorem; id, quò liberiùs faciatis, inquit, ego in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, unius Dei ac Creatoris mei, depono Generalatum ſimpliciter NB. & abſolutè, meque abdico hoc munere privoque, & omnibus animæ meæ viribus obſecro tùm Profeſſos omnes, tùm ſi quos Profeſſi adhibere hanc deliberationem volent, ut huic meo tam juſto deſiderio faveant, piamque oblationem libenter admittant. Cùm autem com-

muni

muni ſuffragio fratrum conſenſum probatumque fuiſſet, ut Societati denuò præeſſet, ſanctiſſimum votum irritum fuit, tanta erat obedientiæ in hoc homine cuſtodia. „ Ex hiſce, quæ *de indole*, *ingenio & rebus geſtis Lojolæ* adduximus, ſatis patet, quid *de decretis ipſius*, *& miraculis* ſentiendum ſit. *Ribadeneira* pag. 409. omnia Societatis inſtituta *ſingulari Dei Providentiæ* tribuit *& ſanctiſſimæ voluntati.* Nollem ego hoc in dubium vocare; quemadmodùm enim Seculo ſeptimo Deus *Muhamedem* excitavit, *ut Chriſtiani molles*, *effœminati*, *rixoſi*, *diſputaces punirentur;* ſic *Factionem illam celeberrimam* circà tempora *Emendationis Sacrorum* divinitùs natam crediderim, *ad probandas & igne perſecutionis purgandas fidelium mentes.* De *Religione nobiliſſimæ Societatis* multa dici poſſent, ſi ex *diſcipulorum decretis* de *Lojolæ* mente judicare vellem; at hoc nec ad *inſtitutum meum* pertinet, neque æquitati *conſentaneum* eſt. Hoc certum: tantum abfuiſſe, *ut Ignatius errores in doctrina & cultu*, qui Eccleſiam Romanam deformàrunt, *emendaverit; ut potiùs omnia*, *quæ ad eosdem confirmandos*, *defendendos*, *atque ubique terrarum diſſeminandos facere potuerunt*, *contulerit.* *Illuſtris Anglus Biblioth. Univerſ. Tom. II. pag.* 131. *Ignatium Hæreticum fuiſſe*, vel ſecundùm *ipſa decreta Jeſuitarum* non contemnendis rationibus probare voluit. At ad *Controverſias* delabi, quæ ad inſtitutum *non pertinent*, jam quidem nolumus.

CAPUT X.

Miracula Pythagoræ, Apollonii, Franciſci, Dominici, Lojolæ, non ſunt à Deo, quia doctrina eorum omnibus Dei virtutibus contraria.

HActenùs ex ipſis *Pythagoræ*, *Apollonii* & *cæterorum*, qui miraculis *illuſtres* fuiſſe dicuntur, vitarum *Scriptoribus* oſtendimus, quibus *moribus* & *ingenio* inſtructi fuerint, quasve *præceptiones de Deo cultuque divino* habuerint; reliquum jam eſt, ut diſpiciamus, utrùm ex iis firma peti poſſint argumenta, ad *miracula* illa decantata *confirmanda* aut damnanda. Omnia autem, quæ de hoc argumento dici poſſunt, ad *tria* revocanda ſunt Capita; aut enim dicendum, miracula illa vel *Deo* vel *Angelis bonis* tribuenda, aut 2dò ſtatuendus eſt eorum auctor *infernalis Genius Diabolus*, aut 3tiò denique dicendum, quæcunque de *miraculis illis* tradiderunt βιογραφοι, prorſùs eſſe *ficta* & *falſa*. *Rei* ipſius *natura*, argumentique *gravitas* poſtulat, ut de ſingulis paulò prolixiùs agamus. Probabimus autem hoc & duobus ſequentibus Capitibus, miracula illa nec *Deo* nec *bonis Angelis* adſcribi poſſe. Argumentum primum, quod in hoc Capite urgebimus, hoc eſt: *Quicquid omnibus Dei virtutibus contrarium eſt, id à Deo originem habere non poteſt. At miracula Pythagoræ, &c. &c. talia ſunt. Ergò.* Antequàm autem hoc fiat, quædam præmittenda ſunt, quæ funda-

fundamenti loco in quæſtione hâc enodandâ ponenda ſunt. Primum eſt: *Sola ratio ea facultas eſt, quæ nexum alicujus propoſitionis perpendere & dijudicare poteſt.* Propoſitio hæc à nemine, qui verba, quibus exprimitur, intelligit, in dubium revocari poteſt. Ipſi *Sceptici*, qui omnia in dubium revocant, nonniſi eâ facultate, quam rationem vocamus, utuntur, ad cæterorum opiniones (utì putant) refellendas. II. *Sola ratio ea facultas eſt, quæ divinas & humanas res examini ſubjicit.* Quantæcunque ſint in Scholis lites *de uſu rationis in Theologia*, omnes tamen in eo conveniunt, ad propoſitionem aliquam, ſive *ratiocinatione ſolâ* elicitam, & natura notam, ſive *revelatione* prolatam, examinandam, *opus eſſe ratione*, ſeu eâ facultate, quà utimur, ad nexum duarum, aut plurium idearum perpendendum. Omnium Sectarum Patroni, quandò probare volunt, à ſe disſentientes errare, provocant ad quasdam rationes, quæ impediant, quò minùs cum iis ſentire queant, id eſt, utuntur eâ facultate, quæ verum à falſo discernere ſolet. Ipſe *Huetius*, qui *Scepticiſmum* erudito libello defendere voluit, quandò *Apollonii Tyanenſis* miracula & præcepta examini ſubjicit, eâdem incedit viâ, quâ illi, qui *Dogmatici* vocantur. III. *Quæ contradictoria ſunt, credi non poſſunt.* Cùm enim *credere* nihil aliud ſit, quàm *propoſitioni adſentiri*, ſeu affirmare, inter duas pluresve ideas eſſe nexum; contradictio autem duas ponat ideas, quæ ſe invicem deſtruunt, patet neminem contradictoria credere poſſe. Sic nemo credere poteſt, *dari circulum quadratum.*

In hoc omnis lis poſita eſt: utrùm hæc vel illa propoſitio contradictoria ſit, nec ne, quæ tamen facilè dirimi poſſet, ſi partium ſtudia abeſſent. IV. *Solius rationis ope cognoſci poteſt, non ſolùm Deum exiſtere, ſed & eumdem optimum, ſanctiſſimum, liberrimum, omniſcium, juſtiſſimum, &c.* Hanc propoſitionem nemo niſi *Atheus* in dubium vocat, neque neceſſe eſt, ut pluribus eam probemus, quandoquidem ii, quibuscum nobis res eſt, de Exiſtentia Dei perſuaſi ſunt. Novi quidem, attributa divina à nobis *adæquatè* cognoſci non poſſe; at ſufficit, quòd *tantum* de iis cognoſcamus, quantum *neceſſe* eſt ad Deum ab omnibus aliis rebus *diſtinguendum* atque *colendum.* V. *Quæcunque ergò decreta, ſive aſſerta, virtutes illas divinas, quarum mentionem fecimus, ſubvertunt, illa admitti non poſſunt, ſed falſa ſunt.* Quòd ſi enim verum eſt, Deum præſtantiſſimis illis virtutibus ornatum eſſe, eò ipſò falſæ ſunt omnes illæ propoſitiones, quæ negant Deum aut iis virtutibus præditum, aut planè contrariis. Cùm autem hæc ipſa theſis majorem ratiocinii noſtri partem abſolvat, ut in ſcholis loqui ſolemus, paulò prolixiùs eam illuſtrabo. Dico igitur, *doctrinam, quæ per evidentem conſequentiam probaret, Deum non eſſe optimum, ſanctiſſimum, juſtiſſimum, ſolum omnipotentem, omniſcium, manifeſtiſſimè falſam eſſe*; ideæ enim, quas de Deo virtutibusque divinis habemus, *omnis cultùs religioniſque fundamentum ſunt*; poſtquàm igitur perſpicuis atque ſolidis argumentis perſuaſi ſumus, *Deum optimum, liberrimum, ſanctiſſimum exiſtere*,

exiſtere, *utì omnium rerum*, *ſic hominis cumprimis curam gerere*, *velle ut homines rectè de ſe ſentiant*, *ſe ament*, *colant eâ ratione*, *quæ tanto Numine digna eſt*, obligati ſumus, *pravas omnes opiniones*, *quæ ſanctiſſimis ipſius virtutibus detrahunt*, *cultumque iisdem contrarium abjiciendi & damnandi*; aut enim prorſus *nulla Religio vera eſt*, atque omnis noſtra de Deo cultuque ejus cognitio mera eſt mentis illuſæ perſuaſio; aut ea demùm Religio *vera eſt*, *cultusque eâ dignus*, *quæ immutabiles notiones de Numine excellentiſſimo pro fundamento habet*, *quæ nihil præſcribit*, *niſi quod Deo dignum*, *quodque ſecundùm rectæ ratiocinationis leges ex natura Dei & revelatione elici poteſt*. Quòd ſi igitur aliquis me *ad ſuperſtitioſas ineptasque opiniones* de Numine credendum inducere vellet, is *evidenter* demonſtrare deberet, ex *notionibus*, quas de Numine excellentiſſimo habemus, per *evidentiſſimam conſequentiam* probari poſſe, eas notiones, quas ego *ineptas* atque *Numine indignas* exiſtumo, ex *natura Dei proprietatibusque* elici poſſe; at hoc facere non poterit, niſi *abſurdiſſimè* ſtatuat, *eamdem rem ſimul eſſe & non eſſe*, *idem ſubjectum contrariantes & oppoſitas habere proprietates*, id eſt, *Deum ſolum omniſcium*, *& non ſolum*; *ſanctum*, *& non ſanctum &c. eſſe poſſe.* Verbi gratiâ: Si quis dicat, Deum *non liberum* eſſe, ſed *cæco impetu agere*, ejus opinionem *admittere* non poſſum, quia omnis Numinis *reverentia* hâc adſertione tollitur. Item ſi quis dicat, Deum iisdem *imperfectionibus* obnoxium, quibus *nos homunciones* laboramus, quod non ſemel *Poëtæ*

Græci & *Romani* perhibent, neceſſariò falli eum oportet; cùm poſitâ *deteſtabili hâc opinione* omnes igniculi pietatis ſuffocentur. His olim rationibus perſuaſi *diſciplinæ ſanctiſſimæ alumni* graſſanti, atque univerſum ferè orbem *devaſtanti ſuperſtitioni fortiſſima* oppoſuerunt *pectora*. Imò *ampliùs dico* atque *defendo*, *hominem Religionis Chriſtianæ ignarum*, *verum de Dei Exiſtentia*, *Providentia* & *mentis Immortalitate perſuaſum*, quique præthereà novit, *ſolo cultu rationali Deum eſſe proſequendum*, *amandum*, *adorandum*, *inque eo omnem fiduciam reponendam*; hunc hominem, inquam, *obligatum* non eſſe puto, *Religionem Pontificiorum*, *non qualis ab erudito quodam Præſule deſcribitur*, *ſed ut publicæ Confesſiones Cultusque publicus teſtantur*, *amplectendi*; ità enim credendum eſſet, *monſtroſum Transſubſtantiationis dogma*, quod *omni rationi* & *ſenſibus* contrarium; ità *ſenſibus nulla* eſſet *in rebus in oculos incurrentibus* habenda *fides*; innumeri *Sancti* & *Sanctæ* invocandi, *reliquiæ* religioſo cultu *proſequendæ* &c. &c. Verbo, *Creaturis* exhibendus eſt *cultus*, ſoli Deo omniſcio & omnipotenti in *ſolidum competens*; cultus *abſonus* & *ridiculus*, qui *certis ritibus* & *corporis exercitationibus* abſolvitur. At mens, *ratione rectè utens*, adduci nullâ ratione poteſt, *ut credat*, ejusmodi *doctrinam* veram eſſe atque divinam. *Poſtulat* enim, ut credam aliquid, quod ne quidem credi poteſt, & cujus ne quidem animo poſſum *ſiſtere ideam*; *poſtulat*, *ut adorem illos colamque*, *qui*, *quid cogitem agamque*, *neſciunt*. Cultum *præſcribit*, qui mentem *non perficit*,

ficit, emendat, atque *à pravis* abducit *ſtudiis & opinionibus*. Supponamus igitur, *Miſſionarium* quemdam Eccleſiæ Romanæ decretis *addictum*, in ſuam ſententiam pertrahere velle hominem à Sacris Chriſtianorum *alienum*, idque non iis argumentis, quibus *ſanctiſſima Religio* ſolidiſſimè *probari* poteſt, ſed iis argumentis, quæ κατ' ἐξοχὴν Eccleſia Romana defendit; verbi gratiâ; *neceſſe eſſe, ut credamus Eccleſiæ ſinè examine: hominem Italum pro infallibili judice in rebus ad æternam ſalutem ſpectantibus habendum, licèt utrùm Deo grata præcipiat, ignoremus*; ut nihil jam dicam *de cultu exhibendo Mariæ, Sanctis*, *&c. &c.* Ejusmodi homo à ſuperſtitione *alienus*, at de capitibus primariis Religionis Naturalis perſuaſus, *ſinè læſione conſcientiæ* album calculum adjicere non poteſt rationibus *Miſſionarii*, licèt *decretis ſuis inſpergat* dogmata quædam *Religionis Chriſtianæ*. Quomodò enim *verum à falſo* discerneret ejusmodi homo? Annon ſuſpecta debet eſſe illi *Religio*, quæ *apertiſſimam contradictionem* pro *veritate* omnium *graviſſima credituque maximè neceſſaria* obtrudit? An amplecti poteſt *Religionem*, quæ *Idololatriam* non ſolùm permittit, ſed *inculcat* etiam atque *defendit?* Annon, inquiet, *præſtat* certiſſima Religionis capita, quæ me *recta* docuit *ratio*, tueri, quàm cum *incertis* & fortè non *contemnendis* amplecti decreta *à ſenſu communi abhorrentia?* Facilè credo, prudentem *Miſſionarium* aliâ viâ ingreſſurum, atque multa ſilentio preſſurum, ſi perſpexerit ſibi rem eſſe cum homine artis ratiocinandi haud imperito; at ità parùm candidè

Q 4 agit.

agit. Proponenda *Theologia*, qualis eſt *Hiſpanorum* & *Italorum*. Scio, nullos eſſe inter Gentiles, qui evidentiſſimis rationis principiis, ſpretâ omni *Idololatriâ* & ineptis opinionibus, addicti ſint; hoc tamen non impedit, quò minùs caſum ejusmodi ſupponere poſſimus. Quòd ſi talis Idololatra eſſet, utì ſunt Gentiles omnes, radicitùs ſinè dubio primo evellendus eſſet ille morbus, eò ipſò, quia rectæ rationis decretis adverſatur; hoc autem, utrùm faciant illi inter *Pontificios*, qui ſe miſeris mortalibus *lucem præferre* ajunt, nemo Eruditorum ignorat. Hactenùs oſtendimus, admitti non poſſe *ulla decreta*, rectæ rationis principiis *contraria*, ſi *nulla* adſint *miracula*. Ponamus autem per abſurdum, *ineptam abſurdamque doctrinam miraculis confirmari, nec ſic tamen* poſſet ea pro vera *admitti*; neque enim *certius eſt*, miraculum *Deum* agnoſcere auctorem, quàm *certum eſt*, Deum *optimum* & *ſanctiſſimum* eſſe. Quinimò cùm *miraculum* fiat, *ad Idololatriam & ineptas opiniones ſtabiliendas*, *tutò* concludi poteſt, *id à Deo non eſſe*; neque adeò miraculo huic quicquam tribuere poteſt homo, de religionis naturalis certitudine perſuaſus. *Contrarias propoſitiones* admittere non poteſt, quas tamen oporteret, ſi crederet, *miraculo ad Idololatriam probandam edito quicquam roboris ineſſe*. Si enim verum eſt, *creaturas eſſe adorandas*, *colendas*, falſa eſt propoſitio: *Deus ſolus eſt colendus*. *Verbo:* Aut ille, in cujus gratiam editur *miraculum*, credit, *Deum ſolum*, vel *Angelos bonos* facere miracula poſſe, aut *malignas aliquas ſubſtantias*. Si *prius*

eſt,

eſt, admittere nunquàm poterit *miraculum*, quod Dei *virtutibus apertum* indicit *bellum*; unde neceſſariò ad *ſecundum* delabetur. Similis eſt ratio propoſitionis contradictoriæ: *pone* miracula facta, (qualia innumera jactantur) *ad confirmandam Transſubſtantiationem.* Non jam dicam, credi non poſſe ſecundùm *Decreta Pontificiorum*, aſſerentium *ſenſibus fidem* circa hoc negotium *habendam non eſſe*, quod tamen quàm maximè poſtulatur, ſi quis de edito portento judicare velit; hoc unum ſufficit *ad miraculum rejiciendum*, quòd propoſitio hæc: *Unum idemque corpus, eodem tempore, in multis locis eſt ſimul*, apertiſſimam involvat repugnantiam. Quòd ſi multa *millia* miraculorum fierent *ad probandum, dari circulum quadratum*, ne tantillùm quidem hoc moveret hominem *rationis capacem*; novi quidem, *artis cogitandi eruditos Auctores* omnem lapidem movere, ut *præceptis* quibusdam & *axiomatibus*, uti loquuntur, *difficultatibus*, quæ in hoc negotio occurrere ſolent, *ſatisfaciant*; at fruſtrà ſunt; parùm *peritos* artis cogitandi fallunt; non item eos, qui *accuratiùs* rem contemplantur. Eadem ferè eſt ratio, ſi quis credat, *à bono Angelo* portentum poſſe edi. Qui angelos dari bonos credunt, ſciunt, *illos nihil aliud intendere & agere, quàm quod Deo & voluntati ejus convenientiſſimum eſt.* Ergò credere non poſſunt, Angelum, *Dei amore & æſtimatione* ardentem facturum miraculum, *quod confirmaret rem Deo longè indigniſſimam maximèque contrariam.* Si quis *diceret*, ſe virum *pietate & eruditione* eminentem *amare* & *venerari*, ſimul

tamen *omnibus in circulis* dictitaret, virum illum ſub ſpecie *probitatis impudentiſſima quæque ſcelera perpetrare;* is aut pro *inſano* haberetur, aut *mendace*. Quo autem *majore* luce cognitionis inſtructi ſunt *Angeli*, quo *majore* Dei amore tacti ſunt, *eò minùs* credibile eſt, eos quicquam *facturos* unquàm, quod ſanctiſſimis Dei virtutibus detrahere poſſet. Unde concludimus, *portentum, à quocunque editum, ad ineptam Deoque contrariam doctrinam ſtabiliendam, Deum auctorem habere non poſſe.* Atque ità *facilè* erit judicare, utrùm miracula, quæ in gratiam *Pythagoræ, Dominici &c.* edita dicuntur, *Deum* auctorem habeant, nec ne. Legenda, quæ ſuprà fideliter ex *βιογράφοις de vita, ingenio & præceptis* excerpſi; certè ea adeò ſunt *inepta, ridicula, nugacia, blaſphema*, ut qui neget, *ea Deo eſſe indigniſſima, abſurdiſſimaque*, aut mente *captus* ſit, aut *omnem* Numinis *reverentiam* prorſùs ex animo *eraſerit.* Viri cordati inter *Pontificios* hoc non diffitentur. Notum eſt judicium *Melchioris Cani* de *Legendis Sanctorum, Dominici cumprimis & Franciſci.* Eorum Lib. XI. Locor. Theolog. Cap. VI. meminit, creditque vitarum illarum Scriptores, ſeu potiùs, utì *Ariſtophanis* voce utar, ψευδῶν συγκολλητὰς cuncta confinxiſſe. Idem *ſentiunt* duo *Abbates eruditi Lenglet du Frenoy, Introduct. ad Hiſt. Cap. XVII.* & cl. *Fleury Diſſertat. I.* in *Hiſt. Eccleſ.* cujus verba in latinum converſa exhibet Vir cl. *Georgius Wallinus* in libello *de Sancta Genovefa* pag. 29. Ut alios multos taleamus. De *Pythagoræ* & *Apollonii* doctrina, quam ſuprà propoſuimus,

poſuimus, non eſt, ut multis agamus. Non dicam, ſub judice litem eſſe, utrùm *Pythagoras* atque *Apollonius Thyanenſis* ſententiæ, quam *Spinoza* ſuperiore Seculo defendit, addicti fuerint nec ne; de quo jam quidem non agimus, lectoremque ablegamus ad *clariſſimi & eruditiſſimi J. Brukeri* elaboratiſſimum Hiſtor. Philoſ. Opuſc. Part. II. & III. (*) *Hoc unum* dicimus, *miracula*, quæ *Pythagoræ* tribuuntur, Deum *auctorem* habere non poſſe, *quia facta non ſunt ad Idololatriam & Polytheiſmum*, peſtilentiſſimum morbum, *ſubvertendum*, *ſed confirmandum & ſtabiliendum*; hinc *toties* de Deorum *apparitionibus*, *modisque eos conciliandi* ſermo; hinc *feſtorum*, *rituum ineptiſſimorum* commendatio; hinc *perpetuum ſilentium* de λογικῃ λατρειᾳ. Si quæ hinc inde *inſperſa ſunt* prudentiæ *præcepta*, ea certè tanti non ſunt, ut *miraculis* probentur, quæ inſuper *tot nugis & ineptis præceptionibus tecta atque obruta ſunt*, ut vix ac ne vix homines *laudabile ab inutili* diſtinguere potuerint. *Illuſtris de Verulamio Serm. fidel.* Cap. XVI. ait, *ſe non credere*, *Deum miraculum editurum ad Atheum convincendum.* Atque *probabilis* quàm maximè hæc eſt ſententia, quia *miracula* majorem vim in animum *Athei* habere non poſſunt, quàm perſpicua argumenta, quibus perſuaſio de Numinis exiſtentia innititur. Idem dicere poſſumus de integris gentibus, quæ *non*

(*) De miraculis, quæ inter Gentiles facta fuiſſe dicunt, legendus cl. Stakhauſe Tom. III. Defenſionis Hiſtoriæ Biblicæ.

non attendunt ad ea argumenta, quæ *oculis* objiciuntur *noſtris*, atque ſinè difficili argumentatione ab omnibus, qui *aliquam attentionem* adhibent, *intelligi* poſſunt. *Indignæ* ſunt nempè, quibus *plura* concedantur. Hinc nunquàm vel *Pythagoras* vel *Apollonius* ad *miracula* tanquàm certiſſimum *exiſtentiæ* & *providentiæ* divinæ argumentum provocaverunt. Cætera omnia ad religionem ſpectantia, quæ *Pythagoras* & *Apollonius* docuerunt, aut *levia* ſunt, aut *ut plurimùm inepta*, *ſuperſtitioſa*, Deoque *indigna*; atque adeò à Deo *miracula*, ſi quædam ab iis patrata fuiſſent, eorum originem habêre non poſſunt. *Tantum abeſt*, *ut molliùs ſentiam aut judicem de doctrina*, *præceptis & actionibus Franciſci*, *Dominici*, *Lojolæ*; ut potiùs excuſari poſſe credam *Pythagoræ & Apollonii vitarum Scriptores*, ſi cum *Ribadeneira* (quem ingenioſus Gallus *Petrum de Badineria* appellavit) cæteriſque *mendaciorum* & pluſquàm anilium fabularum auctoribus conferantur. Legat *Benevolus Lector*, quæ ſuprà adduximus *de Franciſci vulneribus*, *ſermonibus*, *quos cum beſtiis habuit*; *eorumque ad ſacra facta attentione*; *de viſionibus ineptiſſimis & abſurdiſſimis*; *de origine Roſarii*, *cantionis dicta Salve Regina*; *de cultu Mariæ & Sanctorum*; *de eorum potentia*, *meritis*, *operationibus poſt mortem*; *de Transſubſtantiatione*; *moribus planè ſtultiſſimis*, *ingenioque prorſus fanatico & corrupto &c. &c.* Et ſatis ſuperque poterit judicare, *utrùm Deus auctor ſit illius doctrinæ & præceptorum*, *cumprimis ſi vitam Chriſti & Apoſtolorum*, *eorum doctrinam*, *præcepta*, *vitam*,

tam, *cultumque cum turpiſſimorum hiſtrionum ingenio comparare voluerit. Quòd ſi hiſtriones illi vel pretioſiſſimo pignore inter ſe certâſſent, quis alterum ſuperare poſſet nugaciſſimarum & ſtolidiſſimarum fabellarum narratione, vix aliter rem inſtituere potuiſſent.* (*) Adeò *inepta*, *abſurda*, *ridicula* ubique reperias. Unde aut ad ſuperſtitionem *creduli* ſunt, *menteque capti*, *qui credunt*, Deum ipſum *miracula* editurum, *ad dogmata adeò inepta ſibique contraria propaganda & defendenda*; aut *Athei*, qui in ſinu *omnem Religionem* albis rident dentibus. Conſideremus age *quasdam Dei virtutes*, atque ſupponamus, Deum *miracula* feciſſe; *ad doctrinam præceptaque Pythagoræ*, *Franciſci &c. comprobanda*. Sumamus *Dei Sanctitatem*; per hanc *nonniſi* ſuâ naturâ virtutibusque *digna* commendare & mortalibus inculcare poteſt. Quicquid verò mentem ad Dei communionem adducere poteſt, *id Deus non poteſt non inculcare & amare. Sic ſui amorem*, *fiduciam*, *adorationem ità ſibi ſoli vindicat*, *ut alteri communicare non poſſit*; neque adeò creatura ulla ratione obſtringi poteſt, ut extrà Deum felicitatem ſuam atque veram ſanctitatis normam quærat. Quòd ſi ſtatuamus, Deum miracula feciſſe *ad doctrinam Pythagoræ*, *Domi-*

(*) Unde rectè pronuntiavit Baylius, titulo Franciſcus: Perſonne n'a plus fait de tort à François d'Aſſiſe, que ſes propres Enfans; ſi en publiant ſon hiſtoire ils avoient paſſé l'éponge ſur les choſes, qu'il valoit mieux enſevelir dans le ſilence, ils n'auroient pas donné lieu aux Proteſtans de le tourner en ridicule.

Dominici &c. comprobandam, ſtatuendum, *(abſit blaſphemia) eumdem Deum ſibi contrarium*, id eſt, *non ſanctum eſſe.* Injungunt enim: *Præcepta Apollonii*, *Franciſci &c.*, *ut Deos*, *Deasque*, *Dæmones*, aut quod perinde eſt reſpectu veri cultûs, *B. Virginem*, *innumeros Sanctos colamus*, *ut neceſſitatibus variis preſſi*, *reliquias quorumdam*, in cœlum *fortaſſè* translatorum, *ante omnia adeamus*, *& per eas auxilium à Deo expectemus.* *Cultus*, quem poſcit Religio *Pythagoræ*, *Franciſci &c.* adeò *ineptus*, adeò *ab omni ratione* alienus, ut ne *mica* quidem *bonæ mentis*, nedùm *eximiæ alicujus ſanctitatis* exemplar ex eo appareat. *Nihil* habet Religio *Pythagoræ*, *Apollonii*, ineptiarum, quin multò magis in *triumvirorum illorum*, *Franciſci &c.* reperiantur præceptionibus. *Tædet* ineptias repetere, & *camarinam hanc movere. Satis exemplorum* ſuprà adduxi. Quòd ſi ergò *miracula*, quæ illis tribuuntur, *à Deo ipſo originem habent*, neceſſariò *concludendum*, *Deum*, qui omnis Sanctitatis fons habetur, *ſanctiſſima*, *naturæque divinæ convenientiſſima*, *ſimul verò ineptiſſima*, *naturæque ſuæ quàm maximè contraria injungere*, id eſt, (abſit blaſphemia) *ſanctum non eſſe*, *neque adeò Deum.* Sumamus *Dei Bonitatem*, *quâ ſublatâ* tollitur *omnis* Numinis *Reverentia.* Per *hanc virtutem ſolam* factum credimus, ut in terram nos poſuerit, *non malè*, *ſed benè faciendi*; hinc non ſolùm nobis, *antequàm* nati eſſemus, *abundè proſpexit*, ſed & leges tulit *naturæ humanæ* adeò *conſentaneas*, *utilesve*, *ut ſatis incredibilem ipſius amorem* erga genus humanum *prædicare*

prædicare non poſſimus. Quòd ſi verò Deus in gratiam *Gentilium* & *fanaticorum hominum* miracula patravit, quibus *cultus ineptiſſimus* & *decreta abſona inculcantur*, tollitur attributum Dei omnium excellentiſſimum, nimirùm Bonitas; *præſcripſiſſet leges naturæ humanæ utiles, rationi convenientiſſimas, atque omnes homines per rectæ rationis decreta obligâſſet ad eas cuſtodiendas & ſervandas: Idem tamen Deus per extraordinaria portenta leges illas ſubvertiſſet, atque voluiſſet*, ut contrarium planè ejus, quod ratio dictat & revelatio confirmat, crederent; *miracula* edidiſſet, imò miraculorum *infinitam copiam*, ut homines crederent: *eum Deo omnium maximè placere*, qui *mentis corporiſque cultu neglecto, abjectis* optimarum litterarum *diſciplinis*, quaquaverſùm *nullâ neceſſitate indigente*, per omnem terram *curreret*, *fabulis* omnia repleret, *paupertatem* non ferret *oblatam*, ſed *invitaret*, atque ab hominum cæterorum ſocietate *remotus* ſingulis diebus extraordinarium auxilium exſpectaret, vitamque *perpetuâ quâdam* corporis *maceratione* profunderet; licèt huic inſtituto *omnis ratio* repugnet & prudentia. Si Deus *ſeriò* hæc poſtulat, quæ poteſt eſſe inter tam *disſidentia* & *contraria* Dei præcepta mentis *tranquillitas* & *ſerenitas?* Quis non *crederet*, Deum *ideò* nos *creâſſe*, ut voluptatem *caperet ex dubitatione noſtrâ & continuis morſibus?* Quis *amaret* eum, *quem* novimus omnibus *conniti*, ut *excruciemur* legum à ſe præſcriptarum *perpetuâ pugnâ?* *Amor verus eſt*, ut rectè definivit *magnus Leibnizius*, *vi cujus voluptatem percipimus, ex ejus, quem*

quem amamus, *felicitate.* Nùm autem ille *felicitatem noſtram* quærere *dicendus eſſet*, *qui in cauſſâ eſſet*, ut in quo felicitas vera ponenda eſſet ignoraremus, atque hanc ipſam ob cauſſam *perenniter excruciaremur?* Si *cultus*, quem præſcripſit *Pythagoras*, *Franciſcus &c.* Deo placet, quod *ſtatuere* debemus, ſi *miracula* ad eum confirmandum fecit, tum non ſolùm *miſeris* mortalibus, qui longè aliter *ſentiunt*, & aliter ſentire per rationes *non minùs validas*, quàm *portenta* ſunt, aliter *credere non poſſunt*, illudit; ſed & neceſſariò concludendum, omnes, qui cum viris illis non idem *ſentiunt*, *agunt*, *aut potiùs ineptiunt*, *Deo non placere.* *Optimi ergò excellentiſſimique viri*, *qui rectæ rationi & revelationi vacivas aures præbuerunt*, per omnem vitam tamen *certò* perſuaſi eſſe non poſſunt, ſe ità agendo *Numinis voluntati*, quantum in hac rerum caligine fieri poteſt, *convenienter* egiſſe. Atque hujus rei cauſſa *non eſſent ipſi*, ſed Deus, qui adeò *contraria præcepta* mortalibus injunxiſſet. Fateor, me intelligere non poſſe, quâ ratione *Bonitas Dei*, poſitâ miraculorum illorum *veritate*, ſtare ullâ ratione poſſit. Si miracula *Apollonii*, *Lojolæ &c. à Deo* ſunt, tollitur *Dei Sapientia.* Sapiens non ſolùm *optimum finem* ſibi proponit; ſed & circumſpectis omnibus rationibus *ea eligit media*, quæ ad finem optimum præſtantiſſimumque conſequendum *facere poſſe exiſtumat*: *Inſipiens* verò aut id intendit, quod vel factu eſt *prorſùs impoſſibile*, aut *difficillimum* ſaltem; vel *mediis* tandem utitur ad finem obtinendum *ineptiſſimis.* Quòd ſi igitur

Deus

Deus miracula fecit ad fidem *conciliandam* hominibus iſtis, voluit ſinè dubio, *ut miracula illa & decreta ſint* (ut cum Paulo loquar) πασης ἀποδοχης ἀξια: *digna*, quæ ab omnibus, *quibus ſana mens eſt*, & *ſalus curæ cordique*, *pro divinis habeantur*; at *idem* effeciſſet, ut *decreta* illorum hominum non ſolùm eſſent *omni rationi contraria*, *ineptaque*; ſed & ità finxiſſet *homines illos*, quibus ceu *inſtrumentis* uſus, ad doctrinam illam docendam & propagandam, *ut ab inſanis & mente captis vix diſtingui poſſent*; *dediſſet* nobis inſuper *facultatem*, quam *rationem* vocamus, quæ ità comparata, ut nonniſi ea, quæ *Deo digna* ſunt, pro *norma* voluntatis ſuæ habeat; at *idem voluiſſet*, ut *eamdem* propter edita à ſe portenta *ejuraret*. Quis unquàm in ſapientis *animum*, nedùm Dei, tam *ſtolidum conſilium cadere poſſe* ſibi perſuadebit? Tandem nec *Juſtitia divina* ſtare poteſt, ſi credamus, *miracula* viris illis adſcripta Deum operatum; licèt enim juſtitiam divinam *per omnia* ad noſtræ rationis leges exigere non poſſimus; hoc tamen ſatis ſcimus ab hominibus non exigere, ut ea credant & faciant, *quæ rationi & voluntati ſuæ ſunt è diametro oppoſita*. Quòd ſi tamen *admittamus*, *miracula illa* eſſe divinæ auctoritatis, rei ipſius *natura* poſtulat, *ut doctrinæ*, per miracula confirmatæ, *pleno animi adſenſu adſtipulemur*; *poſtulat*, ut credamus, nos *ſinè diſpendio ſalutis* nihil negligere poſſe, quod ad *tuendam* illam doctrinam cultumque *proferendum* facere poſſe exiſtumabimus; *jubet*, ut vitam noſtram *univerſam* ad decreta *illius diſciplinæ* componamus; at ità (abſit

blaſphemia) *injuſtiſſima* Deus ab hominibus, *rectæ rationis capacibus*, poſtularet; non enim in *poteſtate* hominis *poſitum eſt*, *credere* quodcunque volumus; *credere* non poſſumus *contradictoria*, qualia multa in vitis hominum illorum proponuntur credenda; non poſſumus *per conſcientiam Deum ſolum* colere, ſimul autem *homines quosdam*, quos ineptiſſimi Monachi *cælo dignos* judicarunt; non poſſumus *à Deo ſolo auxilium expectare in vita & morte*, ſimul tamen *ineptiſſimis cæremoniis & nugis* incredibilem, ad *mentis* & *corporis* morbos tollendos, *vim adſcribere*; non poſſumus *credere*, *quò quis magis ſtolidus atque ineptus ſit*, *eò magis Deo ſapientiſſimo placere*; quæ tamen *omnia* Deus à nobis *poſtularet*, ſi miracula illa à Deo eſſent. Ex quibus concludimus, *neminem* miracula illa pro *divinis* admittere poſſe, *niſi ſimul omnes notiones Numinis ſubvertere*, *acque in Atheiſmum prolabi velit.* Atque in hoc Capite *Baylio* aſſentior *credenti*, *ſuperſtitionem vitium eſſe longè deteſtabilius ipſo Atheiſmo*; quàmvis enim in eo mihi *peccaſſe* videatur *Vir doctiſſimus*, quòd *ſinè ulla limitatione* aſſeruerit, Atheiſmum tolerabiliorem ſuperſtitione; rectè tamen mihi, ſi *de certo ſuperſtitionis genere* intelligas, *ſenſiſſe videtur*; certè hic locum habet *Plutarchi* ſententia, quam pluribus exornavit *Baylius*, *minùs peccare civem illum*, *qui dixerit*, *nullum planè in quodam Imperio Regem eſſe*, *aut omnem illum curam Reipublicæ abjeciſſe*, *quàm præeſſe quidem eum*, *at inſipientem*, *injuſtum*, *rapacem*, *violentum.* Certè ſi *Spinozæ* ſententiam confero cum opinione *hominis*, *qui aſſerit*, *Deum miracula*

miracula patrare ad res ineptiſſimas, *ridiculas*, *abſurdas*, *impias confirmandas*, *easque hominibus pro lege præſcribendas*, mitiùs *illum* quàm *hunc* errare contendo; cumprimis ſi *perpendo*, quam *vim* in animos hominum *Societatemque civilem* habeat utraque *opinio.* At de hoc jam non agimus.

CAPUT XI.

Miracula Pythagoræ, Apollonii, Franciſci &c. non ſunt à Deo, quia Religionis Chriſtianæ veritatem & divinitatem ſubvertunt.

INter *Seculi noſtri*, quo vivimus, *felicitatem* refero, quòd Religionis Chriſtianæ *veritas* atque *divinitas* à Viris excellentiſſimis, ſummoque ingenio præditis, non ſolùm ſolidiſſimis rationibus *ſit comprobata* atque *ſtabilita*; ſed & contra omnes incredulorum objectiones *fortiſſimè defenſa.* Noſtrum non eſt, eamdem veritatem, tam egregiè demonſtratam, repetitione prolixâ rationum, quibus eam probare ſolent Viri docti, tueri. De miraculis vehementer fuit non ſemel diſputatum; omnes tamen, qui credunt miracula dari, confitentur, *Deum nonniſi ad res ſanctiſſimas, diviniſſimasque comprobandas, miraculis uti.* Neque jam diſquiram, utrùm *verè* geſta ſint illa miracula, quæ primis ſeculis poſt Chriſti diſceſſum facta eſſe dicuntur. Fateor, Deum, poſtquàm ſemel Religionis Chriſtianæ divinitatem miraculis *confirmavit*, datâ occaſione decreta ſua miraculis confirmare *poſſe*; licèt cauſſam non videam, cur Deus, poſtquàm ſatis ſuperque hominibus hàc in parte proſpexit, identidem idem præſtare debeat. Quicquid autem de eo ſit, hoc certum mihi atque perſuaſum eſt: Deum miracula facere non ſolere *ad probanda mendacia*, ſed *ad ſanctiſſimam doctrinam* confirmandam. Supponamus igitur denuò, miracula, quibus illuſtres

ſtres fuiſſe dicuntur homines noſtri, à Deo fuiſſe facta; *doctrinamque*, *cultum*, atque *vitam Pythagoræ cæterorumque* cum doctrina, præceptis, vitaque *Chriſti & Apoſtolorum* conferamus; & apparebit (ni fallor) clariſſimè, à quo miracula illa & quem in finem edita ſint. *Dogmata*, quæ *Chriſtus & Apoſtoli* docuerunt, *vel* erant talia, *quæ ſolâ ratione cognoſcuntur*; qualia ſunt, *Deum eſſe optimum*, *ſapientiſſimum*, *liberrimum*, *ſanctiſſimum*, *totius generis humani rerumque omnium Conditorem & Conſervatorem*; *mentem* à Deo *creatam*, certisque legibus, ad ſalutem omnium & ſingulorum facientibus, obnoxiam, pœnæ adeoque & præmiorum capacem, immortalem denique & æternùm perennaturam; *vel* erant *decreta*, *quæ ſolâ revelatione Dei innoteſcunt*; nimirùm de peccati origine, corruptione generis humani, de Meſſia, ejus perſona, officiis, operibus, adminiſtratione totius operis gratiæ &c. Quod *priora* attinet, non ſolùm perſpicuè ubique traduntur & inculcantur, ſed & longè *evidentiùs* ea proponuntur, ità ut ex *Philoſophorum & Theologorum* ſententia mirificè rationis *decreta* confirment. Quòd ſi jam opiniones de Deo, quas foverunt *Apollonius*, *Franciſcus*, cæterique, quorum opiniones, vitamque perluſtravimus, contemplamur; non ſolùm nihil invenimus, quod graviſſimis illis *capitibus aliquam* poſſet adferre *lucem*; ſed ea prorſùs *obfuſcari* atque refelli, quod in antecedente capite (ni fallor) perſpicuè oſtenſum fuit. Hæc ipſa tamen *Theologiæ naturalis* capita, *fundamenti* loco, in *omni revelatione* ſunt ponenda. Quòd ſi igitur cætera non accederent,

quæ fidem omnem detrahunt decretis horum hominum, *hoc unum* ſufficeret. At nolumus in hoc uno ſubſiſtere; pergamus ad naturam ſanctiſſimæ Religionis, prout *à Chriſto & Apoſtolis* tradita eſt, contemplandam. Ea docet, omnes homines poſt transgreſſionem primi *in miſerrimum ſtatum prolapſos*, ex quo emergendi, ſine divino auxilio, nulla ratio; Deum autem pro *imperſcrutabili ſua ſapientia & miſericordia* hominum miſertum eſſe; eumque in finem Chriſtum Θεανθρωπον in terras ablegâſſe, qui *cruenta morte* efficeret, ut miſeri mortales ſpem *veniæ & immortalitatis* adquirerent; in hoc *æterno λυτρῳ* veram noſtræ cum Deo *reconciliationis cauſſam* quærendam; Deum Tri-unum *ſolum* invocandum & *purâ mente* colendum; omnes cæteras *creaturas*, neque *omnipotentes*, neque *omniſcias*, cultu Numini ſoli debito non eſſe proſequendas; *in vita & morte præſidium unicum in Dei miſericordia, ſanguine Chriſti adquiſita, quærendum; per id* enim, non actionum noſtrarum *dignitatem*, nos ſpem habere poſſe *futuræ felicitatis*; eum in finem in vera animi *puritate*, quæ mentis *emendatione* & pravarum cupiditatum *exciſione* comparatur, omnem noſtram vitam *tranſigendam*, atque identidem nobis *in animum revocanda* ſanctiſſimæ Religionis officia, unde etiam *Symbolis* quibusdam externis in oculos incurrentibus, *resque ſanctiſſimas* referentibus, noſtræ voluit infirmitati occurrere. Hæc aliaque decreta, quæ omnibus ſanctiſſimæ diſciplinæ alumnis notiſſima ſunt, tradit divina revelatio per Chriſtum & Apoſtolos nobis conceſſa. Religio autem *Franciſci &c.*

non

non ſolùm aut *nullibi* de ſanctiſſimis illis veritatibus loquitur, aut *aliud agendo* & *leviter*; ſed prorſùs eſt *decretis Chriſti* contraria. Deus *non ſolus* colendus, quod tamen evidentiſſimè & *ratio* & *revelatio* oſtendit, ſed & *Maria*, ſed *Apoſtoli*, *innumeri Sancti*, *divæ*, *noti*, *ignoti*. (*) Imò hi

(*) Sanctos imaginarios & inſanos in Eccleſia Romana coli, dudùm à Viris doctis probatum eſt. Adducam multorum loco, quæ unus ex Bibl. Britannicæ auctoribus in medium protulit. Hic verò Tomo I. Parte I. pag. 118 ità loquitur: Les Herós, que l'antiquité a deifiés après leur mort, s'étoient diſtingués par l'invention des arts & des ſciences, ou par des biens, qu'ils avoient fait au public; mais parmi les Saints de Rome on trouve 1. des extravagans, qui méritoient plutôt d'être renfermés dans de petites maiſons, que d'avoir des ſtatues dans les temples, s'il en faut croire leurs propres legendes; 2. des Payens, comme S. Agyris & S. Evodie: mais, Papebroch, l'an 1660. decouvrit par ſon Epitaphe, qu'elle avoit été Payenne; & Mabillon rapporte, que le culte de la dernière étoit fondé ſur cette inſcription gravée ſur une pierre antique: D. M. JULIA. EVODIA. FILIA. FECIT. MATRI. & ſur ce que dans ſon tombeau on trouva une urne lacrymale pleine d'une liqueur rougeatre, qu'on prit pour du ſang, & d'où l'on conclut qu'elle avoit ſouffert le martyre: mais une urne lacrymale, les mots: Diis Manibus, ſont des marques de Paganiſme; & après tout, ce devoit être le tombeau de la mere, & non d'Evodie elle même; 3. d'Imaginaires, comme S. Oreſte, S. Viar, Ste. Veronique & S. Amphibolus; l'hiſtoire de ces Saints eſt trop curieuſe pour la paſſer ſous ſilence. Horace Carm. I. Od. 9. fait mention d'une montagne près de Rome appellée Soracte, qui ſelon Virgile étoit ſous la

hi ipſi, *Franciſcus &c.* quorum in memoriam *feſta* ſingulis annis *inſtituta ſunt*, *invocandi*, quorum *meritis*

---

la protection du Dieu Apollon. On a change ce nom en S. Oracte & enfin en S. Oreſte; & on a fait un Saint, à l'honneur duquel on a bati un Couvent ſur cette montagne, qui eſt aujourd'hui ſous la protection de ce Saint, au lieu de celle d'Apollon. S. Viar n'a pas encore pu avoir l'honneur d'être canonizé; car quoique les Eſpagnols ſous le Pontificat d'Urbain VIII. ſe ſoient donné beaucoup de mouvement pour le placer au nombre des Saints, produiſant pour cet effet une piere avec cette inſcription: S. Viar. Les Antiquaires reconnurent malheureuſement pour ce nouveau Demi-Dieu, que cette pierre n'étoit qu'un fragment d'une ancienne Inſcription, en memoire de quelqu'un qui avoit été Præfectus viarum, c'eſt-à-dire, Intendant des grands Chemins. Sainte Veronique a été long temps en poſſeſſion des plus grands honneurs. On pretend, que JEſus Chriſt a laiſſé deux empreintes de ſon viſage ſur deux mouchoirs. dont la première fut envoïée par lui en preſent à Abgare, Roi d'Edeſſe; la ſeconde donnée à une femme appellée Veronique, qui lors qu'il fut mêné au Calvaire lui avoit prêté ſon mouchoir pour s'eſſuyer. Le prémier de ces mouchoirs eſt gardé réligieuſement à Rome dans l'Egliſe de S. Sylveſtre; & le ſecond dans celle de S. Pierre, où l'on voit ſur un Autel bati par Urbain VIII. une ſtatue de Veronique avec cette inſcription: Salvatoris imaginem, Veronicæ Sudario exceptam, ut loci Majeſtas decenter; marmoreum ſignum & altare conditorium, extruxit & ornavit. Mais après une poſſeſſion de pluſieurs Siècles on s'eſt aviſé de degrader cette Sainte du prémier ordre, & de faire voir, que les Anciens appelloient l'empreinte du Viſage du Sauveur, vera Icon, & que quelques Ignorans ont fabriqué de là le nom de

meritis Deus *propitius* futurus ſit *omnibus peccatoribus.* Si ulla unquàm *propoſitio* perſpicuè in Sacris tradita eſt, *Chriſtus unus intercedit pro nobis apud Patrem, vi meriti ſui.* At ſi *illos* audias, prorſùs *falſa* eſt *hæc propoſitio.* Aperta ſatis adſunt, præter dicta, teſtimonia, quibus hoc probetur. *Chriſto* æquiparant *Mariam.* Citat *Ehingerus* pag. 471. librum, cui titulus: *Magnum ſpeculum exemplorum, editum à Johanne Majore, Soc. JESU. Duaci.* 1641. Folio 484. ibi hæc leguntur: „Frater Leo habuit hanc viſionem; videbat namque in ſomnis, & ecce judicium parabatur, & angeli canebant tubâ, & gens congregabatur in prato quodam magno, & ecce duæ ſcalæ poſitæ erant, una ex una parte, alia ex alia parte, una erat rubea & alia alba, & ambæ attingebant à terra uſque ad cœlum. Apparuit autem Chriſtus in ſummitate rubeæ ſcalæ, quaſi iratus & offenſus, & B. Franciſcus prope ipſum inferiùs, & deſcendens aliquantulùm clamabat ad fratres ſuos fortiſſimè, dicens: Venite, fratres, venite, aſcendite ad Dominum, qui vocat vos, confidite, ne vos timeatis, venite. Fratres autem multi conveniebant ad judicium, confiſi de clamore

R 5

de Veronique. Quant à Amphibolus Evêque de l'Isle de Man, diſciple & compagnon de Martyre de St. Alban, il auroit été à ſouhaiter, que le ſavant Uſſerius lui eut fait grace; car en faiſant connoitre, que pendant pluſieurs Siècles on avoit veneré comme un Saint & un Martyr un eſpèce de manteau, que les Eccléſiaſtiques portoit en ce Siècle là, il ſemble tourner trop en ridicule une Réligion ſi devote.

more Patris currebant, & incipiebant aſcendere ſcalam rubeam volenter; cùm aſcenderent, alius cadebat de tertio gradu, alius de quarto, alius de decimo, alii de medietate ſcalæ, & alii quaſi de ſummitate ſcalæ. B, verò Franciſcus ridens, motus compaſſione ad tantam ruinam, rogabat Chriſtum judicem pro filiis ſuis. Chriſtus verò oſtendebat manus ſuas & latus B. Franciſco, in quibus videbantur renovatæ plagæ ejus, de quibus etiam ſtillabat ſanguis recentiſſimè, & dicebat: Ecce iſta fecerunt mihi fratres tui. Dùm Franciſcus perſeveraret, poſtulans miſericordiam pro fratribus, poſt brevem morulam iterùm aliquantulùm deſcendebat & clamabat: Non deſperetis, ſed confidite, currite & aſcendite, ibi ſuſcipiemini, per eam intrabitis. Currentibus autem fratribus ad ſcalam albam ex admonitione paterna, & ecce Beata Virgo Maria apparuit in ſummitate ſcalæ & recipiebat eos, & ingrediebantur regnum ſinè labore." Chriſto etiam *æquantur* noſtri homines, *Dominicus & Franciſcus*, eorumque *meritis* fit, uti Deus *nobis propitius* ſit. Sic *Alcoranus Franciſcanorum* pag. 6. *Franciſcus ad litteram S. Evangelium obſervavit, non transgreſſus apicem unicum vel Jota.* Si blaſphemis hisce verbis fides habenda, Chriſto certè ſimilis eſſet. Pag. 13. "Franciſcum Filius Dei ſibi per omnia aſſimilavit. Pag. 14. Eccleſia militans vexilliferum ſummi Imperatoris JESU Chriſti meruit Franciſcum inſeruiſſe cœlis, & advocatum apud Dominum poſſidere. Ibid. Franciſcus fuit exemplar omnis perfectionis. Pag. 15. à protectione Fran-

Franciſci adjuti, à Diabolo non ſinuntur opprimi. Animæ à Purgatorio in ſuo natalitio liberantur. Franciſcus eſt in gloria Dei Patris, Philip. III. Franciſcus gloria Sanctorum; ad quam nos perducat B. Franciſci meritis JESUS Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit. „ Ut alia loca *ſimilia*, ſuprà jam ex parte allata, *ſilentio involvam.* Similia tribuuntur *diſcipulis*, imò *omnibus Sanctis.* Nuper cum amicis trajecto lacu Tigurino *Ruperti villam* contendimus; aditurus autem Cœnobium *fratrum Capucinorum*, & *Bibliothecam* eorum perluſtraturus, vidi valvis templi, quod adjacet Cœnobio, affixam ſchedulam; inſpexi quid eſſet & legi; erant autem ſequentia verba: Vollkommener Ablaſs an dem Feſt des heiligen *Bonaventuræ.* Juvat ex *Calendariis Sanctorum* exemplo indulgentiarum, quæ feſtis diebus Sanctorum promulgantur, hoc oſtendere. Adduxit diligenter, per omnes menſes eundo, indulgentiarum illarum rationem ſæpiùs nobis citatus *Ebingerus.* Primum ſpecimen ſit è *Compendio Privilegiorum Fratrum minorum, Venetiis* 1532. *edito.* In fine *Octobris* hæc leguntur: *In Feſto Beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, & per ejus Octavam indulgentia plenaria in ejus Eccleſia trans Tiberim, & ad Sanctum Paulum,* 158. *mille ac* 968. *anni &* 285. *dies.* In Ingolſtadienſi Calendario menſis Septembris hæc extant: Am Tage *S. Franciſci* Malzeichen, den 17. dieſes Monats, iſt aller Ablaſs vergönnet, wie am Tage der 5. Märtyrer im Jenner, und noch dazu von *Gregorio dem IX.* 30. Jahr; *Summa* 476. Jahr,

100.

100. Tage und 24. *Quadragene.* Im *Octobri* am Feſt *S. Franciſci*, Stifter des Ordens der Barfüſſer, ſo auf den vierten dieſs fallt, erlanget man Ablaſs, wie am Neuen Jahrs-Tag im Jenner; dazu noch *Alexander der IV.* vergönnt 40. Jahr, *Johannes der XXII.* 10. Jahr 50. Tag, *Sixtus der IV.* 100. Jahr und ſo viel *Quadragenen.* Denjenigen, ſo an dieſem Tage Meſs leſen, 50. Jahr und ſo viel *Quadragenen.* Wiederum hat *Johannes der XXII.* auf jeden Tag im achten Ablaſs verliehen 100. Jahr und 50. Tag. *Sixtus der V.* vergönnt vollkommenen Ablaſs. In dem Calender für die Brüderſchaft des heiligen Roſenkranzes *JESU Mariæ* ſtehet den 4. *Auguſti* in *Feſto Dominici* völliger Ablaſs. Ibidem vide 419. Nunquàm *jubentur* homines vitam ſuam ad *divinæ revelationis* normam componere, atque ex ea, tanquàm *divite theſauro*, ſibi de futuris proſpicere. *Viſiones* & *ineptæ decreta* actionum noſtrarum norma ſunt; in *vita*, *morte*, *adverſitatibus*, hujus vel illius Sancti, v. gr. *Franciſci*, *Dominici &c.* opem, non vero *Dei*, *implorantes* ſervati. Legantur exempla eorum, qui *Lojolæ*, *Franciſci &c. ope* ſervati ſunt; & patebit, *eam vim meritis illorum*, *imò veſtimentis & cujusvis corporis partibus tribui*, *quæ Sacræ Litteræ unicè divinis Chriſti paſſionibus tribuere ſolent.* Quid dicam de *Tranſſubſtantiatione*, dogmate omnium, quotquot unquàm ingenii humani *ſtultitia* excogitavit, *abſurdiſſimo &, maximè ridiculo?* Certè eam *miraculis & viſionibus*, ne quid *audaciæ & ſtultitiæ* deeſſet, *Triumviri illi* ſtabilire voluerunt. Verbo

Sanctos

Sanctos illos ità Βιογραφοι deſcribunt, ut digni eſſent, *qui Chriſto*, ſi vera eſſet fabula, *æquiparentur.* Prolixus eſt locus apud *Antoninum*, *Epiſcopum Florentinum*, Hiſtor. Part. III. Tit. 23. & 24., in quo *diſertis verbis Dominicus Chriſto*, ſi non *præfertur*, certè *æquiparatur.* Ne igitur *finxiſſe* quid, aut *mentitus eſſe* videar, cùm dixi, *Chriſtum* & *Dominicum* eodem loco haberi, verba ipſa, quàmvis *non ſinè ſacro horrore*, adponam; ità autem *Epiſcopus*: *Dominatus Chriſtus eſt Dominus abſolutè & auctoritativè; Dominicus poſſeſſivè.* „ Ipſe habuit multas viſiones divinas: Semel vidit Chriſtum, volentem mundum judicare & finire; ſed Virgo Maria rogavit, quòd exſpectaret, mitteret Prædicatores Dominicum & Franciſcum; & iterùm cùm vidit cœlum apertum & de omni genere Religionum Fratres in gloria, & ſuos Dominicanos non vidit, ſed à Filio Dei fuit dictum, quòd erant ſub chlamyde Virginis Mariæ, quos ibi vidit; & dicit quidam Magiſter Ordinis Minorum, qui compoſuit librum magnum de Die Dominico valdè magiſtralem, quòd in dicta viſione poſſet dici, quòd tunc viderit Dominicus Deum per eſſentiam, ſicut Paulus in raptu. Apparebit autem magna ſimilitudo ejus ad Chriſtum, ex diſcurſu vitæ & operum ejus. Itaque NB. quia Domino Chriſto ſimilis, aptiſſimè denominatus eſt Dominicus. Dominus ait: Ego ſum lux mundi; Eccleſia de Dominico canit: Vos eſtis lux mundi. Domino Prophetæ omnes teſtimonium perhibent Act. X.; de Dominico & Ordine ſuo Zacharias Cap. XI. dixit in perſona

ſona Dei: Aſſumpſi mihi duas virgas; unam appellavi Decorem, *aliam* Funiculum. Decor eſt Ordo Prædicatorum; Funiculus Ordo Minorum, quia funiculo manifeſto cinguntur. Antequàm Dominicus naſceretur in mundo, imagines duorum depictæ cernebantur Venetiis in Eccleſia S. Marci; quarum una erat admodùm Religioſi, in habitu Ordinis Prædicatorum cum Lilio in manu; altera ſimilitudinem habebat Apoſtoli Pauli, prout pingi conſuevit; ſuper quam ſcriptum erat: Agios Paulus; ſub figura verò ad pedes ſic: PER ISTUM ITUR AD CHRISTUM; ſub figuram alteram ſcriptum erat: Agios Dominicus; ſub ipſo verò: FACILIUS ITUR PER ISTUM. Nec mireris de ſcriptura ejusmodi, quia doctrina Pauli, ſicut & cæterorum Apoſtolorum, erat doctrina induens ad fidem; doctrina Dominici ad obſervationem conſiliorum, & ideò faciliùs per ipſum itur ad Chriſtum. 2. Dominus naſcitur ſuper terram nudam, ſed ne nimis lædatur à frigore, à matre Virgine in præſepio collocatur; Dominicus natus infantulus ſub nutricis cuſtodia poſitus, egreſſus è lectulo, quaſi jam carnis delitias abhorreret, ſuper nudam terram jacere ſæpe eſt repertus. 3. Domino nato ſydus coruſcans eminuit, quod Magos ad ipſum perduxit, per eum mundum univerſum illuminandum inſinuans; Dominicus oritur & ſuper baptizandum mater ſpiritualis ſtellam aſpexit in fronte, novum jubar præmonſtrans Seculi. 4. Dominus duodenis à parentibus in templum adductus in eo permanſit puer ſolus; Dominicus à propin-

quis

quis in puerilibus annis in Eccleſiam fertur, divino imbuendus officio in ea relictus. 5. Ab inde uſque ad juvenilem ætatem de Domino authenticè nihil reperimus, niſi quia proficiebat ætate, ut verus homo, ſapientiâ & gratiâ apud Deum & homines: ſed hoc apparenter; Dominicus autem non ſolùm corpore creſcebat, ſed & mente virtualiter. Dominus, cùm à Joanne baptizaretur in Jordane, deſcendit Spiritus Sanctus in columba ſuper eum, ad deſignandam plenitudinem gratiæ, deſertumque petiit; Dominicus fame invaleſcente in univerſis Hiſpaniæ partibus, cùm videret egentes plurimos, neminemque conſolatorem, in fervore ſpiritûs venditis libris & ſuppellectili pretium pauperibus diſperſit & dedit, & Spiritu Sancto quaſi noviter & apparenter repletus, ſtatim regulam ſub Didaco Epiſcopo apprehendit, at alterum baptiſmum & ſpirituale deſertum à delitiis & mundalibus ſequeſtratum. 7. Dominus pòſt diſcipulos congregat paucos, & in brevi multiplicat, mittens eos binos ad prædicandum Regnum Dei; Dominicus ex modicis ad vitam religioſam ſecum aſſumtis ad multitudinem provehitur copioſam, quos ad evangeliſandum deſtinavit & ſanandùm infirmos. 8. Dominus elegit paupertatem in ſe & Apoſtolis: ſed habebat loculos à fidelibus oblata conſervans, eoſque Judas deferebat; Sed Dominicus verus erat paupertatis amator, fratres ſuos ad ipſam exhortans. 9. Dominus, quandò ducebat diſcipulos ità famelicos, ut per ſata tranſeuntes, ſpicas vellentes manibus confricarent ad edendum; & cùm jam

eſſet

eſſet meridies, fatigatos ex itinere miſit illos in Sichar, ad emendum cibos, & inde fortè præ fame non totis manibus manducabant aliquandò. De qualitate ciborum ſatis creditur, non comediſſe carnes, niſi agnum paſchalem, propter obſervantiam legis. Dominicus, Patriarcha, qui aliquandò totam quadrageſimam non quidem ſinè cibo, ſed pane & aquâ peregit, hanc aſperitatem ſuis moderavit, vinum & lacticinia concedens. 10. Fortè aliquis dicet, à ſimilitudine diſcrepare, quod Dominus diſcipulis ſuis dixerit: Neque calceamenta habebitis in pedibus; cùm tamen Dominicus cum ſuis calceati procedant in publicum. Sed ſciendum, quòd mandatum illud temporale extitit, ſuper quo diſpenſavit in ultima cœna; nam & Dominum calceatum videre poſſumus in eo, quòd ait Baptiſta: Cujus non ſum ſolvere dignus corrigiam calceamentorum ejus. Petro quoque in Actis dictum fuit ab Angelo: Accipe caligas tuas; niſi quis dicat caligatum fuiſſe, ſed non calceatum; quod non eſt conſuetum; & Marcus, optimus ejus imitator, calceamentum fractum cerdoni obtulit ad ſarciendum. Sic igitur Dominus & diſcipuli aliquandò calceati inceſſerunt; & ſic Dominicus in urbibus calceatus, extrà in itinere frequenter diſcalceatus abibat. 11. Dominum natum non alia perſona, quàm mater ſua Virgo Maria pannis involvit, & jam adulto tunicam ſuam inconſutilem & alias veſtes mater ipſa conſilio manuum ſuarum texuit; cujus autem coloris fuerit, non invenitur. Ne videlicèt eo noto falſi Prophetæ induti minùs agnoſcerentur

rentur eſſe lupi rapaces. Dominico & Ordini ſuo Beatiſſima Virgo Maria habitum geſtandum oſtendit, ac etiam colorem. Nam beato Reginaldo graviter infirmanti apparuit, & ſanavit, habitum oſtendens, quo Dominicus cum filiis ſuis eſſet induendus, cappâ videlicèt magnâ, & tunicâ cum ſcapulari, albis. 12. Dominus & Dominicus Virgo uterque mente & corpore & humilis valdè, ut Scripturæ conclamant; ſic Dominicus Virgo puriſſimus & humilis multùm. 13. Dominicus cum Chriſto proprium non poſſidebat lectulum, poſt lachrymarum fluvium vix humi dans corpuſculum. 14. Domini oratio ſemper fuit exaudita, cùm voluit; unde & Patri dixit: Ego ſciebam, quia ſemper me audis. Nam etſi in horto, cùm oravit calicem à ſe transferri, non fuerit exauditus; hoc ideò quia ſecundùm ſenſualitatem poſtulans, ſecundùm rationem exaudiri nolebat. Dominicus autem cuidam religioſo viro, ſibi familiari, in dominica locutione inſinuavit, nunquàm ſe à Deo aliquid poſtuláſſe, quod ad votum non obtinuerit. 15. Dominus Apoſtolos ſuî exemplo ad vitam mixtam, id eſt, contemplativam & activam prædicando dedicavit: matrem ejus Virginem & Magdalenam ad contemplativam. Maria enim ſtabat ſecundùm pedes Domini, & audiebat verbum ejus. Luc. X. Martham verò & alias mulieres ad activam. Sic Patriarcha Dominicus, ut alter Noë, arcam ſuæ Religionis ex lignis bitumine charitatis conglutinatis tricameratam fecit. Fratres unà ſecum ad contemplanda cœleſtia & prædicanda ſalutis proficua in una

collocans: moniales recluſas ad contemplationem aſſumens, in ſecunda: utriusque ſexûs homines ad activam applicans, qui dicerentur de pœnitentia fratres & ſorores, ſeu militia JESU Chriſti in terra manſione. 16. Diſcipuli Chriſti ſcilicèt LXXII. ſemel ſcandalizati ex doctrina Chriſti, quam non intelligebant, receſſerunt ab eo; quibus recedentibus Chriſtus remanentibus ſecum ait: Nunquid & vos vultis abire? At Petrus pro omnibus reſpondit: Domine, ad quem ibimus? Et B. Dominicus, cùm ſecum haberet aliquos diſcipulos, unâ die tentati receſſerunt ab eo; tantùm remanentibus tribus, quibus Dominicus ait? Nunquid & vos vultis cedere? Cui unus reſpondit: Abſit, Pater, ut relicto capite ſequamur pedes. Domum ſicut & diſcipuli Chriſti qui receſſerant, redierunt ad eum; ità & diſcipuli Dominici oratione ejus reverſi ſunt. 17. Dominus multas deriſiones, detractiones & perſecutiones uſque ad mortem fortiter toleravit, quærentium eum in verbo capere, aliquandò lapidare, aliquandò præcipitare. Dominicus contumelias, ſubſannationes & oblocutiones non curavit, ità ut quidam paleas à tergo ei pro deriſu alligarent, alii lutum & alia in eum vilia jacerent. 18. Dominus dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo; Dominicus verò charitatis perfectione non vacuus, noctem impendebat Deo, meditationi & orationi vacans; trinam diſciplinam quaſi quotidiè de manu propria non cordulâ, ſed catenâ ferreâ uſque ad ſanguinis effuſionem capiebat: pro ſuis culpis unam, quæ minimæ

minimæ erant: pro in purgatorio exiſtentibus aliam: tertiam pro iis, qui ſervantur in mundo. 19. Dominus cùm iter faceret verſùs Hieruſalem, videns civitatem flevit ſuper eam, multaque prædixit occulta cordium, & eventus futurorum, propter quod in laudem ejus dicebatur: Propheta magnus ſurrexit in nobis; Dominicus cùm civitatibus propinquaret, cernens mente, amare flebat propter peccata eorum, multaque ut verus Propheta occulta & futura revelavit: ſicut mortem Regis Arragonum in bello, converſionem Hæretici à diu futuram, quem propterea liberari juſſit ab incendio.„ Hactenùs *Antoninus*; ex quo quilibet poterit judicare, *quàm impiè ac ſceleratè, imò blaſphemè auſi fuerint Impudentiſſimi mortalium Monachum Dominicum, tanquàm Idolum in Eccleſia Dei adorandum proponere, eumque cum Chriſto, Deo & Servatore noſtro, comparare.* (*) Accipe *ſpecimen*

 de

(*) Notum in vulgus eſt, Franciſcum cum Chriſto comparatum fuiſſe. Ab. Ruchat. Hiſt de la Réformation de Suiſſe, Tomo V. pag. 308. hæc refert: On trouva dans le Couvent des Cordeliers de Rive un tableau. On y voit François d'Aſſiſe, leur Patriarche, repréſenté d'un gros ſep de vigne, d'où ſortoient pluſieurs beaux ſermens habillés en Cordeliers, avec cette Inſcription, tirée de l'Evangile Joh. XV. 1. Je ſuis le vrai ſep & vous êtes les ſermens. Confer Bibliotheque raiſonnée Tom. XXXII. ſeconde Partie. Emin. Cardinalis Quirinus Lib. I. Commentarii de rebus ad ſeipſum pertinentibus pag. 61. hæc refert: In urbe Remenſi luſtravi Abbatiam Canonicorum Regularium S Auguſtini, & aliquot alias ædes Regularium cœtibus addi-

de utroque, *Franciſco* & *Dominico*. Pag. 63. Vitæ Dominici, à *Dillingero* conſcriptæ, & apud *Surium*

addictas, at præ cæteris curioſiùs Eccleſiam illam Ordinis S. Franciſci, in cujus fronte extabat olim, ut benè noram, inſcriptio iſta: Deo homini & S. Franciſco, utrique crucifixo. Hanc tamen minimè inveni, ſed ejus loco alteram hanc appoſitam fuiſſe deprehendi: Crucifixo Deo homini, & S. Franciſco. Quomodò prima oblitterata fuerit ante annos quadraginta, magnorum Vicariorum authoritate, narrarunt mihi iidem Cœnobitæ, imò unus ex iſtis ſtatim ad cellam ſuam advolavit, indeque libellum attulit ab Jo. Bapt. Thiers de iis inſcriptionibus compoſitum, meiſque oculis eum ſubjecit, haud tamen diſſimulans, non innocuas duntaxat ſibi ſemper viſas fuiſſe binas illas inſcriptiones, ſed concinnas elegantesque. Quanto in pretio ſit apud Americanos Franciſcus, exponit inter alios Monſieur le Gentil, nouveau Voyage autour du monde, Tomo I. pag. 99. de urbe Lima loquens ait: Le plus beau & le plus grand Monaſtère eſt celui des Pères Cordeliers, qui occupe un terrain conſidérable. Il a ſept cloitres, & il n'en peut gueres moins avoir; attendu le nombre des Religieux, qui compoſent cette Communauté. J'en comptai 600. au chœur le jour de la fête de St. François. On m'aſſura que les ornemens de l'Egliſe montoient ce jour là á plus de dix millions de piaſtres. On ne pouvoit rien voir en effet de plus magnifique. Comme on accorde une indulgence pleniere á ceux qui contribuent à cette magnificence, & qu'on a une Dévotion à St. François, que l'on n'a point à quelqu'autre Saint que ce ſoit, chacun s'empreſſe d'y ſortir en prêtant ce qu'il a de plus précieux, ce qui, joint à la richeſſe entière du Couvent, monte à une ſomme conſidérable.

Idem

Surium pag. 60. narratur : Chriſtum Dominum voluiſſe fulmine percutere orbem, at interceſſiſſe

§ 3 Mariam

Idem pag. 106. Je fus invité à une Diſpute de Philoſophie morale ches les PP. Cordeliers. On me preſenta une theſe, dans laquelle je ne vis qu'une ſeule propoſition: S. François notre Saint Père, avant que d'avoir recu les cinq playes ou ſtigmates, ne pouvoit pêcher mortellement; & après les avoir recuës, il ne pouvoit pas même pêcher veniellement. Divus Franciſcus Pater noſter ante ſuſcepta vulnera non potuit peccare mortaliter, & poſt illorum ſuſceptionem, nec venialiter quidem.

Poſtquàm auctor ſe ad Monachum quemdam convertiſſet atque dixiſſet, theſin illam ſibi videri dubiam valdè, & quod Eccleſia vel de conceptione Mariæ nihil decreviſſet, iratus valdè Sacerdos. Après, inquit, [de Monacho loquens] m'avoit traité d'étourdi, d'héretique, & donné tous les noms odieux, que ſon zèle & ſa dévotion pour St. François lui inſpira; il ajouta, que pour le repos de ſa conſcience il ſe voyoit obligé à m'aller denoncer au Principal Inquiſiteur, qui étoit là préſent. Jugez de ma frayeur, le ſeul nom d'Inquiſiteur & d'Inquiſition me fit enviſager un abime de maux. Je me regardois comme une victime, qu'on ſacrifieroit volontiers à l'honneur de Saint François, & il me ſembloit deja entendre tout le peuple s'écrier unanimement: Crucifige, crucifige. Mon imprudence ne peut s'excuſer, & l'expérience devoit m'avoir inſtruit de l'abus, que ces gens là font de certaines marques extérieures de réligion, qui ne ſont pas le fondement abſolu de notre foi. Que l'on renie Dieu, que l'on blaſpheme, que les adultéres & les facriléges publics reſtent impunis, ce ne ſont que de vetilles dans ce pays; mais attaquer S. François le Thaumaturge

du

Mariam, quò minùs fieret; placatum ergo Chriſtum dixiſſe, ſe Dominicanos fratres miſſurum, ut ſalutarem doctrinam malè ſanis hominibus proponant. *Eleganti Carmine* rem fœdam expreſſit *Jacobus Bidermannus*, Societatis JESU, Epigramma pag. 15. ſic autem ſonat:

Numen ubi celſo deſpexit ab æthere terras,
Vidit ibi ſtudiis omnia plena tribus.
Inde ſuperciliis incedere grandibus omnes,
Inde manum vetitis omnem inhiare lucris,
Ignibus inde omnes ardere cupidinis, & mox
Iſta triplex plectet crimina fulmen ait:
Arreptoque manus, implevit fulmine, quale
Sparſerat in clades ante Gomorrha tuas.
Jamque ſtatas vindex in pœnas dextra ruebat,
Accidit ad Domini cum bona Virgo pedes.
Et quò ſpectat, ait, tanti Deus ira furoris?
Quemve tribus ferient tela triſulca minis?
Cerno quidem terræ funeſta piacula, cerno,
Et dudum votis execror illa meis.
Si tamen irritant iſti tua fulmina mores,
Quandò tuo intactus fulmine mundus erit?
Parce pia punire manu. Non cernis ut ægro
Hic Medicus orbi tendat & ille manus?
Hic Franciſcus erat, Franciſci erat ille Gemellus,
Alter ibi viſus Virgini & alter erat;
Fulmina nunc pejor timet altera mundus. An alter
Fulmina Franciſcus, qui remoretur, adeſt!

At

Perou, dire que malgré la Sainteté de ſes mœurs & le rang que ſes vertus lui ont donné dans le Ciel, il a pu pêcher comme le reſte des enfans d'Adam, lors qu'il étoit ſur la terre, c'eſt un crime digne du feu. Confer Uſſerium de Succeſſ. Eccl. 323. ſq.

At ſimilia pariter *de Ignatio & Societate ſua* prædicare ſolent *Jeſuitæ*. Probat hoc præter ſuprà dicta Jurieu aux préjugés légitimes, Tomo III. pag. 258. dicens: Quelques gens regardent avec horreur, ce que les Annaliſtes de l'Ordre des Cordeliers ont inventé pour faire de leur Saint François un JESUS, juſqu'à lui imprimer des ſtigmates & des cicatrices de crucifixion dans les pieds, dans les mains & dans le coté; afin que dans le corps auſſi bien que par l'ame & par les actions S. François fut la parfaite copie de JESUS Chriſt. Mais les Jéſuites n'en diſent pas moins de leur St. Ignace, & quand ils ſont appellez à rendre raiſon, pourquoi ils ont pris le nom de Societé de JESUS, ils diſent, que comme notre Seigneur JESUS en qualité de Sauveur de nos ames, n'a pas eu d'autre ſoin depuis le moment de ſa naiſſance juſqu'à ſa mort, que celui de notre ſalut; telle auſſi a été la vie de S. Ignace, qui étoit toute conſacrée au ſalut des ames. La vie de JESUS Chriſt fut manifeſtée dans les œuvres & dans les mains, & dans la conduite de S. Ignace, & ce Saint ſe transforma en celui dont la Societé porte le le nom. (Valderama Sermo de Canoniſatione Ignatii.) Et un autre Jéſuite dit, que Dieu dans ces derniers temps a parlé à nous par ſon fils Ignace, lequel il a établi héritier de toutes choſes, & à qui rien ne manque pour la ſouveraine gloire que le mot: *Par quel il a fait les Siècles*. Ce ſont les paroles du Jeſuite Deza, qui applique à ſon Saint Ignace, ce que Saint Paul diſoit de JESUS Chriſt dans le commencement de

l'Epitre aux Hebreux. *Jeſuita Valderama denuò:* Que la Société de JESUS a été fondée de le moment de ſon admirable conception, quand il joignoit en une ſeule perſonne l'humanité à ſa Divinité éternelle. C'eſt la première Société, que Dieu à érigée entre les hommes, & dont le premier Collège a été le ventre de la Vierge. *Item:* Ils diſent de leur Saint Ignace; ce n'eſt pas une choſe fort étonnante, que Moyſe a fait de grands miracles, puis qu'il avoit le nom de Dieu gravé ſur ſa verge. Il n'eſt pas auſſi fort étonnant que les Apôtres ayent fait de grands miracles, puis qu'ils les faiſoient par le nom de Dieu. Mais que Saint Ignace avec ſon nom, écrit dans un petit papier, ait fait plus de miracles que Moyſe & autant que les Apôtres, c'eſt ce qui nous le rend admirable. (*) Nihil jam

(*) Cum Biographia Ignatii Lojolæ, quam ſuprà dedimus, conferendus eſt Anonymus famigeratiſſimi libri, cujus titulus vel inſcriptio hæc eſt: Hiſtoire des Religieux de la Compagnie de JESUS, contenant ce qui s'eſt paſſé dans cet Ordre depuis ſon établiſſement juſqu'à préſent. Liber impreſſus dicitur Ultrajecti; de qua re jam quidem ego ſollicitus non ſum. Hoc patet, Auctorem libri fuiſſe hominem, qui incredibili diligentiâ & (quantum quidem in hac rerum caligine fieri poteſt) abſque partium ſtudio, vitam, mores, facta, ſcelera, fraudes Societatis &c. JESU accuratè repræſentarit, omniaque, quantum in tot diverſis hiſtoriarum & factorum monumentis reperiuntur ſcitu digna, expoſuerit. Delineavit Ignatii, Fundatoris hujus Societatis, vitam, adhibitis longè numero, quàm quidem mihi ad manus erant, pluribus

jam dicam de cæteris, quæ *Lojolæ*, *Franciſco* & *Dominico* cum Eccleſia Romana communia ſunt; quærimus enim duntaxat, quid trium illarum *Factionum Principes* ſenſerint, non autem quæ fuerit ante eos & poſt recepta Eccleſiæ doctrina. Quòd ſi igitur *vera eſſent miracula* his viris adſcripta, ſi *divinæ* eſſent *originis*, *falſiſſimam oporteret eſſe Religionem Chriſtianam; impoſtores eſſent Apoſtoli, qui de Chriſto, ejus meritis, morte, interceſſione, longè aliter locuti eſſent, quàm veritas permitteret; tribuerent ſoli Chriſto, quæ Dominico, Franciſco, Lojolæ etiam competunt;* quis autem in poſterùm *fidem* poterit habere *Legatis Chriſti* in *cæteris*, quæ narrant, ſi in iis, quæ *ſummam rei* complectuntur, *turpiter* nos *deceperunt? Credere* autem, *Deum miracula patrâſſe ad ſingulorum doctrinam confirmandam*, idem eſſet ac *adſerere*, *Deum contraria velle*, & *ſeriò quidem velle*, quod idem eſt ac *Deum prorſùs tollere.* Pergamus à dogmatibus ad *præcepta Chriſti & Apoſtolorum*, eorum vitam moresque; conferamus ea cum præceptis *Monachorum* illorum, vita & univerſa vivendi ratione. Præcepta Chriſti *rationi* ſunt *convenientiſſima*, toti generi humano omnibusque membris *utiliſſima*, *ſanctiſſima*, *æquiſſima*; petita partim *ex rectæ*

S 5 *rationis*

pluribus Scriptoribus, quique adeò cùm noſtris conferendus eſt. Legenda cumprimis ejus Prolegomena Hiſtoriæ præmiſſa, attentione certè digniſſima, ex quibus multa in uſum revocare potuiſſem, ſi animus fuiſſet, de Jeſuitarum fatis, dogmatibus, fraudibus &c. pluribus agere; at hoc ab inſtituto noſtro alienum planè fuit.

rationis legibus, partim *ex indole & natura Religionis à Chriſto & Apoſtolis inculcatæ.* Præcepta, quorum compendium eſt *Amor Dei & proximi.* Ad horum præceptorum obſervantiam *graviſſimis* inducit *Sacra Scriptura argumentis*; petitis *à Dei exemplo*, *bonitate*, *miſericordia*, *imperio*, quod habet in *Creaturas*, ipſarum rerum *excellentia*; *promittit* idem ſanctiſſimus Deus, *ſe favore ſuò auxilioque adfuturum iis, qui ad normam ſanctiſſimæ diſciplinæ animum vitamque componere volunt.* Verbo: *Præcepta* hæc Evangelii adeò ſunt *excellentia*, ut multi *Deiſtæ*, quibus *myſteria & dogmata* Religionis Chriſtianæ *ſordent*, *iſta laudent & admirentur.* Quòd ſi jam ad *noſtros* θαυματυργὺς nos convertamus, *meras invenimus ineptias*, *ſuperſtitiones*, *præceptaque & rectæ rationi & Chriſti decretis è diametro oppoſita.* Non opus eſt, ut prolixus ſim in excutiendis præceptis *Pythagoræ* & *Apollonii.* Sunt quædam, quæ in ſe ſpectata, *pulchra & bona* videntur; cum *univerſa* autem *doctrinæ facie collata*, *fineque & ſcopo*, ad quem inculcantur, *ſuperſtitioſa.* Ut nihil dicam, quòd multa ſub *involucro emblematum ſint tecta* atque *abſcondita*, adeò quidem ut interpretes in *diverſiſſima* abeant, cùm ſenſum eruere volunt. Quòd ſi tamen rationi eſſent *congrua* & *egregia*, nondùm inde inferri poſſet, *Deum ad ea inculcanda miracula patrare debuiſſe.* Quod *Franciſci* cæterorumque *Monachorum* attinet præcepta, *ea plerumque rationi & Evangelio ſunt contraria*, *inepta*, *blaſphema*, *ſocietati humanæ nocitura. Vota illa adeò à Monachis celebrata*, *nimirùm*

mirum paupertatis voluntariæ, *caſtimoniæ & obedientiæ cœcæ*, *rationi*, *Evangelio & Societati contraria ſunt.* Verum eſt, Chriſti diſcipulos omneſque qui Chriſto nomen dare voluerunt, *in prima conſtitutione cœleſtis regni paupertatem ferre debuiſſe.* Neque enim tum aliter ſtatus rerum permittebat. Cùm enim omnes, qui ex *Judæis* & *Gentilibus* ad Religionis Chriſtianæ *publicam profeſſionem* animum adjungebant, ex *familiis paternis* ejicerentur, Dominumque ſuum, quandoquidem aliter *converſionem* ſuam, & *mentis mutationem* probare haud poterant, ſequi tenebantur, *paupertatis onus* in ſe ſuſcipere debebant; at non *placebant* ideò Chriſto quia *pauperes*; neque *omnibus*, qui Religionis Chriſtianæ unquàm nomen dare volebant, *injunxit*, ut *aurum argentumque* in mare projicerent, ex aliorum *laboribus* ac *ſudoribus ventrem ſuum ſaginarent*, atque ità tanquàm *mendici* per orbem *vagarentur* & *ſtipem* peterent. Huic enim præcepta *perſpicua*, *praxis Apoſtolorum*, & *divina* atque *humana* contrariantur *Jura.* At *Monachi* noſtri tanquàm præceptum *neceſſarium*, ad ſummum perfectionis *gradum* aſcendendi, *commendant*, & quidem *ſinè neceſſitate*; ipſi verò *aliena vivere quadra* malunt; nolunt *honeſtis laboribus* vacare; *præſtare* credunt, ſi innumeri homines *opes conferant* non ſinè moleſtia, imò *cum familiarum ſuarum & totius Societatis maximo damno, ut ventribus ſuis benè ſit & lateribus.* Notum eſt, quis ſtatus hodiernus ſit *Franciſci*, *Dominici & Lojolæ* diſcipulorum. *Votum perpetuæ abſtinentiæ*, quam *Regula* præſcribit, *temerarium*,

rium, *ineptum*, *Deo & Juri Naturæ contrarium.* Si *Franciſcus*, ſi *Dominicus*, ſi *Lojola cælibem* voluère vivere *vitam*, neque ad conjugium ineundum ullâ ratione impulſi ſunt; fruantur hâc ſuâ *μισογαμία*: at omnibus aliis *hoc jugum* imponere *velle* & *abſonum* & *impium* eſt. Frenum nemini *injiciendum*, quandoquidem non omnes *eodem* vel *ingenio*, vel *temperamento*, & facultatum corporisque utuntur *modulis*. Quam vim autem habuerit in animos hominum injecta illa *cælibatûs neceſſitas*, demonſtrant *leges ipſæ eccleſiaſticæ Pontificiorum*, *Apoſtolica Taxa*, *& omnium Seculorum experientia.*

Votum denique cæcæ obedientiæ reverâ cæcum eſt, & pecoribus non homine dignum; neque enim *hoc votum* jubet, ut Deo in *omnibus*, quæ *ratio* & *revelatio* poſtulant, obediamus, quod ipſum præceptum omnibus mortalibus injunctum; ſed ut *ſputa Papæ* & aliorum *Monachorum decreta*, per univerſam vitam, ſpreto omni *rectæ rationis uſu*, lingamus, atque *antecedentium turbam*, id eſt, *traditiones ſemel receptas*, licèt *abſonas*, *iniquas*, Dei voluntati *contrarias*, ſequamur, defendamus; omnesque qui *contrà eunt*, omnibus diris devoveamus. *Hæc ſumma eſt præceptorum optimorum*, *ſanctiſſimorum ſcilicèt virorum*, *quæ qui obſervat*, *ſaltem externâ ſpecie & ſecundùm conſuetudinem*, *ille non ſolùm ſanctus*, *ſed homo puriſſimus*, *ſanctiſſimùsque.* Notum enim eſt, hæc officia cæteris hominibus, quos *Laicos* vocant, non *imponi*; ſed iis, qui de *meliore luto* ſunt, atque *ſanctiora animalia.* *Cætera* enim

enim *turba* paucis quibusdam *ritibus*, *cæremoniis*, viam ad *cælum* ſibi munire poteſt. De hisce regulis tàm *magnificè* ſentiunt *Monachi noſtri*, ut *à blaſphemia* parùm abſint. Ità in *Alcorano Franciſcanoram* pag. 114. hæc extant: „ Qualis ſit Regula Franciſci declarat ipſe Franciſcus, dicens: Eſt liber vitæ, ſpes ſalutis, medulla Evangelii, clavis Paradiſi, ſtatus perfectionis, pactum æterni fœderis, *Item:* Chriſtus petiit à patre, & impetravit Regulam & Ordinem Minorum; ſicut teſtatus eſt Diabolus. *Ibid.* Chriſtus dixit ad Franciſcum: Quis plantavit hanc fratrum Religionem? Nonne ego? *Ibid.* Chriſtus ipſam regulam compoſuit & ordinavit, & à calumniatoribus ipſam defenſavit. Pag. 6. Franciſcus ad litteram S. Evangelium obſervavit, non transgreſſus apicem unicum vel Jota, & ſolus ipſe cum ſuis habet regulam in Evangelio fundatam ſpirituali modò & formâ. „ At hoc non *ſufficit*; ut quanti Deus æſtimet *illos*, qui, ut *regulam illam* obſervent, nomen dant *S. Franciſci familiæ*, vix ſatis verbis exprimere poſſunt. En quædam ſpecimina *impudentiæ craſſiſſimæ & impietatis deteſtandæ*. Pag. 166. Alcorani dicitur: „ Dominus JESUS inſpiratione & allocutione induxit plures in Ordinem reges & alios; cupiebat enim Rex Conſtantinopolitanus ſcire, quomodò deberet mori, & oſtendit ei Chriſtus Franciſcum ſtigmatiſatum, & placebat Chriſto, quòd obiret frater minor, qui dimiſſo regno obedivit cœleſti viſioni. Multis aliis idem revelavit; ex quibus eſt M. Alexander de Ales, qui rogans Dominum, quem Ordi-

Ordinem intrare deberet; accepit à cœlo reſponſum: qui de manè ad ipſum primi pro eleemoſyna petenda accederent, eorum Ordinem deberet intrare. Et factum eſt ità. *Ibid.* Guncero Monacho de Barravia in Vaſconia apparuit mulier pulcherrima, dicens: Accipe me in uxorem. Qui reſpondit: Non accipio te, quia ſum Monachus. Ipſa reſpondit: Ego ſum regula Franciſci, accipe me, tunc ſalvaberis; ex qua revelatione factus eſt frater minor. „ Mitto alias ejusmodi ineptas & blaſphemas voces, quibus ſcatet Alcoranus Franciſcanorum, *longè ineptior* Muhamedanorum *ineptiſſimo libro*, ejusdem nominis. (*) Quid *Dominicus* de *origine Roſarii* & *cantilenæ: Salve Regina*, *pallio* item, *ejusque efficacia* ſenſerit, ſuprà dixi. At inter præcepta, ſanctiſſima ſcilicèt, omnibus, qui ſalvari volunt, *injunctum eſt*, *ut cantilenas illas ineptas canant*, *Deumque hâc ratione ſibi concilient.* Et quid opus eſt pluribus verbis? Nemo ignorat, *Monachos* illos omnes, quorum miracula expendimus, *Sacras Litteras & rectæ rationis uſum faſtidiviſſe*, atque exiſtumaiſſe, *quo magis à regulis illis duabus recederent*, *ſuaque cerebri deliramenta ſequerentur*, *eò ſe ſanctiores & cœlo propiores eſſe.* Hinc omnia præcepta, quæ omnibus in univerſum hominibus præſcribunt, ad *ſequentia Capita* referun-

(*) De Alcorano Franciſcanorum & variis ejus editionibus vide cl. Schelhornii Amœnitates Tomo III. pag. 161. & novam editionem gallicam; De ipſo verò deteſtando Conformitatum libro vide quæ collegerit Auctor der Halliſchen Bibliothec. Tom. I.

referuntur: *Crede, quod credit Papa: Aras & Altaria adito: Preces quaſdam per longam ſeriem demurmurato: Ceremonias à Monachis injunctas cuſtodito: Mariam Sanctosque omnes invocato: Miſſam aliquandò celebrato; Peccata tua in aurem cuidam delecto Monacho inſuſſurato: Sacra loca, ut veniam obtineas, adito: Sanctiſſimas reliquias oſculator: Mentem tuam, morti proximam, Chriſto & omnibus Sanctis commendato &c. &c.* Talia ſunt, quæ abſolvunt *Ethicam Chriſtianam*, ſi ineptiſſimos noſtros audias Monachos. Tales *ineptias* inculcâſſe *Franciſcum*, *Dominicum*, *Lojolam*, *vitarum Scriptores*, & adducta ſuperiùs teſtimonia, ſatis ſuperque probant. An *hæc* autem cum *doctrina* JESU Chriſti *conveniunt?* An hæc *talia* ſunt, ut Deus, Deus inquam *ſanctiſſimus*, excitaret *homines*, qui *ſuperſtitionem*, ubique paſſim *obtinentem*, *confirmarent?* Credat Judæus Apella, non ego.

Certè adeò in oculos incurrunt *hæ ineptiæ & ſuperſtitioſi ritus*, ut qui aliàs *pertinaciter Eccleſiæ Romanæ* decreta defendunt, diſſenſum ſuum tegere non poſſint. *Illuſtris Auctor Delineationis Eccleſiæ verè Catholicæ* non uno loco hoc ulcus tangit. Adducamus quædam: Exempli loco pag. 252. inquit: Ferner ſind nicht für Römiſch-Catholiſch, am wenigſten für allgemein-Catholiſch zu halten, alle ſonderbare Andachten und Neben-Cultus; als da ſind: des Roſenkranzes, des Scapuliers von *St. Auguſtinus* Gürtel, von *St. Franciſcus* Strike, zu dieſem oder jenem Bilde; *item* die Brüderſchaften

dieſer

dieſer und jener Heiligen, wie imgleichen, die auf etliche Wochen, Tage, oder Stunden geſezte *Devotiones* und Andachs-Dienſte zu gewiſſen Heiligen, und dergleichen. Pag. 254. Weiter iſt nicht für Römiſch-Catholiſch, noch weniger für allgemein-Catholiſch zu halten, die übermäſſig groſſe und faſt alleinige Verehrung und Anruffung der Heiligen; wobey des lieben GOttes (auſſer was etwan in der Meſſe geſchiehet, bey welcher doch auch die meiſten durch Recitierung des Roſenkranzes, und heimlicher Ableſung allerhand Gebetter ihre Andacht zu der Mutter des HErrn oder andern Heiligen richten) faſt ganz vergeſſen, ſelbiger wenig und nur obenhin angebettet, auch auf ihn nicht das Vertrauen allein, wie es geſchehen ſollte, ſondern *de facto* weit mehr auf die Heiligen geſezet wird. Pag. 264. Noch weiter iſt nicht für Römiſch-Catholiſch, viel weniger für allgemein-Catholiſch zu halten, die Einbildung, ſo die occidentaliſchen Chriſten wol des mehrerntheils eingenommen hat, daſs in denen ſo genannten Gnaden-Bildern der heiligen Jungfrauen und Mutter des HErrn, zuweilen auch eines andern Heiligen, eine gewiſſe göttliche Kraft ſteke, Gnaden zu ertheilen, Krankheiten zu heilen, und Wunder zu thun. Daher geſchiehet es auch, daſs ſie zu einem Bild mehr Andacht und Zuverſicht tragen, als zu einem andern, nachdem ſie dafür halten, daſs eines mehr Kraft und Macht zu helffen habe, als ein anders. Zu einem, der Einbildung nach recht kräftigen, lauffen ſie mit Hauffen, bringen Geſchenke, zünden

zünden Wachskerzen demſelben zu Ehren an, oder opfern, ſie ligen davor auf den Knien, und beten das Bild (von dem gemeinen Manne kann man es je nicht läugnen) durch einen wahrhaftigen Gottesdienſt an. Pag. 274. Es iſt nicht zu zweifeln, daſs *der Cultus* derjenigen, die heutiges Tages ſo groſſe Andacht zu denen alſo genanten Gnaden-Bildern tragen, *der Heiden ihren gleich gehe.* Wenn einmal ein ſolches Bild in Ruff kommen iſt, ſo glaubet man feſtiglich, es befinde ſich darinnen eine gewiſſe himmliſche Kraft, die demſelben einverleibet ſey, und ſich bey ſelbigem ausbreite. Daher kommt es, daſs man *die Roſenkränze, Tüchlein, Gebet-Bücher, Bilder, Ablaß-Groſchen, Creuzlein*, und andere Dinge daran hält oder reibet. Man glaubet ſo dann, daſs durch das Bild eine übernatürliche Kraft in dieſe Dinge gleichſam transplantiert werde. Hätte man dieſe *Opinion* von dieſen Bildern nicht, ſo wäre keine Urſach anzuzeigen, warum man an dergleichen Oertern lieber, als an andern die Heiligen anruffe, und bey ſelbigen mehr als anderswo ihrer Hülfe ſich getröſte. Alſo überredet man ſich feſtiglich, weil man es gern haben will, der Heilige, der durch *die Statuam repræſentiert wird, præſidiere* unfehlbar dieſem ſeinem Bilde auf eine ganz beſondere Weiſe, und würke dabey Wunderwerke. Derowegen gehet man wallfahrten dahin, und nicht an einen andern Ort. Man iſt auch der beſtändigen Meynung, daſs die Hülfe vom Himmel und die Kraft der Heiligen ſo feſt an dieſes geweyhete Bild gebunden ſey,

 daſs,


daſs, wenn ſelbiges zerfiele oder wegkäme, alsdenn auch der Heilige aufhören würde an dieſem Ort zu ſeyn, und Wunder zu thun. Alia loca prudens omitto. Non examinabo, utrùm jure meritoque ineptus cultus, decretis *Eccleſiæ Romanæ*, quod *illuſtris Auctor* negat, attribui debeat. Neque enim hic controverſias tractamus. *Reſponſum* petat *illuſtris Vir* à Doctoribus *Italis*, aut *Principe totius Eccleſiæ*, & ſentiet eos pro nobis ſtare. At talia, tamque inepta decreta, cultumque ſtolidiſſimum, vel induxerunt illi Triumviri, vel confirmârunt. Denique ſi vitam *Chriſti* & *Apoſtolorum* cum vita *Pythagoræ & cæterorum* confirmamus, nihil invenimus, quod in nobis aliquam *inſolitæ virtutis opinionem* excitare poſſit. *Chriſtum*, ſanctiſſimum noſtrum *Servatorem*, cum *ineptisſimis* hominibus *conferre* religio prohibet. *Diſcipulos* quod attinet, dudùm viri docti eorum *ſimplicitatem*, *integritatem*, *candorem*, procul omni *ambitione* ac *oſtentàtione*, probarunt; atque inde *teſtimonium* petierunt, pro *certitudine* rerum, quas *narraverùnt*. *Hoc unùm agunt*, ut res à ſe *viſas auditasque* ſine verborum *circuitione* enarrent, cæterùm *laudem omnem Chriſto Domino ſuo tribuunt* & ejus *miracula* narrant. Poſt diſceſſum Chriſti inuſitatis donis erant ornati, quibus *ſenſu ipſo edocti erant*, ſe ex voluntate *Legiſlatoris* miſſos, ad *ſanctiſſimam diſciplinam* ubique annunciandam. Stylo utuntur *idiotico*, ſimplici; non jactitant *perpetuas viſiones*, *ecſtaſes*, *confabulationes cum Chriſto & Sanctis*. JESUM crucifixum ſanctiſſimaque ejus

Decreta

Decreta *unicè* meditantur, ebuccinant, paratique *hâc ratione* vitam ſuam, ſi quidem neceſſe fuerit, *profundere.* Cùm *Stephanus*, ſanctiſſimus Vir, cœlo *receptus erat*, nihil narrant de *portentis* ipſius & *miraculis* poſt mortem editis, *neminem* ex Chriſtianis ad eum *implorandum* hortantur, neque *reliquias* cuiquam oſtentant. Nulla *inſania* in *cultu*, *victu*; pecunias non *abjiciunt*; *curant*, ut *pauperes* inde *ſubleventur*; non ſunt *vindictæ cupidi* & quoslibet *diſſentientes orco* addicunt. Verbo, *tales ſunt*, quales ſanctiſſimæ diſciplinæ *alumnos* decuit. Prorſus autem *ingenio* fuiſſe ab his *diverſo Pythagoram* cæterosque, ſuprà (ni fallor) abundè oſtendimus. De *Pythagora* & *Apollonio* hoc quidem loco non eſt, ut multa dicamus. *Pythagoras* & *Apollonius Circumforaneis* ſimiliores ſunt, quàm publicis *veritatis* & *ſapientiæ* Doctoribus. *Myſteria*, quæ jactitarunt, aut *verborum ſunt μετεωρα*, aut *ænigmata* potiùs & *ampullæ* verborum, quàm *ſententiæ perſpicuæ* omnium captui accommodatæ. Cætera, quæ alicujus momenti ſunt, *ratione ſolùm* addiſci poterant. *Franciſcus* autem, cæterique, ità ſe gerunt, ſi vitarum Scriptoribus fides habenda, ut ab *inſanientibus* & *mente captis*, ſi pauca intervalla excipias, non *diſtingui* poſſint. Vix pagina *ſinè portentis*, *viſionibus* aut *actionibus veſanis* reſtat. Quemadmodùm in fabula *Heroës* ubique perſonam agunt eminentem ſupra cæteros; ità illorum *laudes ſolas* ebuccinari audias. Deus miracula facit, *inſolita*, *extraordinaria*, *peccata* condonat, in *cælum recipit* expanſis manibus, propter *merita*,

virtutes Dominici, *Lojolæ*, imò *ampliùs*, ſi quis *veſtimento* Dominici indutus, ſi quis *pedes* eorum *lambit*, *dentes*, *oſſa*, *digitos*, & quid non? Deus *gratioſè* de homine illo *ſentit*, & inter *ſuos refert*. Mox *Trinitas* apparet, mox *Chriſtus*, ſed *infantulus*; mox *Maria cum elegantiſſimis fœminis*, mox vident in cœlo *Monachos*, *cucullo indutos*, mox *duobus* ſimul *locis* ſunt Apoſtoli noſtri, mox per multos *pedes de terra* elati; non *ſunt edocti* ex Sacris Litteris, ſed *viſionibus* paſcuntur; iidem *ignorantiſſimi*, *ſtupidiſſimi*, & tamen *volunt eſſe lumina mundi*, *Doctores mundi*. *Vota faciunt Deo inepta*; *in terram ſanctam itinera inſtituunt*, *Muhamedanos converſuri*, *ignari vel primorum Religionis elementorum & linguarum orientalium*. Neque hìc, auxiliis deſtituti, ſanctiſſimam Religionem *ediſſerunt* miſeris mortalibus, ſed *lapides*, *ſaxa* & *montes mirantur*. Redeunt, uti ſunt profecti. Pecuniam *abjiciunt*, ut poſſint *mendicari*; & *mendicantur*, ut alios in *admirationem rapiant*. Homines *ab erroribus* non *revocant*, ſed *ineptis ſuperſtitionibus* plures *addunt*. *Papæ* & ipſius *decretis* unicè *adhærent*, *mutaturi* in ſingulas horas *ſententiam ſuam*, ſi quidem *Pontifici* placeret. In *cultu*, *victu*, cæteroque vitæ *habitu*, *ridiculos* ſe faciunt, *ſingularemque* ex eo capiunt *voluptatem*; omnis eorum *cura*, *ſolicitudo*; omnis *labor* eò tendit, ut *Papæ imperium*, receptasque, licèt *impias* & *Deo contumelioſas* opiniones, *ſtabiliant*. Atque hæc omnia faciunt *nemine* jubente, nullâ *auctoritate* inducti, vel *argumentis* perſuaſi. An autem *credibile* eſt, Deum tales *miſſurum eſſe* ad ſanctiſſimam

ctiſſimam doctrinam ſuam *confirmandam*, aut nova quædam dogmata hactenùs non audita *commendanda?* Certè ità omni *Agyrtæ* & *Fanatico* credendum eſſet; ità *fatui ex morodochiis eſſent protrahendi & pro Doctoribus publicis in poſterùm habendi;* ità vileſceret in animis hominum *ingenuus diſcipulorum Chriſti candor* & *pudor.* Ità *fruſtrà* nos Chriſtus *monuiſſet*, ut *à deceptoribus* caveremus. Verbo, ità *quicquid dixerunt*, fecerunt *Apoſtoli*, omnem *fidem* amitteret, quià quod Apoſtoli *unicè intenderunt, laudârunt, atque morte confirmârunt; Franciſcus, Lojola, Dominicus negant & ſubvertunt.* Unde concludimus, *miracula Franciſci, Lojolæ & Dominici à Deo eſſe non poſſe.*



CAPUT XII.

Miracula Pythagoræ & cæterorum non ſunt à Deo, quia, poſitâ illorum veritate, merus induceretur in rebus ſacris Scepticiſmus.

QUoties inter nos, qui *ab Eccleſia Romana* graviſſimas ob rationes *diſceſſimus*, & illos, qui *Papæ decretis* adhærent, *ſermo* eſt *de examine Religionis*, quòd noſtra ſententia *omnibus* in univerſum *hominibus competit*, inter alia nobis objicere ſolent Eccleſiæ Romanæ Doctores, *examen omnibus hominibus conceſſum, viam ſternere ad Scepticiſmum.* Hoc argumento cùm alii, tùm inprimis eruditi quidam *Eccleſiæ Gallicanæ Doctores* uſi ſunt, omnemque ingenii aciem atque eloquentiæ vim, ut id probarent, *impenderunt.* Multa ad ſpecioſam illam objectionem regeſſerunt illi ex noſtris, qui controverſias illas examini ſubjecerunt. Quidam eò uſque progreſſi, ut *tela hæc* in ipſos *retorſerint* hoſtes. Inter omnes autem eminet *Theologus* ſuo tempore *doctiſſimus* atque *pientiſſimus*, ὁ νῦν ἐν Ἁγίοις, *Joannes la Placette*, in *erudito libello: de inſanabili Eccleſiæ Romanæ Scepticiſmo. Præſtantiſſimus ille Theologus* per *ſingula* Eccleſiæ Romanæ *decreta* eundo, oſtendit, *impoſſibile eſſe*, ut aliqua *certitudo* locum habere poſſit, ſi recepta hujus Eccleſiæ dogmata valeant. Non juvat, argumenta, quibus ſuam ſententiam ſuperſtruxit *eximius Theologus*, referre; neque enim

enim id jam quidem agimus. Hoc unum dicimus, omnes ferè, qui Eccleſiæ Romanæ Doctores audiunt, *examen Religionis* tantoperè *deteſtantes*, atque ad *auctoritatem* tantùm Eccleſiæ ejusque *infallibilitatem provocantes*, non poſſe non in eam ſententiam adduci, ut *credant*, religionem eſſe *rem* omni rationi *contrariam*; ſaltem ità *comparatam*, *ut rigidum examen ſuſtinere non poſſit*; credendum igitur *ſimpliciter omni abjecto examine*, id eſt, *cæco aſſenſu tandem in caſtra quarumdam Factionum transeundum.* Atque hoc à *Scepticorum* opinione haud procul eſt remotum. Illi enim *adſerebant*, nullum dari vel in *ſenſibus*, vel in *ratione*, veri inveniundi *criterium*, ſed omnia eſſe *æquè certa*; interim in rebus ad vitam *quotidianam*, *cultumque Religionis* ſpectantibus, *receptis opinionibus moribusque Patriæ adhærendum.* Ità Séxtus Emp. Lib. LIX. pag. 560. de ſuo Sceptico ait: Ταχα γαρ ασφαλεςερος παρα τους ὡς ἑτερως φιλοσοφουντας, ἑυρεθησεται ὁ Σκεπτικος· κατα μεν τα πατρια ἐθη και τους νομους, λεγων ἐιναι Θεους, και παν το ἐις την τουτων θρησκειαν και ἐυσεβειαν συντεινον ποιων· id eſt: *Fortaſſè enim ſtabilior ac conſtantior invenietur Scepticus, quàm ii, qui aliter philoſophantur; ſiquidem profitetur Deos congruenter patriis moribus & legibus, & facit quicquid pertinet ad eos piè colendos.* Certè ſi quis *illuſtris Huetii* libellum *de imbecillitate ingenii humani* attentè pervolvit, atque alia ejusdem *celebratiſſimi Auctoris* cogitata *confert*, vix aliter ſentire poterit, quàm *illuſtrem Virum*, perſpectis ab una parte *rationibus graviſſimis*, quæ *pro examine Religio-*

 nis

nis pugnant, partim *impoſſibili conciliatione hujus examinis cum decretis Eccleſiæ Romanæ detecta*, credidiſſe, nihil magis è re & *ſua* & *Eccleſiæ eſſe*, quàm *Scepticorum* ſententiam tueri, atque adeò omnia fundamenta, quibus *ratio* utitur in examinanda Religione, *ſubvertere*. Hâc enim ratione viam eſſe ſtratam (cùm homines haud facile omnem Religionis ſenſum extinguant) ambabus manibus *auctoritati* aliorum in cauſſâ Religionis *ſeſe ſubjiciendi*, & ad eam tanquàm *ſacram ancoram* confugiendi. Et certè, ſi *nulla* rationi ineſt *vis*, verum à falſo diſcernendi, *Religio amplectanda eſt ſine examine*, id eſt, *credendum* aliquid, quod *è re noſtra* eſſe exiſtumamus. Nolumus huic argumento inhærere, ſed afferemus jam *novum argumentum*, quo probabimus, *Eccleſiæ Romanæ Doctores Scepticiſmum fovere*. Petitum hoc eſt ex ipſis *miraculis*, quibus eluxiſſe dicuntur *Franciſcus*, *Dominicus* & *Lojola*. Quòd ſi enim miracula illa (uti contendit Eccleſia Romana) *à Deo* ſunt, Deusque illis *probare* voluit *decreta*, quæ foverunt atque docuerunt *celebratiſſimarum Familiarum Auctores*, meâ opinione *certum atque perſpicuum* eſt, *univerſalem Scepticiſmum cùm in cæteris rebus*, *tùm in Religionis negocio cumprimis locum habere*. Ut autem id probem, *tribus* utar argumentis. Primum eſt petitum *à ſenſuum miniſterio*; ſecundum *ab evidentiſſimis rationis præceptis*, *clariſſimis Scripturæ locis*, *imò totâ Scripturâ Sacrâ*; tertium, quod ad *primum* attinet, notum eſt, *ſenſus* ritè *diſpoſitos* ab Optimo Maximo Numine nobis *datos eſſe*, ut iis tanquàm organis *adjuti*,

de

de objectorum externos ſenſus ferientium *exiſtentia* & *diverſitate* judicium ferre, atque hàc ratione non ſolùm unum ab altero *distinguere*, ſed & quæ ad commoda noſtra promovenda facere poſſunt, *cognoſcere* poſſimus. Miracula omnium confeſſione ſunt opera Dei *extraordinaria*, quibus Dei voluntas mortalibus ſignificatur, quæque vehementiùs animos hominum ex voluntate Dei movere debent, quàm ea, quæ quotidiè oculis noſtris ſubjiciuntur. Quòd ſi igitur Deus miracula facit ad tollendam *fidem*, quam hactenùs ſenſibus habuimus, actum eſt *de miniſterio ſenſuum*; credere enim debemus neſcio cui rei *potiùs*, quàm *externis ſenſibus*. Atqui Deùs per inuſitata miracula *effecit*, ſi vitarum illarum Scriptoribus fides habenda, ut *idem corpus* in pluribus locis *fuerit ſimul*; ut *idem homo infans* & non *infans* fuerit. Ità *Lojola* & *Franciſcus* Chriſtum non ſemel oculis ſuis viderunt in *hoſtiâ*; *iidem in pluribus locis eodem tempore verè apparuerunt.* Hæ asſertiones non ſolùm rectæ rationis decretis, *ſed & ſenſibus omnibus repugnant.* Si enim omnes in univerſum homines *Hoſtiam* contemplarentur, & vel *juramento* confirmare tenerentur, quid *oculis ſuis* contrectaviſſent, nihil aliud dicere poſſent, quàm *ſe vidiſſe placentulam farinaceam, nullum caput, truncum nullum, artus nullos, nulla planè hominis alicujus lineamenta*; adeò ut *illuſtris Tillotſonius* rectè dixerit, controverſiam de *Tranſſubſtantiatione* omnium optimè *à Gentilibus*, oculis ſaltem *inſtructis*, *dirimi* poſſe. Supponam igitur, Deum per *miracula* edocuiſſe *Dominicum*,

Franciſcum & *Lojolam*, Chriſtum *præſentem* eſſe in Hoſtiâ; item homines illos *duobus in locis* eodem temporis articulo fuiſſe, neceſſariò *ſequitur*, ſenſibus *fidem* tutò haberi non poſſe, imò *nec tùm* fidem illis eſſe habendam, quandò *eorum* miniſterium neceſſarium. Cùm autem horum hominum *judicio* non ſemel tantùm hoc contigerit, ſed *millies*, omnis in poſterùm *ſenſibus fides detrahenda*. Quid enim? Si Deus *inuſitatis miraculis uſus* ad ea ſtabilienda, quæ *omnibus ſenſibus* repugnant, an *cuiquam* mortalium in poſterùm *licet* credere, ſenſus nos *non fallere*; objectum, quod videtur ante oculos poſitum, adeò clarum ut vel *lippi* animadvertere poſſint; idem panis in *minutas partes* ſecari, *ori admoveri*, frangi poteſt. Verbo, *repugnant ſenſus* omnes contra perſuaſionem *de exiſtentia hominis* in illa placenta farinacea, & tamen Deus miraculo confirmat, panem non eſſe panem. Erat, teſte *Athenæo*, proverbium apud Græcos: θαυματα μωροις· *Miracula ſtultis*; at planè immutandum hoc erit, dicendumque: θαυματα σοφοις. Ità ſapientiſſimus quisque in poſterùm judicare tenebitur, *ſenſus vel optimè diſpoſitos homines neceſſariò*, quoties de objectis judicare volunt, *in errores præcipitare*. Quòd ſi enim *inuſitatis miraculis* Deus *Transſubſtantiationem confirmavit*, voluit ſinè dubio, ut miraculo (repugnantibus licèt omnibus ſenſibus) *fidem habeam*, & quidem *ſemper*. Quemadmodùm enim *credere teneor*, ea, quæ per miracula in V. & N. Teſtamento facta, licèt miracula ipſa non *repetat* Deus; ità etiam poſtquàm Deus ſemel per *portenta Franciſco*

ciſco aliisque inſignibus viris *ſignificavit*, *corpus unum idemque* (hactenùs enim ſuppono, rem eſſe poſſibilem) *eodem tempore in pluribus locis eſſe*, hoc *credendum firmiter tenendumque*. Unde inſuper ſequitur, *neminem hodiè fidem habere poſſe iis, quæ oculis ſuis videt, manibus tangit &c.* Eundum erit in caſtra *Egoiſtarum*, id eſt, *eorum Philoſophorum*, qui putant, *præter mentem noſtram nihil extra nos exiſtere; corpora, quæ videntur, aut videri à nobis exiſtumantur, non eſſe vera corpora*, *ſed* φαντασματα *quædam*, *mentem noſtram deludentia.* Cur enim *magis credam*, *me cœlum*, *aquam*, *piſces*; *lapides videre*, *quàm fruſtulum panis?* Unde *certus* ſum, *Deum mihi oculos dediſſe ad videndum; ſi miraculum fecit ad me edocendum*, *oculis ſanis imò lynceis non eſſe credendum?* Senſus quidem externi verum corpus offerunt; mensque judicat fieri non poſſe, ut idem ſimul ſit & non ſit; at *ſenſuum omnium & rationis Auctor* clamat: *his fidem haberi non poſſe.* Unde ſequitur, *poſitâ divinitate miraculorum*, *Franciſco cæteriſque* adſcriptorum, *ſenſuum externorum miniſterium inutile eſſe prorſùs ad cognoſcenda & diſcernenda objecta extra nos poſita.* *Secundum meum argumentum*, quo probo, *miracula in Franciſci &c. gratiam à Deo facta*, *Scepticiſmum inducere*, petitum ab eo, quòd hæc adſertio *certiſſima & evidentiſſima rationis principia* ſubvertat. In antecedentibus audivimus, vitarum Scriptores adſerere, Deum non ſemel *miraculum* feciſſe, ad *Transſubſtantiationem* comprobandam; item non ſemel factum, ut homines illi eodem tempore fuerint in duo-

bus

bus locis; hæc propoſitio *non ſolùm probat*, in poſterùm fidem *ſenſibus* haberi non poſſe, ſed & *omnis cognitionis fundamenta* ſubvertit. Inter *axiomata* æternæ veritatis & prima omnis cognitionis humanæ fundamenta ſinè dubio hoc referendum: *idem ſimul non poteſt eſſe & non eſſe*. Huic axiomati innititur omnis *ratiocinatio*, & quæ indè reſultat *ſcientia*. Quòd ſi autem *Deus miraculum* fecit, ut probaret, (denuò ſuppono, rem eſſe poſſibilem,) unum idemque corpus eodem tempore eſſe in pluribus locis ſimul, *manifeſtiſſimè voluit*, ut concluderem, *idem corpus poſſe adeſſe & non adeſſe, unum eſſe & non unum, Unum & mille, uni loco affixum, & in plurimis tamen ſpatium occupans &c.* quo poſito, ſcientiæ omnium *certiſſimæ evidentiſſimæque*, quales *Arithmetica*, *Algebra*, *Geometria*, prorſùs redduntur *incertæ*, imò *falſæ*. Non poſſum enim dicere *numerum binarium* bis ſumtum ex. gr. *æqualem* eſſe numero *quaternario*. Perceptio enim *æqualitatis*, quæ eſt inter duos illos numeros, *fallax* eſt; tollitur inſuper omnis *certitudo*, quæ nititur aliorum teſtimoniis; non poſſum in poſterùm provocare ad teſtimonia *virorum optimorum atque fide digniſſimorum*. Deus enim per miraculum *effecit*, ut homines illi *Franciſcus* & *Lojola*, ſi vitarum Scriptoribus fides, *duobus in locis ſimul* fuerint viſi; hæc aperta admodùm ſunt, ut ampliore explicatione opus non ſit. At non ſolùm omnia humanæ cognitionis tolluntur fulcra atque præſidia, ſed cumprimis tollitur omnis noſtra *certitudo*, quam habemus *de veracitate Dei*, cæteriſque virtutibus divinis cultûſque Deo digni

naturâ.

natura. Probavimus Capite X. poſitâ divinâ origine miraculorum à Franciſco & cæteris editorum, omnes notiones, *de ſanctitate*, *bonitate*, *juſtitia*, *ſapientia Dei* ſubverti. Quòd ſi autem miracula illa Deus fecit, non ſolùm *illæ virtutes* ſubvertuntur, ſed & *evidentiſſimè certiſſimèque* ſequitur, nos nullum ampliùs *conceptum* rectum habere de eo, quod Deum *decens* eſt, deque cultu divino rectè inſtituendo. Deus *miracula* facit, ut probet cultum *ineptum* & *abſurdum*, quem foverunt *Pythagoras* & *Apollonius*, *ſibi placere.* Idem Deus per *Franciſcum* & cæteros *miracula facit*, ad *alium cultum* priore non *minùs ineptum* & *ridiculum* ſtabiliendum. Per Chriſtum edidit *miracula* ad *ſanctiſſimum excellentiſſimum cultum* & *diſciplinam ſtatuminandum*; quid inde concludi poteſt aliud, quàm non ſolùm *perinde eſſe Deo*, quâcunque demùm *ratione* colatur; ſed & *eum ſibi contrarium eſſe*, *contraria velle*, omnes *ideas* de religione naturali *logomachias* eſſe; cultum *abominandum Ægyptiorum* non minùs eſſe *caſtum rationi* convenientem, quàm *Chriſtianorum*; *ſaltem nos neſcire*, utrùm *hâc vel illâ ratione* Deus colendus ſit; accedit, quòd nulla ferè gens ſit, quæ miracula in ſui gratiam facta non ſoleat *jactitare.* Certè, ſi *miracula*, quæ per *Franciſcum* cæterosque edita dicuntur, *à Deo ſunt*, nulla cauſſa adeſt, cur negemus, hoc alibi *locorum* apud *alias gentes* fieri non potuiſſe. Si enim ſemel Deus per *miraculum* cultum *ineptum*, ſuisque virtutibus *contrarium*, tuetur & *comprobat*, quæ cauſſa eſſet, cur aliis in locis ad *diverſum cultum* ſtabiliendum idem facere non poſſet? Ità *cultus* certè

pro

pro *hominum*, *temporum* & *locorum diverſitate*, poterit *ab hominibus* aut *Imperantibus* mutari. Verumque erit adeò *ingenioſiſſimi Paſcalii* dictum: *Un meridien decide de la verité, ou peu d'années de poſſeſſion. Les loix fondamentales changent; le droit a ſes epoques. Plaiſante juſtice, qu'une rivière ou une montagne borne! verité au deça des Pirenées, erreur au delà.* Eòdem ferè redit *tertium* meum *argumentum*, quo probcre contendo, *miracula illa Scepticiſmum in rebus theologicis ſtabilire.* Probavi Capite XI. *poſitâ veritate & divinitate miraculorum, à Deo in gratiam Franciſci &c. præſtitorum, ſubverti veritatem & divinitatem Religionis Chriſtianæ.* Quo ipſo ſimul argumento per legitimam evidentemque illationem ſequitur, *neminem* veram alicujus revelationis *indolem* atque *certos characteres* cognoſcere poſſe. Exiſtumârunt omni tempore Chriſtiani, & adhuc exiſtumant, nullibi certiora atque evidentiora divinæ alicujus revelationis reperiri indicia, quàm in *ſanctiſſima* Chriſti *diſciplina*, adeò ut nihil concipi poſſit Deo *dignius*, naturæque humanæ *aptius* & *accommodatius.* At ſi vera ſunt *miracula*, quæ Deus in gratiam *Lojolæ* & *cæterorum* fecit, cadunt *omnes illi characteres* revelationis veræ & Deo dignæ. Cùm enim cultus doctrinaque JESU Chriſti planè alius ſit naturæ, quàm cultus per *Dominicum* & *ſequaces inſtitutus*, ad *utrumque* autem *ſtabiliendum* miracula divinitùs facta fuerint, oportet *utrumque*, licèt *adverſâ* ſecum *fronte oppugnantem*, approbemus. *Confucii* ergò *Philoſophia*, *Alcoranus Muhamedis* & *Franciſcanorum*, item

Biblia Sacra eodem habenda erunt *loco;* ſaltem non magis *certum* erit, *revelationem* per Chriſtum factam *divinam* eſſe, quàm *alium quemvis cultum ſtolidiſſimum* licèt & *ineptiſſimum. Error* itaque & *Veritas*, *Hæreſis* & *Orthodoxia vana* erunt *nomina*. Quod *uno tempore* per miracula *confirmatum fuit*, id alio tempore & occaſione *deſtructum*. Ex quibus omnibus tandem concludimus, *poſitâ veritate & divinitate* miraculorum à Deo in gratiam *Franciſci*, *Lojolæ*, *Pythagoræ &c.* præſtitorum, concedendum, *ſenſuum miniſterium*, *rationem & revelationem nullius eſſe uſus*, *atque adeò cùm in cæteris*, *tùm in rebus cumprimis theologicis Scepticiſmum eſſe ſovendum*, *quod eſt abſurdiſſimum*. (*) Ut autem eò magis conſtet, in quas *difficultates* homines conjiciantur, ſi *miraculis Franciſci*, *Dominici & Lojolæ* fidem habeant, atque præcepta eorum atque actiones, tanquàm Numinis decreta, venerentur, *inſtituto paralleliſmo* oſtendam, non *minoribus* virtutibus atque actionibus illuſtribus eluxiſſe *Muhamedem* quàm *Triumviros iſtos;* atque adeò *poſitâ divinâ origine miraculorum Franciſci & cæterorum incertum eſſe*, utrùm *Muhamedis* potiùs, quàm *hominum illorum præcepta* ſint audienda. Quæ de *Muhamede* afferentur ex *Vita Muhamedis*, conſcripta *ab eruditiſſimo Viro*, *Jo. Gagnier*, qui ſummâ diligentiâ & fide, fatentibus

(*) Unde mirandum valdè eſt, celeb. Magliabechium de miraculis Franciſci & Dominici adeò magnificè ſenſiſſe. Vide vitam Benedicti Accoltæ Aretini pag. 194. in vitis ſummorum Virorum per Meuſchenium editis.

tentibus harum rerum peritis, ex Scriptoribus Arabibus collegit, deſumta ſunt. Agemus autem primò de miraculis ipſius & viſionibus; deinde reliquas ejus actiones, præcepta, ingenium & mortem contemplabimur. Audivimus in antecedentibus Capitibus circa *nativitatem* non ſolùm *Pythagoræ* & *Apollonii*, ſed & *Franciſci*, *Dominici* & *Ignatii Lojolæ* inſignia edita fuiſſe portenta. (*) At *non minùs illuſtria* cùm Muhamedes natus eſſet, edita ſunt. Ità *Gagnier* Tom. I. pag. 78. „ Tous les prodiges, qui accompagnerent la naiſſance du Prophète de Dieu, ont été rápportés par ſa mere Amenah. - - - Nous donnerons ſeulement les plus remarquables: Premiérement les Satans furent précipités du haut des étoiles & des ſignes du Zodiaque, où ils s'étoient nichés, pour écouter à la derobée ce que les Anges diſoient: ils en faiſoient part enſuite aux Magiciens, aux Sorciers & aux Pithoniſſes: auſſi par leur chute les Oracles des Idoles ceſſerent ſur la terre. Secondement, le feu ſacré des Perſes gardé par le Mages, & qui avoit brulé ſans intermiſſion depuis Zoroaſtre, durant l'eſpace de mille ans, fut éteint tout à coup. En troiſième lieu, les eaux du lac Sawa, qui appartenoit aux Enfans de Hamdan furent taries entiérement. En quatrième lieu, il y eut tremblement de terre violent, qui fit une grande

(*) De miraculis Muhamedis vide, præter ea quæ Grotii libro de Veritate Religionis Chriſtianæ, editionis Kocheri, à Viris doctis monita ſunt, Abulpharai Specimen Hiſtoriæ Arabum, apud Pokokium, pag. 187. ſq.

grande fente au Palais de Coſroës Roi de Perſe, & de la même ſecouſſe quatorze tours de ce Palais, où il y en avoit vingt-deux, furent renverſées. „ Vide plura Tom. II. pag. 386. ſq.

Miraculis plurimis *illuſtres* fuiſſe *Franciſcum &c.* ſuprà ſatis audivimus. *Muhamedes* non minùs multa edidit, ſi Scriptoribus vitæ rerumque geſtarum credimus. Tom. II. pag. 267. „ Il a operé plus de miracles, que tous les autres Prophètes enſemble. On aſſure, qu'il en a fait juſqu'à mille; d'autres diſent juſqu'à trois mille, ſans y comprendre l'Alcoran, qui eſt lui ſeul le plus grand de tous les miracles. Il a fendu la lune en deux; les pierres l'ont ſalué; une poutre ou un tronc de palmier a gemi en ſa préſence; des ſources d'eau ont tari d'entre ſes doigts. „ Taceo alia miracula plura.

Qualia *ſtigmata* impreſſa ſint *Franciſco* à Chriſto, pluribus ſuprà diximus. *Simile* quid contigit *Muhamedi.* Pag. 88. Tom. I. rem ità narrat *Gagnier:* „ Mais qui eſt encore plus ſurprenant, à l'âge de trois ans Masruh ſon frere de lait & lui étant aux champs avec les troupeaux dans un lieu écartè, deux Anges ſous la forme de deux hommes vetus de blanc, ſe préſenterent à eux, portant un grand baſſin d'or plein de neige. Ils tirerent Muhamet à part, l'emmenerent ſur une colline voiſine, le coucherent par terre, lui fendirent le ventre, & lui ouvrirent enſuite la poitrine. Ils en tirerent une certaine tache noire; ils lui laverent après

cela le corps avec cette eau de neige; ils lui remplirent le ventre de lumiere, & l'ayant renfermé & rejoint promptement, ils le laiſſerent parfaitement gueri, & dans le même état qu'il étoit auparavant. „ Et quemadmodùm vulnerum vibices, *fideles teſtes!* in corpore *Franciſci* videbant, ſic nec *Muhamedi* deſunt *teſtes*: „ Il y a (*ità Auctor vitæ pag.* 92.) une tradition, qui porte, que la trace de l'ouverture, que les Anges avoient faite dans le corps de Mahomet, y parût toujours après cela; qu'elle regnoit depuis les creux de l'eſtomac juſqu'au bas du ventre, & qu'elle reſſembloit à une courroye très déliée. Anas, un de compagnons & des amis familiers du Prophète de Dieu diſoit: J'ai vû moi-même cette future ſur ſa poitrine; elle y demeura toujours depuis tant qu'il vecût.„ *Ipſe* quin etiam *Dominicus* ejuſmodi miraculum patrâſſe dicitur, quod admodùm ſimile eſt illi, de quo mentionem facimus. Extat apud *Ebingerum* pag. 834. qui collegit ex vita Dominici, quæ extat in *Bibliotheca Ratisbonenſi*: „Quidam (*ait*) de partis Pedemontis monſtroſè inflatus beato Dominico ſe vovit, tunc dormienti beatus Dominicus apparuit, ventremque ſinè dolore ſcindens, immunditias omnes extraxit, & iterùm manu ſuâ ſacrâ unctione conſolidans, ipſum perfectè ſanavit. „

Legenda teſtantur, Deum in verbo ſuo *prædixiſſe*, *venturum in mundum Lojolam*, *Franciſcum*, *Dominicum*. Ità *Gabriel Bareleta* probat, divinitùs illos Ordines eſſe inſtitutos, ex

Zacha-

Zachariæ Cap. VI. ubi ſermo eſt de quatuor quadrigis egredientibus de medio duorum montium. Nil dicam de tot *teſtimoniis*, quæ ad probandam *excellentiam* Ordinis *Franciſci* & *Dominici* adferuntur. At ne hilum quidem illis cedit *Muhamedes*. Tomo II. pag. 365. ex Alcorano oſtendit *Gagnier* ipſius divinam originem: „ Il a été annoncé dans les livres des anciens Prophètes, dans lesquels ſes noms & ſes épithetes ſont expreſſement marqués, comme auſſi les noms, & les épithetes de ſes compagnons, de ſes ſucceſſeurs & de ſa nation. Pag. 366. Il marcha ſur les mêmes traces, qu'avoit marché le Prophète envoyé le plus près avant lui. Pag. 368. Dieu a commandé au monde de lui obéir, il l'a ſoumis à ſon arbitre & à ſa conduite, & il lui en a donné le gouvernement en propre & en Souveraineté, avec une parfaite infallibilité, ſuivant cet Oracle de Dieu même dans ſa parole; le cœur du Prophète n'a point fauſſement imaginé ce qu'il a vû. Et cet autre: Sa vuë ne s'eſt point detournée, & il ne s'eſt point égaré. „

Sancti noſtri innumeras habuerunt *viſiones*, *ecſtaſes*, *familiaria colloquia cum Maria;* imò quidam *Deum ipſum* viderunt. Hæc *felicitas* etiam *Muhamedi* contigit. *Celebre eſt iter ejus nocturnum; & viſiones*, quas ibi habuit, *extraordinariæ ſunt.* Vide *Gagnier* Tomo I. inde à pag. 195. ad 294. *Angelus Gabriel* non ſemel *cum Muhamede familiariter* loquitur, *ſolatium* addit *afflicto & triſti*, *auxiliumque* Dei præſentiſſimum *promittit.* Tomo I. pag. 142. „ Tan-

dis que le Prophète de Dieu étoit ainſi accablé de douleur, l'Ange Gabriel deſcendit du Ciel tout éclatant de lumière. Muhamet le voyant recommença à ſuer, & fut ſaiſi d'un grand tremblement, car l'Ange lui apparût ſous une prodigieuſe forme, & d'une grandeur étonnante. Il avoit cent têtes, & cent paires d'ailes, qui s'étendoient d'Orient en Occident. „ Vide etiam pag. 159. ubi ingentes videt *catervas* Angelorum *gladiis* inſtructorum. Pag. 362. *equis* inſident *Angeli*, & *fortiſſimè* pugnant contra hoſtes *Prophetæ*.

Imò *Deum* etiam, quemadmodùm *Ignatius*, *oculis corporis videt.* Tomo I. pag. 263. „ Parmi ceux qui tiennent pour la realité de ce voyage en corps, même juſqu'au ſeptieme ciel, il y a une autre diſpute, ſavoir, ſi le Prophète vit Dieu des yeux de ſa tête ou des yeux de ſon cœur; c'eſt ainſi qu'ils s'expriment. Tous les Alfaquirs ou Canoniſtes, les Traditionnaires ou Scholaſtiques, tiennent, qu'il vit Dieu des yeux de ſon cœur. Mais dit Gjannabi le premier ſentiment eſt plus generalement ſuivi. „

Leges, ſeu uti *Sancti noſtri* loqui ſolent, *regula*, ſecundùm quam *Franciſci*, *Dominici* & *Lojolæ* diſcipulis vivendum eſt, à Deo eſt. *Le livre de l'Alcoran* (ità Tomo II. pag. 366.) *lui fut apporté du ciel, quoiqu'il fut idiot, ignare & non lettré, ne ſachant ni lire ni écrire.*

Roſarium & ſanctum Carmen, *Salve Regina*, *divino conſilio*, ſi *Legendarum* Scriptoribus credas, *Franciſco & Dominico datum. Muhamedes* in itinere illo nocturno *à Deo* accepit *normam quotidianæ precationis*. Vide Tom. I. pag. 245. Solent *Mahumedani* per diem quinque formulas precum fundere, quas *Muhamedi* à Deo traditas asſerunt. „ C'eſt ici (inquit *Gagnier* in nota) l'origine & l'inſtitution de la Liturgie journaliere des Muhametans. Elle ne pourroit pas avoir de commencement plus noble, s'il étoit vrai, comme on le croit, qu'elle procède immédiatement du Thrône de Dieu. „

Roſarium & Salve Regina Amuleti cujusdam loco eſt, uti ſuprà audivimus. Et tali quoque *ſacro inſtrumento* inſtructus eſt Muhamed. Quùm enim *Incantatoris* cujusdam fraude in *morbum* eſſet conjectus, ἀπὸ μηχανῆς auxilium fuit præſtitum, ope ſectionum quarumdam Alcorani Tomi II. pag. 44. „ Dans ce moment l'Ange Gabriel deſcendit du ciel, apportant les deux derniers Chapitres, ou Surates de l'Alcoran, qu'on appelle les deux Amulets, ou préſervatifs contre les enchantemens, & qui contiennent enſemble onze verſets, autant qu'il y avoit de nœuds dans le filet du Sorcier & à meſure que l'Ange recitoit chaque verſet, chaque nœud ſe dénouoit de lui-même; & à chaque aiguille qu'il tiroit, il en couloit de l'eau. Cependant le Prophète ſe ſentoit ſoulagé peu à peu, juſqu'à ce que le onzieme nœud étant defait, il ſe trouva comme un homme debaraſſé des liens, qui l'au-

roient tenu garotté; & il ſe vit enfin entièrement delivré. Alors Gabriel prononça ces paroles: Par cet amulet je te degage préſentement, & je te munis pour l'avenir contre tous les charmes, enchantemens & preſtiges des Sorciers.

Notum eſt, *Sanctos noſtros* eâ apud Deum gratiâ fuiſſe, ut, *quicquid petierunt* & adhuc petunt, *pro viventibus & mortuis*, *votis* reddantur *compotes*. Eodem loco, apud Deum ſe eſſe, gloriatur *Muhamedes*. Vide Tom. II. pag. 170. unde in notis *Editor*: „ Nous voyons ici & dans d'autres endroits de cette hiſtoire, que Mahomet fait la fonction de Mediateur & d'Interceſſeur, ſoit pour les morts, & pour les Muſulmans qui reconnoiſſent cette qualité. Ils diſent communement, qu'au jour du jugement il ſera le premier Interceſſeur; & le premier, dont l'Interceſſion ſera admiſe de Dieu. „

Si quis *S. Dominici veſtimento*, aut ad modum hujus factionis *facto habitu veſtium indutus eſt*, non ſolùm à multis *morbis* levatus eſt, ſed & contra *hæreſes* munitus. Suprà quid veſtimentum *Dominici* valuerit, audivimus; poſterius affirmat *Alphonſus de Caſtro*, *de Hæreſ.* Libro I. pag. 23. apud Ehingerum, dicens: „ Teſtor Deum, non mentior, me præſente, quidam in concione publica ad populum prædicans, in die quo agitur ſolennitas Sancti, (de Dominico loquitur) qui Ordinem inſtituebat, dixit Fraternitatem ſuam ac Societatem laudibus extollere volens, eum, qui habitum illius ſemel

induerit,

induerit, non poſſe eſſe Hæreticum. „ Quicunque Religionem admiſit ipſius *Muhamedis*, jam erat *à peccatis*, quæ commiſerat, *abſolutus*. Tomo II. pag. 87. Quùm quidam nomen dare vellet *Islamismo*, convertit ſe ad *Muhamedem* & dixit: O Apôtre de Dieu! je m'engage par ſerment, à condition que vous me remettiez mes vieux pêchés, & que vous oubliez le paſſé. L'Apôtre de Dieu me répondit: O Amru! prêtez ſeulement le ſerment, cela ſuffit; car la ſeule profeſſion de l'Islamisme abolit tout le paſſé, & la fuite pour cauſe de Réligion efface tous les pêchez commis auparavant. „

Templum, cui nomen *Sancta Portiuncula*, quo loco mirabiles viſiones habuit *S. Franciſcus*, *Deo jubente fuit ædificatum*. *Mecquæ* Templum *ejusdem* eſt *originis*, ſi *Muhamedanos* audimus. Tomo I. pag. 313. „ Les Juifs diſoient aux Muſulmans: Notre Kebla eſt plus ancienne que la votre; & la Maiſon ſainte de Jeruſalem eſt plus excellente que votre Ca'aba. Au contraire, repliquoit les Muſulmans, la Ca'aba l'emporte pour l'antiquité & pour l'excellence. Afin donc de determiner la dispute, ce verſet de l'Alcoran deſcendit du ciel: Certainement la premiére Maiſon, qui ait été miſe aux hommes, (pour l'objet de leur culte réligieux) *c'eſt celle qui eſt à Becra*, (c'eſt-à-dire à la Mecque.)„ *Dominicus*, quàmvis miraculis *illuſtris* & ad *emendandum* genus humanum *à Deo miſſus*, potuit tamen *contra ſacra conſcientiæ jura & præcepta Salvatoris*, homines *inſtigare ad errantes in fide*

 per-

perſequendos. Talibus enim Sanctis *omnia* licent. Eadem facultas conceſſa *Muhamedi.* Tomo II. pag. 383. „ Il lui étoit permis de prendre des dépouilles des ennemis tout ce qu'il vouloit, avant qu'on en eût fait le partage ; & outre cela après le partage fait, il prénoit la cinquième partie, & laiſſoit les quatre autres à partager entre les ſiens. Il lui étoit permis de commettre le meurtre dans la Mecque. „ Vide paſſim Tom. I. Lib. III. de expeditionibus contre Infideles ſuſceptis.

Per τα λειψανα *corporis Dominici*, *Ignatii & Franciſci* multa ſunt edita *miracula. Muhamedi* quidem tot *numero* non tribuuntur ; at certum tamen, ſi fides Scriptoribus, eum *vivum* adhuc & *ſpirantem*, ope *ſanguinis ſui & urinæ*, multos *ſanâſſe. Il avoit* (ità Tomo II. pag. 385.) *le ſang très pur*, *auſſi bien que l'urine*, *enſorte que par l'uſage que l'on faiſoit de l'un & de l'autre*, *on recouvroit la ſanté.* Nec *Sanctis noſtris* ſimilis tantùm fuit *Muhamedes* in pleriſque, ſed & *ſanctiſſimo Patri*, *Pontifici Romano.* Non minùs enim *ſibi* vindicare voluit *jus in univerſum Orbem*, quàm *Papa. Uter* autem *validioribus* inſtructus ſit *rationibus*, noſtrum non eſt decernere. Pag. 384. Tomo II. „ Il lui étoit permis de partager les terres, avant même qu'il s'en fût rendu maitre ; car Dieu lui avoit donné la poſſeſſion de toute la terre. C'eſt ce que prouve Gazali, en produiſant le partage, qu'il fit de pluſieurs champs, qui appartenoient aux enfans de Samin Al-Duri.

Qui

Qui *defuncti* Dominici cadaver contemplabantur, animadvertebant, *ſuaviſſimum odorem* ex corpore ipſius *egredi*; talem *odorem* avidis naribus traxerunt amici *defuncti Muhamedis*. Tomo II. pag. 301. „ Ali trouva, que tout ſon corps rendoit une très-ſuave odeur, auſſi bien mort que vivant; & c'étoit une odeur de Muſc. Car Omm Salama, une de femmes du Prophète, nous en aſſure en ces termes: Après que l'Apôtre de Dieu fut mort, je mis ma main ſur ſa poitrine, & quoi qu'il y eût une ſemaine que je n'avois ni mangé, ni abſolution ſacrée, néanmoins je ſenti ma main toute remplie, d'une odeur de Muſc très agréable. Pendant qu'Ali faiſoit l'ablution, il prit à la derobée une pièce d'étoffe ou un chifon d'un vieil habit déchiré, & l'ayant trempé dans cette eau, il le mit en cachète dans ſon ſein ſous ſa chemiſe; il en expérimenta dans la ſuite des effèts tous miraculeux. En effèt un jour comme on lui demandoit, d'où venoit ſa faculté intellective qui étoit ſi vive, & cette prodigieuſe mémoire qu'il avoit, il rèpondit: Dans le tems, que je lavois le corps du Prophète, j'apperçus quelques gouttes d'eau qui pendoit à ſes ſourcils & à ſes paupières; je les ſuçois auſſi-tôt, je les avalois, & je ſentis depuis que ma mémoire s'étoit merveilleuſement fortifiée. „ Vide inſuper pag. 309. 317.

Speculum vitæ *Franciſci* apud *Ebingerum* pag. 243. teſtatur de *Franciſco*: „ S. Franciſcus reſurget ante reſurrectionem, poteſt exſpectari devotè, ſed non asſeri temerariè. Tamen de-

votioni multùm ratio ſuffragatur; ut ſicut S. Franciſcus fuit ſimilis ſingulariter Chriſto paſſione, ſic etiam conformis ſibi præ aliis, anticipatione reſurrectionis, & maximè ad confortandam fidem. „ Non minoribus *fulgebit* honoribus *Muhamedes*. Audi *Gagnier* Capite XIII. Libro II. „ Il ſera le prémier, en faveur duquel la terre s'entrouvrira, pour le faire ſortir du tombeau. 2. Il ſera le prémier, qui reſſuſcitera au ſon de la trompette. 3. Il s'avancera vers le lieu du Jugement, eſcorté de ſoixante & dix mille Anges. 4. Il ſera préconiſé à haute voix par ſon propre nom au lieu du Jugement. 5. Il ſe tiendra à la droite du Thrône ſur un marchepied glorieux &c. &c. „ Videatur integrum Caput. Hæc ſufficiant. Plura vitas iſtorum hominum inter ſe conferenti occurrent, quæ probant, *non minùs fide digna eſſe, quæ traduntur à Scriptoribus Arabibus de Muhamede, quàm ea, quæ Legendiſtæ de Triumviris illis ſuperſtitionis propagandæ enarrant.* Comperiet, in ipſa *Religione*, ſi apparatum rerum ineptiſſimarum, quas tradiderunt *Triumviri iſti*, *Franciſcus*, *Dominicus* & *Ignatius*, ſpectes, aut nullum aut exiguum eſſe *diſcrimen*. Verbo: Si *miracula illa Ignatii Lojolæ*, *Franciſci*, *Dominici* ſunt à Deo, cauſſa non eſt, cur *Muhamedis* reſpuamus Religionem. Quod ipſum denuò *oſtendit*, in quas difficultates ſe conjiciant illi, qui *ineptiſſimis Legendis* fidem habent.

CAPUT

CAPUT XIII.

Diſquiritur, utrùm miracula illa Diabolo ſint tribuenda?

PRobavimus (ni fallor) ſatis, miracula illa, quibus illuſtres fuiſſe dicuntur *Pythagoras*, *Franciſcus & cæteri*, nec *Deum* poſſe habere *auctorem*, nec *Angelum bonum*. Reſtat ergò, ut inquiramus, cui tandem hæc miracula ſint tribuenda? Alterutrum autem eligendum: Nimirùm aut dicendum, *Diabolum* eorum miraculorum *auctorem* eſſe; aut prorſùs eſſe illa *falſa*, atque *à maleferiatis hominibus efficta*. Inter illos, qui putant, non minùs *Deum*, quàm *Angelos bonos* & *malos* poſſe patrare miracula, plerique in eam concedunt ſententiam, ut putent, miracula illa *à Pythagora cæteriſque* edita *ab alia cauſſa* oriri non poſſe, quàm *à Diabolo*, generis humani hoſte acerrimo aſtutiſſimoque. Et ad eam ſententiam tuendam non leves afferri poſſe videntur rationes. Et *primò* quidem ipſius rei *natura* huic opinioni *robur* videtur addere. Sanè ipſa *decreta* horum hominum *rationi* adeò ſunt *adverſa*, adeò *puerilia*, adeò Numinis Majeſtati *contraria*, cultus adeò *ineptus*, *ridiculus* & *portentoſus*, ut vix cogitari poſſit, aliam dari cauſſam *impudentiſſimæ ſuperſtitionis*. Non jam repetam, quæ ſuprà dixi, de inducta *per Pythagoram & Apollonium* ſuperſtitione, *quàm ſit fœda & cultui recto contraria*; hoc unum *de religione cultuque Franciſci &c.* dicam, ſi quis omnem

omnem operam diligentiamque impenderet, *ad Religionem omnem ex animis hominum radicitùs evellendam, atque fœdiſſimas & impudentiſſimas fabulas, imò Atheiſmum ipſum ſtabiliendum*, vix *quicquam* [illegible]ntis *erroribus* addere poſſet. Non unum ſpecimen ſuprà adduxi, quibus multò plura addi poſſent, niſi illa, quæ adduximus, talia eſſent, quæ *impudentiam* & *ſtoliditatem rei* ſatis probare poſſent. Vix igitur *fieri* poſſe putant quidam *Viri docti* & probi, ut tam *inepta*, tam *impia*, rationi & revelationi *contraria*, ab homine, cui vel *mica ſanæ mentis & ſenſus aliquis* atque *reverentia Numinis* ineſſet, excogitari poſſent. *Quærendam* igitur *Naturam* aliquam *malignam*, Deoque *inimicam*, quæ *tantarum blaſphemiarum fautrix ſit atque inventrix*. *A Diabolô* autem ſi diſcedamus, talem vix *inter homines reperiri* poſſe. Accedit, quod *Patres primitivæ Eccleſiæ* crediderint, *malignos Dæmones idololatriæ* ubique *graſſantis promotores*, atque Religionis chriſtianæ *ſurgentis*, atque omnes ferè terræ angulos *perrumpentis*, *hoſtes eſſe*. Res notior eſt, quàm ut multorum exemplorum inductione probari debeat. *Secundò:* vix alia ratio dari poſſe videtur, cur *tot homines* tantâ fuerint ſuperſtitione *dementati*, atque ad amplectendas tot ineptas opiniones *inducti*, quàm ſi ſupponas, *Diabolum ipſum falſis miraculis ità auctores & ſpectatores faſcinâſſe*, ut reverâ crediderint, quicquid *dictum factumque fuit* ab his hominibus, *extraordinariâ quâdam Numinis potentiâ accidere*. Et certè, ſi quis cogitet, *quot* hominum animos ſuperſtitionis illius contagio

per-

pervaſerit; quò uſque *progreſſus ſit* fœdiſſimus cultus, quàm inepta turpiaque facinora *produxerit*, quàmque altè hodiè in multorum animis ſit radicata opinio *de veritate rerum geſtarum*, vix impedire poſſumus nos, quò minùs credamus, *Diaboli operam interceſſiſſe*. Equidem quod miracula *Pythagoræ* attinet & *Apollonii*, certum eſt, ea non tantam vim habuiſſe in animis hominum, ut multum illis tribuerint; dubium certè, utrùm *Pythagoras* vivus divino honore fuerit *cultus*. Poſt mortem id factum teſtatur *Val. Maximus* Lib. VIII. Cap. XVI. asſerens: *Crotoniatas tanto ſtudio Pythagoram poſt mortem veneratos eſſe, ut domum ejus Cereris Sacrarium fecerint, & quoad Urbs Crotonenſis floruerit, Deum in hominis memoria, & hominem in Deæ religione cultum fuiſſe. Idem feciſſe Romanos* ex fragmento marmoreo evincit *S. Bayerus* in *Spicilegio Antiquitatum* pag. 136. Ut jam nihil de nummis *Samiorum*, in quibus *Pythagoras* lucido & ſcintillante corpore conſpicitur, dicam. Vide *J. Gronovii Theſes Antiquit. Tom. II.* & *Harduini Chronologiam Veteris Teſtamenti*, *pag.* 91. quod ante me obſervavit *doctiſſimus Vir*, *Theod. Krüger* in *Diſſertat.* de *aureo femore Pythagoræ.* Quantacunque autem fuerit *Pythagoræ* poſt obitum nominis *fama* atque *celebritas*, non tamen effecit, ut *integræ gentes* & *populi* cogitata ipſius atque *decreta* pro *normâ cultûs* habuerint atque religionis. Singulæ nationes privos habebant *Deos*, neque ad normam *philoſophicorum decretorum*, ſed *Pontificum* & *Sacrificulorum* nutum, ſacra publica adorna-

adornabantur. At *decreta* & opinio *de præſtitis miraculis Franciſci &c.* tam latè ſparſa atque in tanto honore habita ſunt, ut hodienum in *tanta litterarum luce* in *Italia*, *Germania*, *Luſitania*, *Hiſpania*, *Gallia*, *feſta ſolemnia in honorem illorum ſint inſtituta*, *magnâque pompâ celebrata. Undique populi eſt maximus confluxus ad honores divinos illis exhibendos*, *atque auxilium rebus in arctis ab ipſis repetendum.* (*) Notum inſuper, paſſim ab Eccleſiæ Romanæ Scriptoribus miracula illa & decreta *defenſitari.* Noti ſunt labores *Alani*, *Sedulii*, *Ferrandi*, *Gretſeri & aliorum*, in defendendis *ineptiis & ſtolidiſſimis actionibus Franciſci.* De quo videatur *Bayle*, voce *Franciſcus Aſſiſius.* *Tertiò*, *Scriptura Sacra* ità loqui videtur, ut *Diabolum auctorem* habeat falſorum miraculorum cultùsque idololatrici. Paſſim ad loca Scripturæ ſolent provocare illi ex Theologis, qui Diabolum *veri nominis miracula* patrare poſſe contendunt. Ità dicunt, vocari eum Θεὸν τȣ͂ αἰῶνος τȣ́τȣ. 2. Cor. IV. Ἄρχοντα τῆς ἐξȣσίας τȣ͂ ἀέρος. ad Epheſ. II. illas ἀρχὰς & ἐξȣσίας &c. apud eumdem Cap. VI. *tenebrarum Rectores* denotare; oſtendere hoc *Magorum Ægyptiorum hiſtoriam*; *Achabi* per Prophetas falſos *factam tentationem, ſolutionem* ipſius Diaboli conceſſam à Deo, ad ſeducendas gentes. 4. Tandem *Franciſcus*, *Lojola*, *Dominicus*, adeò familiariter uſi ſunt Diabolo, ut vix concipi poſſit, quin,

(*) De feſtis ridiculis in gratiam quorumdam Sanctorum inſtitutis, vide le Journal univerſel, Tom. VII. pag. 355. ſq.

quin, ſi Diabolo poteſtas eſt *miracula patrandi*, *frequenter fuerint deluſi*. Mox quaſi *cum ſtulto ludunt*, eum *objurgant*, *repellunt*; ille frequenter *adeſſe*, *teſtimonia de veritate miraculorum & doctrinæ edere*, conatus eorum *ſufflaminare*, ad varia *tentanda* impellere. Plura ſuprà adduximus exempla. Hæ ſunt *præcipuæ rationes*, quibus quis induci poſſet ad credendum, miracula, quæ *Franciſco cæterisque* tribuuntur, *auctorem* agnoſcere *Diabolum*. Quanquàm autem, quod *præſentem controverſiam* attinet, parùm *noſtrâ* interſit, utrùm *à Diabolo* illa miracula ſint, vel *efficta*; fatemur tamen, nobis magis veriſimile videri, portenta *à maleferiatis hominibus excogitata*, ad ſuperſtitionem *alendam & confirmandam*, quàm *à Diabolo* patrata. Nolo, quæ in genere *de auctore miraculorum* dixi ſuprà, repetere. Sum in ea ſententia, *veri nominis miracula à Diabolo patrari non poſſe*. Præcipuas adduxi rationes ſuprà. Ad ea autem, quæ jamjam in contrarium attuli, non difficile eſt meâ opinione reſpondere. Et quòd *primò* ipſam doctrinam & dogmata ſpectat, cultu item *quinque virorum iſtorum*, non diffitemur nihil illis *ſtolidius* excogitari poſſe. At nec ideò *Diabolo* hæc *ſunt attribuenda*. Notum, ſuperſtitionem, *exceptis Judæis*, olim totum occupâſſe orbem. *Chaldæi*, *Aſſyrii*, *Ægyptii*, *Græci*, *Romani*, ut de aliis populis nihil dicam, *ineptiſſimas foverunt opiniones de Deo*, *rebusque divinis*. Cultus erat *impurus*, *ineptus*, *barbarus*. Eum, ut pluribus deſcribam, nulla cogit neceſſitas; notiſſima

tiſſima enim hæc ſunt. (*) At quis *credat, tantam eſſe Diaboli potentiam, ut univerſum ferè orbem, invito Deo, ſibi ſubjecerit, omniumque mentes tot ineptis opinionibus infecerit? Majus ſanè*, abſit blaſphemia! Diaboli eſſet in hoc Univerſum *imperium*, quàm *omnipotentis Dei. Ingenioſiſſimus Anglus*, qui *Hiſtoriam Diaboli* nuper edidit, præter alia etiam quæ intendiſſe videtur, oſtendere voluit, *quàm ineptum ſit*, omnia, quæ unquàm *malè* & *ridiculè* acta ſunt, *Diabolo* adſcribere. *Meliùs* nobis tam *latè* graſſantis ſuperſtitionis *originem* pandit *Apoſtolus Paulus ad Romanos Cap. I.* Quandò enim *ſemel* mentes culturam *rationis* negligunt, neque decreta *illius* audiunt, facilè fieri poteſt, ut ſenſim ſenſimque prolabantur in *ineptas*, Deoque *contumelioſas opiniones.* Contigit hoc illis, quibus revelatio *divinitùs fuit conceſſa*, at ab iisdem *turpiter neglecta*, *pedibusque conculcata.* Quid mirum, ſi tam turpiter aberrarunt *illi*; quibus tam *felicibus* eſſe non licuit? *Communis* ferè hodièque recepta *opinio* eſt, Diabolum, ſi quod *enorme* peccatum patratum, ejus eſſe *auctorem*; quæ perſuaſio partim à *φιλαυτια* generis humani, partim *ab opinionibus Gentilium*, de *operationibus Dæmonum inſolitis*, orta. *Nolunt* homines, etiam *perverſiſſimi*, *agnoſcere naturæ ſuæ malitiam*, in alia longè negotia *culpam ſuam* transferre ſolent. Inter *Ethnicos* latè quaquaverſùm

(*) Vide de his doctiſſimè diſſerentem Artur Young, in der hiſtoriſchen Unterſuchung abgöttiſcher Verderbniſſe der Religion &c. Libellus Berolini editus Anno 1749. in 8.

verſum ſparſa fuit *opinio*, & adhuc dùm per *Orientem* paſſim viget, *Dæmones* quosdam generi humano inimicos, non ſolùm multa inſolita in terræ noſtræ globo facere poſſe; ſed & *homines*, *invitos* ſæpe, ad *impuras atque impias actiones* impellere. Hæc *peſtilens opinio* poſteà *à Pontificiis* fuit varias ob cauſſas *propagata*, & ad noſtra uſque tempora *à multis fideliter cuſtodita*; quod ex profeſſo Viri docti, qui *de potentia Dæmonis*, *Sagarum & Spectrorum* egerunt, oſtenderunt. Ex quibus ſimul patet, quid *de ſecunda ratione*, id eſt, *propagatione* ineptæ opinionis de ſanctitate *Franciſci*, cæterorumque, *cultu* item *inepto* planè ſentiendum ſit. Ego non miror, tot *miſeras mentes* infauſtiſſimo ſuperſtitionis ſydere *fuiſſe adflatas*. In mentem nobis revocemus *tempora*, quibus vixerunt *Franciſcus* & *Dominicus*, & in auras *evaneſcet* opinio *de Diaboli potentia in propagandis ſtolidis opinionibus*, *cultuque barbaro*. Paſſim inter *Clericos* & *Monachos* ſumma erat rerum divinarum & humanarum *ignorantia*. *Sacræ Litteræ* in paucisſimorum erant *manibus*; aut ſi *Verſio* erat quibusdam ad manus, nemo erat, qui ad *fontes* recurrere poterat. *Philoſophia & rationis cultura planè exulabant*. *Omnia ineptis ritibus erant cooperta & corrupta*. *Pontifices ipſi erant*, ut plurimùm rerum divinarum, *ignorantiſſimi*, γαστέρες ἀργαὶ, *per vim intruſi*, *impudentes*, *luxu & mollitie diffluentes*, *avaritiæ dediti*, *parati*, *omnem* caſtæ Religionis *ſenſum* in hominum animis *accenſum* extinguere, atque *dominium in conſcientias* ad ſe rapere. *Quàm ſtrenuè* autem

 id

id fecerint, neminem, niſi rerum *in Eccleſia* geſtarum *ignarum*, fugit. Acceſſit eodem tempore, *quòd barbarum illud crudeliſſimumque Inquiſitionis Tribunal fuerit* in præcipuis Europæ partibus *inductum;* per quod *tantus metus* hominibus *injectus eſt*, ut maluerint potiùs *rationi & conſcientiæ vim inferre*, quàm *examen inſtituere rerum credendarum.* Fuerunt quidem omni tempore, qui, *ratione* & *revelatiòne* duce, meliora edocti, non omnia *Romanæ Curiæ* decreta *amplecti* vel *approbare* voluerunt. At hi *pauciſſimi* erant, moxque *ſuppreſſi*, *violentiſſimisque perſecutionibus ad ἐχεμυθίαν redacti.* Ubi autem *Examen Religionis* pro *crimine* habetur, haud mirum, ſi homines tandem *obbruteſcant.* Naturâ mortales ad *ignaviam* proni ſunt, atque haud ſponte ad ea feruntur, quæ cum aliqua moleſtia conjuncta ſunt. Poſcit autem Examen Religionis *animum à præjudiciis vacuum*, *ſolertem & laboris patientem*, *fortem item contra quævis obſtacula*, *remoras injectura.* Opus eſt *ingenio non planè ſtupido*, ſubſidiis item ad veritatem inveniendam neceſſariis; at *pauci* inquirunt, *quibus fundamentis ſuperſtructa ſit religio cum lacte materno quaſi hauſta.* Omnia ferè eruditionis *præſidia* tùm temporis *ablata erant.* In *Collegiis* & *Cœnobiis* ignorantiſſimi homines dominabantur, & *ineptias* docebant; unde *quò quis ineptior*, *ſtolidus magis & ſuperſtitioſus erat*, *eò magis Curiæ Romanæ & Gnathonibus charus acceptusque erat.* Et quid mirum, eo tempore *opinionem* de virtutibus Sanctorum & cultûs, ineptiſſimi licèt, *neceſſitate* paſſim radices egiſſe in

in animis hominum; cùm hodienum *in tanta litterarum luce* paſſim *in Italia*, *Hiſpania*, *Gallia* id agatur, ut *cultus ineptiſſimus* non minuatur, ſed *conſervetur*; *opiniones ſtolidiſſimæ & Deo inimiciſſimæ non ſupprimantur*, *ſed alantur atque retineantur*. Si quis, ut omnia alia taceam, legat, quem cultum *Cives celebratiſſimæ urbis & totius orbis compendii*, *Pariſios* puto, *S. Genovevæ* tribuant; quibus *laudibus* eam in cœlum tollant, quas *virtutes & miracula* adſcribant, non *mirabitur* in aliis locis, ubi *tanta Virorum eruditorum copia* non eſt, *ſuperſtitionem altiſſimas egiſſe radices*. Legendus *eruditus tractatus cl. Wallini de hoc argumento*. 3. Quod *allata* ad rem confirmandam Scripturæ Sacræ *loca* ſpectat, non videntur illa probare, Diabolum miracula patrare poſſe; & ſi *poſſet*, nondùm probatum eſſet, ea, de quibus ſermo eſt, ipſi adſcribenda; tribuitur aliqua poteſtas Diabolo, quam in dubium non revoco; perſpicuè enim ſatis *Sacræ Litteræ* teſtantur, eum potentiâ, *humana* majore, inſtructum eſſe. At qui *plus valet* quàm homines, non ſtatim habet facultatem *miracula patrandi*, id eſt, *leges naturæ à Deo factas mutandi*. Non niſi gradibus perfectionis diſtincta eſt potentia *Angelorum*, & *mentium humanarum*. At Dei potentia *nullis limitibus* eſt circumſcripta. Quòd ſi *Diabolus* rerum phyſicarum magis eſt quàm *Philoſophus* peritus, atque multa efficere poteſt in aëre & circumjacentibus corporibus, quæ arte humanâ fieri non poſſunt, neque explicari, quâ ratione ab eo perficiantur; nondùm ſequitur, ejus *potentiam* eò

Judæis etiam neſcio quos Angelos mortis ſomniantibus. „ Hactenùs *Havercampius.* In *Magis* Ægypti nihil animadverto, quod *Agyrtarum* ſuperet *artes.* Diabolum aliquandò *ligari*, aliquandò *ſolvi*, non nego; neque tamen ſi gentes ſeduxit, *miracula* patravit, niſi dicas *omnes impoſtores*, qui *vanis ſtrophis* famam adquirunt, & hominibus variis artibus *imponunt*, *miracula patrare.* Quod denique *familiare illud Diaboli cum Franciſco & cæteris commercium* attinet, non magis *credibile* mihi vidètur, quàm *miracula* ipſa, quibus nobilitati eſſe dicuntur homines noſtri. Sanè *Diabolus* non eſſet *Diabolus*, id eſt, *verſutiſſimus* & *callidiſſimus* ſpiritus, ſi talia *à ſtolidis hominibus & fanaticis* paſſus eſſet. Non adeò *ineptit ille*, ut ludos ſe facere à quovis inſano patiatur. Non minùs igitur *ficta* à mendaciorum, id eſt, vitarum Scriptoribus puto, quæ *de Diabolo* dicuntur, quàm illa, quæ *de inſolitis illis portentis* narrantur; τερατολογοι illi omnia commenti ſunt, quæ *Heroës ſuos nobilitare* poſſent. At non adeò obtuſa pectora geſtant *noſtræ ætatis* homines, ut, quæ de Diabolo dicuntur, adeò facilè credant. Amiſit ille imperium ſuum pleriſque in locis, quia non *omnibus fabellis*, quæ de eo narrantur *paſſim*, *fides habetur.* Quemadmodùm in *Comœdia ſervus* aliquis variè ludens gratiam aliquam conciliare debet fabulæ; ità in vitis *Sanctorum*, aut *Ceritorum* potiùs, *Diabolum* malè docti *impoſtores* inducere voluerunt. At *fraus* & *inſcitia* pellucet. Quòd ſi verò Diabolus ſpeciem *hominis inducere* poteſt, atque ità *familiariter*, uti vita-

rùm Scriptores perhibent, *cum hominibus agere, ſermocinari, vel ſinè miraculis ingenia inertia, ſtupida, & ad ſuperſtitionem effuſiſſimam, veluti naturâ facta*, decipere poterit. Concludimus igitur, *minùs veriſimile eſſe, miracula, quæ Pythagoræ, Dominico, cæteriſque adſcribuntur, à Diabolo orta.*



CAPUT

CAPUT XIV.

Miracula, quæ Pythagoræ, Apollonio, Franciſco, Dominico & Lojolæ tribuuntur, à credulis & maleferiatis hominibus efficta ſunt.

IN antecedentibus Capitibus probavimus, miracula, quæ *Pythagoræ cæteriſque* tribuntur, neque *Deum*, neque *Diabolum* auctorem habere. Reliquum ergò eſt, ut oſtendamus, ea facta *nunquàm* fuiſſe, ſed *à credulis & maleferiatis* hominibus excogitata, atque deinde *adaucta* à poſteris. In anteceſſum tamen monemus, *nos*, dùm miracula illa efficta dicimus, *non negare*, ipſos illos homines, quibus talia adſcribuntur, *ineptis actionibus*, *quæſitâque quâdam* præ cæteris hominibus *excellentiâ*, vel *magis* vel *minùs*, *auctores* fuiſſe, ut talia *à credulis* partim, partim *maleferiatis* hominibus, in *vulgus* ſpargerentur. Non ſemel in ſuperioribus monui, *omnes in univerſum*, gradibus quàmvis *ſtultitiæ* & *malitiæ* diſtincti ſint, *ità locutos fuiſſe*, *ità vitam moresque ſuos inſtituiſſe*, *ut à morionibus & fanaticis parùm abfuerint*. Age ergò incipiamus *à Pythagora*, viſuri, quibus teſtibus innitatur opinio *de miraculis* ab ipſo præſtitis. Inter eos, qui tot miraculis illuſtrem fuiſſe *Samium Philoſophum* perhibent, referendi *Jamblichus* & *Porphyrius*. Is, qui hiſtoriam aliquam, aut rem geſtam narrat, aut *ipſe* vidit, aut à Viris *fide dignis*, qui eo tempore, quo res geſta dicitur, vixerunt, accepit.

Incertas traditiones, *rumuſculos*, *famam & veri & falſi nunciam pro indubitatis hiſtoriis non admittimus*. Neceſſe inſuper eſt, *ut is*, *qui rem à ſe viſam vel auditam narrat*, *ſit Vir probus*, *amore*, *odio*, *irâ vacuus*. Quòd ſi enim *cauſſæ* adſint *graviſſimæ*, quæ eum ad rem malè narrandam *inducere* potuerunt, haud facilè admittimus. Incidit autem *Porphyrii & Jamblichi* ætas in *Seculum* poſt Chriſtum natum *tertium & quartum*. *Pythagoras* autem, ſecundùm *Dodwellum*, Olympiade LII., ſecundùm *Loydium & Bentlejum*, *quadrageſimâ tertiâ vixit*. Cùm igitur duo illi Scriptores *tot* annorum *intervallis* demùm poſt *Pythagoram* vixerint, neceſſe eſt, ut ad teſtes *antiquos* ſatis, *fideque dignos* provocent, quandò nobis perſuadere volunt, *miracula illa verè geſta eſſe*. *Jamblichus* autem & *Porphyrius*, locis ſuprà citatis, ubi incipiunt narrationem editorum miraculorum, ad nullum planè provocant teſtem, *qui ea viderit*; ſed quaſi ex *tripode* narrant, exiſtumantes, *ulteriùs in illam rem non eſſe inquirendum*. *Jamblichus* initio operis ſui ſatis prodit, quibus fundamentis βιογραφια ſua ſuperſtructa ſit: „ Neque, *inquit*, ſcrupulum nobis injiciet, quòd jam diù neglecta fuerit hæc Secta, peregrinis quippè diſciplinis, & arcanis quibusdam ſymbolis involuta; quòdque etiam ſuppoſititiis atque adulterinis ſcriptis obfuſcetur, multisque aliis id genus difficultatibus obſepiatur; abundè enim nobis præſidii eſt in Deorum voluntate, quâ propitiâ multò etiam his magis ardua ſuſtinere pronum fuerit. Secundùm Deos autem, ipſum etiam divinæ hujus Philoſophiæ principem parentemque nobis

ducem

ducem adſciſcemus. „ Ità loquuntur *ſcilicèt*, qui *hiſtorias* ſcribere volunt. Poſt enarrata multa miracula *Pythagoræ*, ſed *nullis teſtimoniis* ſuperſtructa, interjectis paucis verbis *de Pythagoræ pietate & philoſophia*, ità *de Pythagoreis* judicat pag. 116. „ Omnes pariter Pythagorei proni ſunt ad fidem adhibendam talibus, qualia de Ariſteo Proconeſio & de Abaride Hyperboreo commenta referuntur, & quotquot alia ſunt generis ejusdem. Omnibus enim hujusmodi adhibent adſenſum: Multa quoque NB. & ipſi comminiſcuntur, ſæpèque talium, quæ fabuloſa videntur, mentionem faciunt; tanquàm nihil non credentes, quod ad Deum refertur. „ *Narratâ deinde fabellâ quâdam, ſtatim ab iis admiſſâ, pergit* Jamblichus *dicendo:* „ Adeòque iſti in omnibus, non ſe ſtultos eſſe exiſtumant, ſed eos, qui ſunt increduli. Non enim Deum quædam poſſe, quædam non poſſe, ut ſcioli putant; ſed poſſe omnia ſtatuunt. - - Fidem autem ſuis opinionibus inde fieri cenſent, quòd, qui primus earum auctor extitit, non vulgaris homo fuerit, ſed Deus; eratque hoc unum ex illorum dictis, quisnam fuerit Pythagoras? Ajunt enim, ipſum fuiſſe Apollinem Hyperboreum; hujus verò rei indicia haberi, quòd in ludis ſurgens femur aureum oſtenderit, quòdque Abarim Hyperboreum hoſpitio acceperit, & telum, quo vehebatur, ab eodem tulerit. „ Hactenùs *Jamblichus.* Similiter autem *Porphyrius.* Obſerva igitur fontem, unde manavit *fama* de editis miraculis. Nimirùm diſcipulos Pythagoræ *non puduit* aperta mendacia comminiſci, ut *famam* Auctoris Sectæ-

que, atque *eruditionem* & *pietatem* ejus quaquaverſùm *extenderent.* Quis autem non exiſtumaret, *homines illos*, dùm adeò candidè loquuntur, *hiſtoriam de miraculis evidentiſſimis teſtimoniis comprobaturos?* At nihil minùs. Initio Cap. XXVIII. ait Jamblichus: Τα ἀπ᾽ ἀυτοις θαυμαςα ἐργα ἐπιδειξωμεν ἑαυτοις, και τῳ λογῳ κοσμησομεν. *Dùm narrant, Pythagoram uno eodemque die Metaponti in Italia fuiſſe*, & *Tauromenii* in Sicilia verſatum, tanquàm ad rem *indubitatam* & ab omnibus confirmatam *provocant*, dicentes: Διαβεβαιουνται σχεδὸν ἁπαντες. Unde patet, *expudoratæ frontis* homines fuiſſe, qui *rem* in ſe prorſùs *impoſſibilem* lectoribus tamen *pro re geſta*, & quidem *certiſſimè geſta*, venditant. Quòd *Pythagoras* Abaridi *femur ſuum aureum* oſtenderit, ait: Πανυ τετρυλληται. Nimirùm *Plutarchus*, *Diogenes Laërtius*, *Ælianus*, Scriptores omnes tot Seculis *poſt Pythagoram* nati, *fabulam illam* recenſent; ergò res eſt πασης ἀποδοχης ἀξια. De teſtimoniis autem citatorum Auctorum mox videbimus. Earum itidem auctoritate nititur fabula *de fluvio Pythagoram ſalutante*, cujus, ut & aliorum τερατων, dùm mentionem facit *cl. Rittershuſius* in Notis ad *Porphyrium*, pag. 29. rectè addit: „ Videntur autem mihi iſtæ narrationes ejuſmodi eſſe, ut inter veras hiſtorias Luciani locum ſuum facilè tueri poſſint. Nam quid non Græcia mendax audet in hiſtoria? ut verbis Satyrici utar. Τȣ ἀυτȣ κομματος eſſe exiſtimo, quòd de Amoniano, Syriani cognato, Philoſopho, ſcribunt. Eum habuiſſe aſinum ſapientiæ auditorem: Credo, quòd ipſius anima prius inhabitarat corpus ali-

cujus

cujus Philoſophorum. „ Ità *acutè & ex vero* doctus ille Vir. Antequàm verò *Jamblichum* & *Porphyrium* dimittamus, atque altiùs aſcendamus ad cætera teſtimonia de *Pythagoræ* miraculis audienda & examinanda, duo de viris illis monenda ſunt, quæ oſtendunt, non multùm *auctoritati* eorum, quoad narrationem de vita & rebus geſtis *Pythagoræ*, *tribuendum*. *Primum* eſt, quod in univerſum Viri docti dudùm notarunt, *Jamblichum atque Porphyrium labanti ſuo tempore ſuperſtitioni ſuccurrere, & contra Religionem Chriſtianam, quæ caput extulit, omnibus viribus deprimere voluiſſe.* Hoc autem *ſe conſecuturos* ſperârunt, ſi *quem ex Philoſophorum grege* in ſcenam producerent, qui *ſanctitate* vitæ & rerum geſtarum *excellentiâ* cum *Chriſto*, ſanctiſſimo noſtro Servatore, *conferri* poſſet. Idem de *Philoſtrato* monent omnes, & *palpari* poteſt vaniſſimi hominis *inſtitutum*. *Alterum*, quod moneo, hoc eſt, nimirùm omnes, quotquot ſcripta *Porphyrii* & *Jamblichi* legerunt, deprehendere: *homines illos omnem operam diligentiamque collocâſſe, ut aliis perſuaderent, ſe inuſitatâ quâdam rerum divinarum cognitione ditatos eſſe;* hinc tot *inania & inepta de viſionibus, ecſtaſibus, ſermone cum Dæmonibus, communione cum Diis* narrant, ut facilè animadvertas, *impoſtores fuiſſe, qui, malitiâ & ſuperbiâ compulſi, quidlibet, quod auctoritatem ſuam ſuperſtitionemque turpiſſimam confirmare poſſet, ſint mentiti.* Prolixè hoc oſtendere poſſem, niſi otia mihi feciſſet *clariſſimus & doctiſſimus Brukerus*, Hiſt. philoſ. Tom. II. & III. ubi *copioſiſſimè eruditiſſimèque* hoc argumentum *tractat*, & inductione exem-

plorum

plorum *invictè* probat. Non adſunt, ut altiùs aſcendamus, *teſtes majore fide digni.* *Diogenes Laërtius Lib. VIII. Sect. XI.* duorum miraculorum mentionem facit, nimirùm *aurei femoris* & *ſalutantis* ipſum *Neſſi fluminis*; at præterquàm, quòd *Laërtius* recentior Scriptor ſit, quàm ut ſinè ulteriore examine fidem illi adhibere poſſimus; de priore ait: Λεγεται· de poſteriore: Πολλυς ἠν ὁ φασκων. *Plutarchus* partim miraculum de *piſcibus* aliter narrat, partim in *Numa* manſuefactæ aquilæ & monſtrati aurei femoris mentionem faciens, *impoſtorem* vocat *Pythagoram.* Quod miraculum de piſcibus attinet, rem ità narrat *Jamblichus*: pag. 27. „ Cùm Sybaride Crotonem iret, circa littus piſcatoribus ſupervenit, adhuc in profundo mari ſagenam piſcibus onuſtam attrahentibus, quantaque piſcium multitudo numero etiam definito capta eſſet, prædixit. Illis pollicitantibus, ſe, quicquid imperaturus eſſet, facturos, ſi eventus prædictis reſpondiſſet, mandavit, ut omnes ad unum piſces vivos dimitterent, poſtquàm ſingulos dinumeràſſent; quodque inprimis admirandum, piſcium ne unus quidem, multo inter numerandum elapſo tempore, diùque piſcibus extra aquam detentis, extinctus eſt, quamdiù ille præſens adſtitit. Poſteà piſcatoribus pretium ſolvit, & Crotonem contendit. „ Hanc hiſtoriam *longè aliter Plutarchus* & *Apulejus* narrant. *Plutarchus Sympoſ. VIII. quæſt. VIII.* rem ità narrat: Βολον ἰχθυων πριασθαι ποτε φασι τον Πυθαγοραν, ἐιτε ἀφειναι κελευσας την σαγηνην· i. e. *Fertur capturam piſcium emiſſe aliquandò Pythagoras,*

goras, ac captos dimitti juſſiſſe. *Apulejus* ſimiliter in *Apologia* pag. 294. ait: „ Pythagoram memoriâ prodiderunt, cùm animadvertiſſet, proximè Metapontum in littore Italiæ à quibusdam piſcatoribus everriculum trahi, fortunam jactûs ejus emiſſe, & pretio dato juſſiſſe illicò piſces eos, qui capti tenebantur, ſolvi retibus, & reddi profundo. „ Nihil dicam de temporum rationibus, quas turpiter confudiſſe oſtenderunt *Viri eruditiſſimi*, *Bentlejus* & *Lloydius*. *Ælianus* Lib. XI. Cap. XXVI. itidem refert: *Pythagoram eodem tempore duobus in locis fuiſſe, à Neſſo fluvio ſalutatum, & aureum femur oſtendiſſe*; provocat ad hoc probandum ad *Ariſtoxenum Muſicum*, qui de vita *Pythagoræ* libros ſcripſiſſe dicitur, laudatos *Laërtio*, *Porphyrio*, *Gellio*, *Ciceroni*. At, ſi vel maximè ponamus, hæc *ab Ariſtoxeno*, qui, *Cicerone* teſte, *Dicæarcho* æqualis fuit, narrata, nihil tamen hoc *ponderis* adderet teſtimonio Æliani, ſed potiùs probaret, hunc ipſum *Ariſtoxenum* fuiſſe hominem nullius fidei, credulum atque mendacem. Qui enim nobis perſuadere vult, *hominem uno eodemque temporis articulo in pluribus locis eſſe*, *& fluvios verba facere*, nùm ille ullam meretur fidem? At ille *Ariſtoxenus* non fuit αὐτόπτης rerum geſtarum. Narrat *Laërtius* Segm. XLVI., poſtremos *Pythagoreorum* vidiſſe *Ariſtoxenum*, qui floruit circa *Olympiadem* CXX., *Pythagoras* autem LX., adeò ut ad minimum juxta calculum *Menagii* CXC. effluxerint anni à morte *Pythagoræ* ad tempora *Ariſtoxeni*. *Cicero*, qui non ſemel *cum laude* meminit *Pythagoræ*, altùm ſilet *de portentis illis*.

Hermippus

Hermippus etiam librum de vita *Pythagoræ* ſcripſiſſe dicitur; fragmentum, quod ex eo adfert *Laërtius*, ſatis oſtendit, quid *de Pythagora* ſentiendum. Ità enim ſonat: „ Ait enim, illum, cùm in Italiam veniſſet, ſubterraneam feciſſe domum, matrique mandâſſe, quæ agerentur tabulis inſcriberet, tempusque adnotaret; deinde illum deſcendiſſe, ac dùm rediret, acta matrem demiſiſſe; exacto autem tempore aſcendiſſe Pythagoram ex effoſſa domo, ſqualidum ac macie confectum, advocatâque concione dixiſſe, ex inferis ſe aſcendere, atque ut ſibi fidem facere, recitâſſe quicquid effeciſſet. Eos verò iis, quæ dicebantur, affectos in lachrymas ejulatusque prorupiſſe, Pythagoramque jam divini quidpiam habere exiſtumantes, uxores ſuas illi in diſciplinam dediſſe, ut quidpiam ex illo addiſcerent, easque Pythagoricas vocatas eſſe. „ En *veram* miraculorum omnium, *Pythagoræ* adſcriptorum, *originem!* Idem obſervavit *Sophoclis Scholiaſtes*, quem citat *Menagius.* Hanc famam diſcipuli *creduli & inepti* propagârunt. Hinc eodem *Laërtio teſte*, *Seg. II. Pythagoram* Apollinem Hyperboreum eſſe opinati ſunt. Eum tamquàm *Deum* à diſcipulis habitum ſimiliter affirmat *Malchus* & *Philoſtratus* in *vita Apollonii.* Hinc ipſum *Pythagoram impoſtorem* appellârunt *Timon*, *Plutarchus*, *Lucianus.* Certè præter ea, quæ *Hermippus* de ſpelunca, in quam ſe abdidit, narrat, *aureum illud femur*, quod oſtentâſſe dicitur, ſatis oſtendit, *impoſtorem fuiſſe.* Tali arte uſus eſt *Alexander* apud *Lucianum in Pſeudomante. Subinde* (inquit *Lucianus* Tomo I.

pag.

pag. 771.) *inter geſtandas tædas*, *atque inter myſticas ſaltationes*, *femur illius de induſtria renudatum*, *aureum apparebat*, *pelle*, *ut conjicio*, *inauratâ circumdatâ*, *& ad tædarum fulgorem relucente.* Idem quin fecerit *Pythagoras* nullus dubito. Ità *donum Prophetiæ* inter *humeros* latitâſſe *Muhamedi*, ajunt ipſius admiratores. Vide *Gagnier* Tomo II. pag. 298. *Colligamus* igitur *in ſummam*, quæ hactenùs dicta ſunt, ad probandum, teſtes miraculorum fide dignos non eſſe. Obſervetur ergò: *Nulla monumenta ſcriptorum*, *vel à Pythagora*, *vel ab alio fide digno teſte ſupereſſe.* 2. *Multos fuiſſe Pythagoras.* 3. *Diſcipulos fuiſſe credulos & mendaces.* 4. *Teſtimonia omnia recentioris eſſe ætatis.* 5. *Multa impoſturæ indicia in Pythagoræ actionibus deprehendi.* 6. *Emblematicam philoſophandi methodum multis ineptis fabulis occaſionem dediſſe.* Et 7. tandem, *Porphyrium & Jamblichum multa incertâ traditione accepta ſinè examine admiſiſſe*, *multa exaggerâſſe*; unde meâ opinione facilè eſt conjectu: *unde fama de portentis à Pythagora editis fuerit orta.*

Tranſimus ad *Apollonium Tyanenſem*, prorſùs *Pythagoræ ſimilem Prophetam.* Vitam ipſius, ut notum eſt, conſcripſit *Philoſtratus*, de quo *omnes ferè eruditi* peſſimè ſentiunt, eumque potiùs *fabularum Scriptoribus*, quàm *rerum geſtarum fidelibus narratoribus* annumerant. Eumdem nullas hiſtoriæ leges in conſcribenda hiſtoria *Apollonii* adhibuiſſe, *communis* eruditorum *vox* eſt, & 1. quidem, ut paucis hoc oſtendamus,

mus, provocamus ad tot *aniles* & *ineptas narrationes*, quæ paſſim in hoc libro *Philoſtrati* referuntur. Deum enim *Apollonii itinera* narrat, omnem operam impendit, ut lectori *incredibilia* & *portentoſa* propinet, quæ tamen *ità comparata ſunt*, ut nonniſi *ſtupidi* planè, vel *infantes* decipi poſſint. *Nervoſè* in compendio ea proponit *illuſtris Huetius*, *Demonſtr. Evang.* pag. m. 1063. „Adeòne (inquit) fungum fuiſſe quemquam, vel ut perſuaderet ipſe ſibi, vel ut aliis ſe perſuadere poſſe ſperaret, prægnanti Apollonii matri Proteum, & aliis in templo Ægienſi aſpectabilem præbuiſſe ſe Æſculapium? Animalium voces intellexiſſe Apollonium, facultate hâc ab Arabibus imbutum, qui vel corde, vel hepate draconis comeſo, futura ex avium garritu præſentiant? quam peritiam & Indis Paracenſibus largitur. Interiit-ne funditùs genus illud hominum τετραπηχων Caucaſum incolentium, quorum nonnullos Apollonius, ac nemo deinde vidit? Quis eum credat vidiſſe Empuſam? Quis credat, mulieres Veneri dicatas, supernè nigras, infernè albas, apud Indos reperiri? Quid factum hoc mulierum genere, quod hodiè occurrit nuſpiam, niſi quas fortè ſol fuſcavit ſuperiore corporis parte, quæ velatæ non erant? Quanti ſtuporis eſt figmentum illud de puteo culpæ, per quem Indi jurare ſolent, de Cratere veniæ; de doliis duobus, imbrium uno, alterum ventorum; quibus apertis regio ventis perflatur, & rigatur imbribus; ſecùs verò, ſi occludantur? Jocularis verò eſt tota hæc Brachmanum ſcena, qui vel adſpe-

adſpectabiles ſe faciunt pro libitu, vel oculorum obtutus effugiunt; nec ipſi ſolùm choreas ducunt, ſed terram etiam, virgis ferientes, asſurgere, ac velut tripudiare faciunt, ipſi verò in aërem tolluntur. Hinc metempſychoſeos recoquit dogma, & nugas ad nauſeam funditat. Tùm in convivio Brachmanum tripodas deſcribit, crateras & fercula, ſponte & αὐτομάτως ad convivas accidentia, & Tantali deinde poculum illud amicitiæ nunquàm deficiens. Quàm inſulſum eſt, quod de epheſina peſte ſub pannoſi & mendici ſenis, ac deinde ſub Moloſſi ſpecie deliteſcente excogitavit? Apollonii verò nocturna pervigilatio ad tumulum Achillis, ejusque cum Achille congreſſus, pueriles ſunt ac germanæ gerræ; inter quas palmarium hoc eſt, quod ait Achilles, Nereides ad ſepulchrum ſuum ſæpè ventitare. Nereidem etiam quamdam Selera inſulam tenere alio loco garrit. Quid quod Ulmus apud Gymnoſophiſtas loquens inducitur à nugivendo illo Hiſtorico, & Apollonium ſalutans? „ Hæc *eruditiſſimus Huetius*. Si quis autem *adeò impudens* eſt, ut talia *pro veris* venditet, nùm fidem meretur in cæteris? Qui *verecundiæ* limites ſemel *transgreſſus eſt*, eum oportet gnaviter eſſe *impudentem*. Fecit id omni ſtudio *Philoſtratus*. Non ſufficiunt *innumeræ fabulæ* hactenùs *ex Huetio citatæ*; ſed miracula & portenta, ne quid deſit, addenda; partem eorum ſuprà adduximus. Plura inveniet *Lector*, ſi *mendacem Hiſtoricum* evolvere voluerit. Hinc rectè *Euſebius in Hieroclem* pag. 439. ſeq. ait: Nempe ego quidem lubentiſſimè probabilibus

rebus, & ad verum propiùs accedentibus fidem habens, licèt etiam quædam magnificè magis per exaggerationem, ad commendationem Viri boni afferantur, ea credenda eſſe amplectendaque mihi perſuadeo, modò ne monſtroſa ſint planè & ſtolidis figmentis referta. „ Et pag. 447. poſtquàm aliquot ex recenſitis *Huetio* fabulis adduxiſſet, addit: Δια της περι τουτων, ὡς ἀληθων, ἀφηγησεως και των λοιπων ἁπαντων ἐξεφηνε τε και διηλεγξε την μυθολογιαν. Accedit *ſecundo loco*, quòd perſpicuum ſatis, atque evidenter *à Viris doctis* demonſtratum ſit, *Philoſtratum* id agere, ut *Apollonium* ſanctiſſimo noſtro *Servatori* opponat, atque omnia, quæ *ipſe & diſcipuli* fecère *digna* mortalium fide atque attentione, *ineptiſſimo Philoſtrato* tribuat atque accommodet. Præter *Euſebium* inſtituto paralleliſmo oſtenderunt *doctiſſimi Viri*, inter quos diligentiâ omnes ſuperavit *eruditiſſimus & amiciſſimus Vir Jo. Jacobus Brukerus* ſuprà laudatus, *Tomo III. Hiſtoricæ Philoſophicæ.* Si *teſtes* inſpiciamus, non *minor* adeſt de miraculis *dubitandi cauſſa. Philoſtratus* res *ab Apollonio* geſtas non vidit, plus *centum* quippè annis *Apollonio recentior.* Teſtes, ad quos provocat, ſunt *Damis Babylonius*, *Maximus Ægienſis*, & *Maragenes.* „ De Damide (verba ſunt cl. Editoris Philoſtratorum, *Olearii*) cujus cumprimis auctoritate Philoſtratus nititur, id non obſervare non poſſum, eſſe in ipſa hac Philoſtrati hiſtoria maximè luculenta ſummæ ſimplicitatis ejus veſtigia, ità ut jocis paſſim luſibusque modò Apollonii, modò Indorum Philoſophorum patuerit. Non mirum igitur, hominem

minem ſimplicem multa retuliſſe παραδοξα, fando accepta; multa à Philoſophis audita, quæ ſenſu μυστικωτερῳ interpretari debuiſſet, in τερατολογιας convertiſſe; multa, quæ ab iis patrari videret, arte quâdam, eò, quod captum ſuum excederent, in mera miracula vertiſſe. „ In eamdem ſententiam concedit *cl. Brukerus Tomo III. Hiſt. Philoſoph. pag.* 311. & ſanè hinc inde non pauca ſunt hujus rei veſtigia. *Libro III. Cap. LIV. pag.* 132. Edit. *Olearii* ipſe *Philoſtratus* de rebus *à Damide* narratis *dubitat:* Ἐπει δε και, inquit Philoſtratus, ὁδε ὁ λογος ἀναγεγραπται τῳ Δαμιδι, σπουδασθεις ἐκει περι των ἐν Ἰνδοις μυθολογουμενων θηριων τε και πηγων, και ἀνθρωπων, μηδ' ἐμοι παραλειπεσθω. Και γαρ κερδος ἐιη, μητε πιστευειν, μητε ἀπιστειν πασιν. Id eſt: „ Quoniam autem & ille ſermo à Damide fuit in litteras relatus, qui inſtitutus ibi de iis, quas Græcorum fabulæ apud Indos celebrant, beſtiis fontibusque fuit & hominibus, mihi quoquè minimè eum prætereundum puto. Id enim lucri inde fortè quis reportabit, ut neque fidem adhibeat, neque deroget omnibus. „ Nùm ità loqui ſolent homines, qui *de probitate teſtis*, quem *unum* ſequuntur, *certi perſuaſique ſunt?* *Eodem Libro Cap. XLIII. pag.* 131. narrat *Philoſtratus*, *Jarcham Philoſophum Indum Damidem* ſalſè riſiſſe. „ Simul verò adverſùs Damidem (*de Jarcha ſermo eſt*) liberali joco uſurus, tu verò, inquit, nihil ne prænoſcis Aſſyrie, idque cum tali viro verſatus? Per Jovem, reſpondit Damis, quantum mihi opus eſt prænoſco. Cùm primùm enim in Apollonium huncce incidiſſem,

 plenus-

plenuſque ſapientiæ ille mihi viſus eſſet, gravitatis item ac temperantiæ, ut & continentiæ; cùm item memoriam in eo deprehendiſſem; doctrinam item ſummam, maximumque diſcendi ſtudium, Dæmona quemdam nactus ſum; hujuſque fruens commercio cognovi, quòd indoctus qui ſim & parùm ſapiens, eruditionis laudem ſim conſecuturus, barbaruſque anteà, in virum benè inſtitutum evaſurus, quòd item illum ſecutus, & cum eo Philoſophiæ operam navans Indos viſurus ſim, viſurus ſim etiam vos, inde & cum Græcis ſim converſaturus, ipſe factus ab eo Græcus. Veſtra autem quidem effata res maximas ſpectantia, Delphicum aut Dodonæum, aut aliud quodcunque volueritis, Oraculum ſtatuite; mea verò quoniam Damis eſt, qui iſta prævidet, & prævidet tantùm, quæ ad ſeipſum pertinent, præſtigiatricis ſunto aniculæ, de pecudibus & aliis hujuſmodi vaticinantis, quibus dictis in riſum effuſi ſapientes omnes fuère. „ Sanè *locus* ille *dignus* eſt, qui attentè conſideretur. *Primò* enim ex eo patet, *Jarcham* ipſum *Damidem* pro *ſimplici*, *fatuoque* habuiſſe. Ex antecedentibus patet, *Jarcham* illum magnificè *de Apollonio* ſenſiſſe, ejuſque virtutes *admiratum*. Converſus autem ad *Damidem*, longè *alio* utitur ſermonis *genere*. Atque vel ipſa reſponſio docet, qualis homo fuerit *Damis*. *Secundò*, hic ipſe *Damis* tamen antequàm *Dæmonium* accepit, ſtatim ac videt ipſum *Apollonium*, altiſſimè (ſi fides Philoſtrato) animum ejus inſpexit, dignumque *inſolitæ virtuti* ejus ſtatuit *pretium*; undè hæc ſapientia?

Aliàs

Aliàs ſapiens *nonniſi* & *eruditus* de ſapiente *rectè* judicat. Ille verò barbarus, de *re* omnium *longè difficillima*. *Tertiò*. *Impudens homo Socrati & Pythagoræ* ſimilis eſſe vult, quibus *Dæmon* aliquis contigit. Aut *fanaticum* igitur hominem, aut *impoſtorem* fuiſſe oportet *Damidem*, qui talia narret. Sinè dubio hàc ratione *fidem* voluit conciliare *anilibus fabulis*; at fruſtrà. Si quis *in carmine paſtorali paſtores ovium* inducit loquentes *de rebus ſummis*, ad *Rempublicam* aut *ſublimia* eruditionis *capita* ſpectantibus, de quibus *in ſcholis* agitur, ille meritò *exploderetur*, carminis hujus *naturam* ignorans. *Damis* noſter jactitat *familiare aliquod* cum *Dæmone*, non *ſinè Numine* datum *commercium*, confidens fore ut homines credant, non ſolùm dominum ſuum *Apollonium Deum eſſe*, ſed & *ſervum propiore* Numinis frui *amicitiâ*. At ità *ineptè* ſermonem inſtituit, tot *malè cohærentes narrat fabulas*, gerris ſiculis *ridiculas magis*, ut pro *Dæmone & ratione fungum* ei obtigiſſe *credas*. Miror igitur, *Philoſtratum* hæc ex ſcriptis *Damidis* narràſſe. At ſi rectè genium hominis novi, fraudem intendit *Sophiſta*. Videtur hàc re innuere voluiſſe, *Damidem* diſcipulis *JESU Chriſti* ſimilem fuiſſe, qui, poſtquàm in Chriſti diſciplinam traditi, ignorantiam *rerum divinarum* exuerunt, atque *cœleſti quâdam virtute* donati ſunt. Apparet interim ex eo, *quàm fidum rerum geſtarum teſtem ſecutus ſit Philoſtratus*. Certè ſi *nugivendulus ille tantâ* eſt *impudentiâ*, ut *Dæmonem* aliquem ſibi obtigiſſe, *contra omnem veri ſpeciem*, jactare auſit, *quis in cæteris rebus, quas enar-*

rat, fidem præſtabit? Quàm ſtultè autem credulus & inſanus *Apollonii admirator* fuerit, patet ex initio captæ inter *Apollonium* & *Damidem* familiaritatis. Lib. I. Cap. XIX. pag. 23. dùm antiquam Ninum pervenit *Apollonius*, occurrit ei *Damis*. „ Is (*ità Philoſtratus*) amore ejus captus & itineris cupidus: Ibimus dixit, Apolloni, tu quidem Deo, ego autem te duce uſus. Namque & ego non nullo tibi ero pretio. Si enim aliud nihil, Babylonâ ducens iter novi, & quicquid eſt urbium, inde haud ità pridem redux, vicosque in quibus commoda ſint plura. Imò & linguas Barbarorum, quotquot ſunt; ſunt autem Armeniorum alia, alia Medorum & Perſarum & Caduſiorum; omnesque eas ego intelligo. Ego quoque, ô amice, ille reſpondebat, has omnes novi, cùm nullam tamen didicerim. Et admirante Ninio, noli, inquiebat, mirari, quòd omnes hominum norim linguas, nam & quæ ſilentio homines premunt novi. Adoravit igitur eum Aſſyrius, ut iſta audiit, & quaſi Dæmonem conſideravit, eique ità adhæſit proficiens in ſapientia, & quicquid audiret memoriâ retinens. „ Adeò felix ingeniorum *explorator* eſt *Damis* iſte, ut, quem vix de facie noverat, ſtatim pro *Dæmone* quodam haberet. Si *naſum* habuiſſet *Ninius* ille, *Circulatori* illi tám *ſplendidè*, ut hic facit, *mentienti*, non ſolùm aures vacivas non præbuiſſet, ſed *impoſtorem civibus ſuis deridendum* propinâſſet. Quòd ſi ineptus homo talia credidit, quis dubitet, quin centies eum circumvenerit *Apollonius*. Quàm parùm inſuper ſibi conſtet *Philoſtratus* in ediſſerendis

ſcendis *Damidis* rebus, etiam ex hoc citato loco conſtat, *collato* cum iis, quæ *Lib. VII. Cap. XXXVIII.*, dùm in carcere erat *Apollonius*, de Damide refert. Ait nimirùm: „ Tùm primùm Damis naturam Apollonii accuratiùs perſpexiſſe, divina quòd ſit, & humanâ major. Neque enim ſacra ulla obeuntem (qui enim in carcere potuiſſet?) neque precationibus uſum, neque verbum proferentem ullum, pedicas contemtui habuiſſe: rurſùsque crure illis inſerto, ut vinculis qui eſſet conſtrictus, ſeſe geſſiſſe. *His adductis, hæc ſalſè* Philoſtratum & Damidem *ridens addit* Euſebius pag. 450. „ Ego verò vitio vertere quidem diſcipulo nolim tarditatem ſuam, quòd omne cum eo conſumens ævum, & ſuperſtitioſorum quorumdam rituum interventu mirabilia eum patrare videns, nihil eum mortali præſtare naturâ exiſtimârit; at verò etiam poſt tantum opus patratum, qualis ille exiſtat, ignorat: & ut fas ſit ignoranti, ob ipſum angitur atque timet, perinde ac ſi homo ſit nudus, ne quid ei, quod minimè vellet, eveniat. „ Dùm *Babylonis* mentionem facio, monendum ſimul eſt, *Damidem aperti mendacii reum eſſe;* Capite enim XXI. Libro I. narrat, quid *Babylone* geſtum fuerit. Atque ità urbis illius *magnificentiam & ſplendorem* enarrat, ut *crederes*, eâ ætate nondùm *Babylonem fuiſſe deſolatam*, contra quam *Plinius*, *Pauſanias*, *Tacitus* teſtantur; de qua re videndus *Bochartus in Chanaan Lib. IV. Cap.* 15. Eum *timidè ſatis Olearius*, *apertè* autem & *ſimpliciter* impudentis mendacii accuſat *cl. Brukerus pag.* 240. *Hiſt.*

Hiſt. Philoſ. Tom. III. Lib. II. Vitæ Apollonii Cap. XIII. pag. 51. fabuloſa multa narrat *Damis* de *Caucaſo*, ut nempè *Prometheus* in eo fuerit ligatus &c. addit *Philoſtratus* : Και δεσμα ὁ Δαμις ἀνηφαι των πετρων λεγει, ὐ ῥαδια ξυμβαλλειν την ὑλην· i. e. *Dicitque vincula Damis ex petris ſuſpenſa ſupereſſe, quarum difficile ſit materiam conjectura aſſequi.* Quæ cauſſa eſt, cur *Philoſtratus* fabulam recenſet, cùm ipſe inter fabulas referat? Unde quam fidem mereatur ille *Damis* pulchrè videmus. Non ſemel inſuper *Damis* in hac *Legenda* monet, quid *Apollonius* ab his vel illis *Magis* & *Philoſophis* didicerit; ipſe tamen ait, *Apollonium* omnia ſciviſſe. Diligenter loca annotavit *cl. Brukerus.* Obſervarunt inſuper *docti viri*, quæ *Libro III. & VI.* de rebus *apud Indos & Æthiopas* geſtis dicuntur, ex *Cteſia*, *Agatharchide*, aliiſque ejus *furfuris Scriptoribus* derivata, dudùm autem ab iis, qui ea loca peragrarunt, *falſi convicta. Cùm autem Philoſtratus* (utar verbis cl. Olearii) *ità omnia iſta referat, ut Apollonium Damidemque oculis ſuis ea dicat uſurpâſſe, vel mendaciſſimas fuiſſe oportet Damidis, ex quibus iſta habuit, ephemerides, vel ipſum pro arbitrio ſuo, quicquid in mentem veniret, ex πολυμαθειᾳ ſua derivatum, eis affinxiſſe.* Denique refert ipſe *Philoſtratus* Lib. I. Cap. III., non *Damidem ſuos Commentarios ipſum in lucem* edidiſſe; ſed per *quemdam familiarem*, cùm *Juliæ Severi uxori* innotuiſſent, in manus *Philoſtrati* incidiſſe, & *hujus Reginæ juſſu* ab eodem *in ordinem fuiſſe digeſtos.* At quis præſtabit fidem, *amicum illum Damidis non*

multa

multa ex ſuis addidiſſe? Juliam Philoſophiæ ſtudiis deditam fuiſſe memorant *Dio & Philoſtratus*; ſed & *Rhetoricæ*. Και γαρ τους ῥητορικους παντας λογους ἐπῃνει, και ἠσπαζετο. Unde ſatis *probabile*, ipſum *Philoſtratum*, Sophiſtam, omnem ſuam *eloquentiam* adhibuiſſe, atque *fuco* orationis *exornâſſe*. At parùm inter ſe conveniunt plerùmque *Veritas & Rhetorica*. Quid *de Mæragine* ſentiat *Philoſtratus*, ipſe aperuit Lib. I. Cap. III. Ὀυ γαρ, inquit, Μοιραγενει τε προσεκτεον, βιβλια μεν ξυνθεντι εις Ἀπολλωνιον τετταρα, πολλα δε των περι ἀνδρα ἀγνοησαντι. Cl. *Olearius* in Præfat. pag. 32. ex his verbis concludit, *Philoſtratum in adornanda illa hiſtoria Mæragenis nullam habuiſſe rationem*. Inter alia argumenta & *hoc* utitur; quòd *ingenio ſcopoque Philoſtrati*, qui *Apollonium* à Magiæ ſuſpicione purgare maximè nitatur, rectiùs *convenerit*, librum *Mæragenis*, in quo Magiæ ille fuerat inſimulatus, planè *rejeciſſe*, inutilemque judicâſſe; at ex hoc ipſo patet, *quâ fide uſus ſit Philoſtratus in conſcribenda vita Apollonii*. Quis dubitet, quin in *quatuor illis libris* multa fuerint, quæ ingenium, mores atque acta *Apollonii* demonſtrare potuiſſent? Quùm autem *teſtimonia*, quibus nititur *Philoſtratus*, adeò *imbecillia*, imò falſitatis admodùm *ſuſpecta ſint*, facilè patet, quam vim in animos legentium habeant *miracula*, quæ *Apollonio* tribuuntur. Quòd ſi tamen pleraque, quæ narrat *Philoſtratus*, (quod tamen, ſi rationem in conſilium adhibemus, fieri non poteſt) admitteremus, *miracula* tamen in gratiam ipſius *à Deo* facta eſſe, perſuadere nobis nullâ poſſemus

 ratione.

ratione. In antecedentibus probavimus, hominem hunc ineptiſſimè *omniſcientiam* ſibi attribuiſſe, perpetuum comitem *Deum* jactitâſſe, ad *ſuperſtitionem* ubique *graſſantem*, *alendam* & latiùs *diſſeminandam*, operam omnem atque diligentiam *adhibuiſſe*; verbo, *ſuperbum Sophiſtam & impudentem impoſtorem fuiſſe.* Unde facilè *Lector* animadvertit, quid ſentiamus de præſtitis ab eo miraculis. *Cl. Olearius*, & poſt eum *eruditiſſimus Brukerus*, ſententias Virorum doctorum, de miraculorum illorum auctoritate, *in três diſpeſcunt claſſes.* Sunt, qui putant, *omnia, quæ de portentis ipſius dicuntur à Philoſtrato & Damide, temerè eſſe conficta.* Alii putant, *non eſſe in dubium revocandam narrationem Philoſtrati & Damidis, ſed poſſe admitti; at miracula illa artis eſſe opus, atque Apollonium impoſtorem.* Sunt denique, qui exiſtimant, *Diabolum, Religionis caſtiſſimæ infenſiſſimum hoſtem, operam ſuam contuliſſe ad inuſitata illa prodigia efficienda.* Omnes illæ *Virorum doctorum* ſententiæ, *non omni carent veri ſpecie.* Per me fruatur quisque ſuo ingenio. *Nullam* tamen ego, ut verum dicam, *cauſſam video, cur Diaboli operam interceſſiſſe credam.* Neſcio, quâ ratione factum ſit, *ut multi eruditi tam faciles ſint in admittendis Diaboli operationibus.* Inter Gentiles omni tempore multa *inſolita* facta ſunt, *quæ aut Sacerdotum fraudibus attribuenda, aut mendacibus & credulis hominibus.* Quis non credebat olim, *in oraculis Gentilium divinam quamdam vim, aut hoſtis infernalis potentiam, intercedere?* Re autem *propiùs* introſpectâ, adeò *pellucet*

pellucet fraus à Sacerdotibus adhibita, ut, qui hoc non videat, ſit parùm attentus. At (inquiunt) *quædam ex narratis miraculis ità ſunt comparata, ut omni fraude & arte adhibitâ fieri tamen non potuerint.* Ità eſt; at priùs *probandum certis & indubitatis argumentis*, ea portenta facta, antequàm *de cauſſis & origine* eorum disquiramus. Poſtquàm *tot* adſunt *argumenta & teſtimonia*, *Damidem verum neque dicere potuiſſe, neque voluiſſe, utpotè ineptum, credulum, ſimplicem, mendacem; Philoſtratum res confuſè & ineptè congeſtas atque narratas pro lubitu exornâſſe; ipſum verò Apollonium impoſtorem, mendacem & fanaticum hominem fuiſſe;* quid vetat, quò minùs ſtatuamus, *nihil ab eo factum unquàm, quod vires humanas ſuperet?* Verum etiam eſt, *Lucianum & Apulejum Apollonium pro Mago habuiſſe.* At quid erat *Magus* ſecundùm illius ætatis opinionem? *nimirùm homo, qui familiari Dæmonum conſortio ſe frui, atque inſolita ſe patrare poſſe jactitavit, ipſo opere autem nihil efficere potuit.* Qui actiones & vitam *Apuleji, Alexandri* (cujus τραγωδίαν *acutiſſimus* recenſet *Lucianus*) *Jamblichi, Porphyrii*, aliorumque evolvit, facilè animadvertet, *quales homines fuerint Magi illi.* Crediderim itaque, *Apollonium ubique adfectâſſe perſonam hominis, qui extraordinariis dotibus eſſet ornatus, atque dictis factisque ſuis vim divinam attribuiſſe; Damidem, hominem extremè ineptum atque ſtolidum, avidis auribus cuncta Apollonii dicta excepiſſe, & pro Oraculis habuiſſe; utroſque famam atque exiſtimationem ſingularem aucupatos eſſe; Philoſtratum*

ſtratum denique, centonem illum à Damide relictum, in ordinem digeſſiſſe, exornâſſe, atque ex odio Chriſtianæ Religionis datâ operâ pleraque confixiſſe.

Succedant *Franciſcus* & *Socii*. *Quâ fide* nitantur ea, quæ *de miraculis* eorum dicuntur, jam videndum. Cùm probamus, vera eſſe, quæ *de miraculis Chriſti* narrantur, provocamus *ad diſcipulos ejus*, qui αὐτόπται erant, neque adeò *falli* poterant, niſi dicas omnes *lumine oculorum* deſtitutos fuiſſe. Asſerimus inſuper, *eos fallere noluiſſe*, quod *ex univerſa eorum indole ac vita* elucet. Erant equidem *piſcatores*, *ſimplices*, *nullis litteris tincti*; *at candidi*, *mentis ſanæ*, *nullâ ſuperſtitione capti*. Res à ſe *centies viſas* recenſent; *circumſtantias rei geſtæ narrant*; neque *ad perpetuas viſiones* provocant & *ecſtaſes*; ſed *nativâ quâdam ruditate* enarrant, *ſe fuiſſe piſcatores*, *vocatos autem per Chriſtum*, *ut teſtes eſſent rerum per ipſum geſtarum*, *utque ſanctiſſimam ipſius doctrinam omnibus annunciarent*. Fatentur inſuper, *ſe inuſitatis donis inſtructos*, *dono nimirùm linguarum*, & *facultate miracula patrandi*, *quibus uſi fuerint ad homines de rebus geſtis ſanctiſſimaque diſciplinæ divinâ origine perſuadendos*. Supponamus jam quidem primò *duodecim*, utì perhibet *Bonaventura cæterique*, F. *Aſſiſio fuiſſe diſcipulos*, *perpetuos vitæ comites*, *rerumque geſtarum teſtes*; hoc ſuppoſito tamen fatemur, nos eis *fidem* habere non poſſe, quòd tot *ridicula*, *abſurda* narrent; & ipſi tam *inepti* fuerint atque *ſtolidi*, ut aliis teſtibus opus eſſet, ad

ad probandum, *hos homines potuiſſe veritatem dicere.* Omnes actiones, quas *de Franciſco* narrant, *inſolitæ & portentoſæ* ſunt, imò *adeò ab omni* veriſimilitudinis *ſpecie* abhorrent, ut qui ea *ſe credere poſſe* ait, hominem oporteat eſſe aut *ſtolidè credulum*, aut *projectæ audaciæ.* Exemplorum ſatis ſuperque adtulimus ſuprà, quibus ſpecimen unum atque alterum addemus. Suprà notavimus, *neminem de veritate rei geſtæ certum eſſe poſſe, niſi ſatis de teſtium, cùm ipſe non viderit, veracitate perſuaſus ſit.* At homines *inepti, ad ſuperſtitionem creduli*, tales non ſunt, de quorum *probitate* perſuaſi eſſe poſſumus. Quis enim præſtabit fidem, *hominem ad miraculum credulum, ſuperſtitioſum, fanaticum, ſemper verum dicere?* Quis *distinguet* rem verè geſtam *à fabula & turpi mendacio?* Quis *probabit*, hominem ejusmodi *peccatum* exiſtumare, *ſi piâ*, uti loquuntur, *utatur fraude?* Qui enim non ſemel, ſed *ſæpiſſimè* impudentiæ limites transgreſſus eſt, eum in cæteris etiam *gnaviter* impudentem fore exiſtumamus. At veniamus ad exempla & actiones quasdam, teſtimoniaque proferamus de diſcipulis *Franciſci.* *Philippus Boſquierius*, qui *Antiquitates Franciſcanas* ſcripſit, Capite primo ait, *Franciſcum duodecim habuiſſe diſcipulos, uti Chriſtus.* „ Quidam eorum (*ità Boſquierius*) fuit raptus uſque ad tertium cœlum, ut frater Ægidius. Quidam fuit tactus labiis ab Angelo, calculo ignito, ſicut Eſajas, ſcilicèt Philippus Langus. Quidam loquebatur cum Deo, ut amicus cum amico, quaſi alter Moſes, videlicèt Frater Sylveſter puriſſimus.

Quidam

Quidam volabat ad divinæ ſapientiæ lumina, ut aquila, quaſi Evangeliſta, ſcilicèt Frater Bernhardus humillimus, qui ſcripturas profundiſſimas declarabat. Quidam fuit ſanctificatus à Domino, & canonizatus in cœlo, dùm adhuc viveret in hoc mundo, quaſi ſanctificatus in utero, ſcilicèt Frater Ruffinus, nobilis de Aſſiſio, Vir Chriſto fideliſſimus. „ De Fratre *Ægidio* ergò primò unum alterumque ſpecimen *candoris & ſapientiæ* adferemus. In *Alcorano Franciſcanorum* pag. 21. hæc ſunt: „ Frater Ægidius dixit: Ille homo Franciſcus nunquàm deberet nominari, quin homo præ gaudio lamberet labia ſua. Tantummodò defuit ſibi unum, ſcilicèt corporis magnitudo; ſi enim haberet tale corpus, quale ego habeo, ſcilicèt ità robuſtum, procul dubio totus mundus eum ſequi minimè potuiſſet. Pag. 50. Frater Ægidius Laicus cuidam Magiſtro Theologiæ, Prædicanti Sanctæ Claræ, & ejus ſororibus dixit: Tace, Magiſter, quia ego volo prædicare; qui ſtatim tacuit, & Frater Ægidius eructavit melliflua. Ibid. Pag. 51. Frater Ægidius dicebat, ſe quatuor vicibus natum; primò ex genitrice; ſecundò ex baptiſmo; tertiò in ingreſſu Ordinis; quartò, quandò ſibi Deus ſæpe apparuit, & fuit raptus. Et in hac nativitate, ut dicebat, perdidit omnem fidem ex aperta viſione eorum, quæ ſunt fidei. Pag. 52. ibid. Diabolus tam terribilis ei apparuit, quòd præ timore loquelam amiſit; & cùm Diabolus ſuper eum aſcendit & oppreſſit, Frater Ægidius ſurgere non valens, traxit ſe, ut potuit, ad vas aquæ benedictæ, quâ fide aſperſus,

ſus, fuit à Dæmonis moleſtiâ liberatus. Ibid. Doctrinæ Fratris Ægidii. Nihil eſt, in quo magis placeas Deo, quàm quòd te per gulam ſuſpendas. Quod ſic interpretatur: Homo ſuſpenſus non eſt in cœlo, & tamen eſt ſublevatus à terra, & ſemper reſpicit inferiùs; ità nos oportet humiliari. Pag. 53. Frater Ægidius cuidam dixit: Si vis Religionem intrare, citò interfice Parentes, ſed non materiali gladio, ſed mentali, quia qui non odit patrem & matrem, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. „ *Addam unum exemplum ex Antiquit. Franciſc. pag.* 164. „ Cùm Sanctus Ludovicus, Rex Franciæ, decreviſſet per Sanctuaria peregrinari ſeptennio, auditâque famâ veridicâ Fratris Ægidii & mirabili ſanctitate ejus, propoſuit in corde ſuo omnimodè viſitare, unde in ipſa ſua viſitatione divertit Peruſium, ubi audierat Fratrem Ægidium commorari. Et veniens ad portam Fratrum, ſicut peregrinus pauperculus, & ignotus paucis comitibus ſociatus, requiſivit inſtanter Fratrem Ægidium, nihil portario de ſua conditione revelans. Portarius verò ivit ad Fratrem Ægidium, dicens: quòd quidam peregrinus ipſum requirebat in portam. Statim verò Frater Ægidius vidit in ſpiritu, quòd ille erat Rex Franciæ, & quaſi ebrius de cella egrediens, curſu velociſſimo ad portam accedens, ruerunt ambo in amplexus mirabiles, & oſcula devotiſſima genu flexi ac ſi amicitiâ antiquiſſimâ cognoviſſent ſe. Et his ſignis charitativi amoris, nullum verbum alter ad alterum proferendo, ſe in omnimodo ſilentio ab invicem diſceſſerunt. Cùm ergò Rex recederet, unus

unus de ſociis ejus perquiſitus à Fratribus: quis ille eſſet, qui cum Fratre Ægidio ruiſſet in charitativos amplexus? reſpondit, quòd ille erat Dominus Ludovicus, Rex Franciæ, qui in peregrinatione pergendo voluit videre Fratrem Ægidium; & his dictis ipſe & ſocii Regis velociſſimè receſſerunt, Fratres autem dolentes, quòd Frater Ægidius nullum bonum verbum dixerat dicto Regi, dicebant, multipliciter conquerendo: O Frater, Ægidi! & quare tanto Regi, qui venit de Francia videre te & audire & habere aliquod verbum, nihil ei dicere voluiſti? Reſpondit ei Franciſcus Ægidius: Clariſſimi Fratres! non miremini, ſi nihil ipſe mihi, & ego illi aliquid noluimus dicere, quare ſtatim quòd nos amplexati fuimus, lux divina ſapientiæ revelavit mihi cor ſuum & ſibi cor meum; & in ſpeculo æterno illo conſtituti, quicquid ille cogitaverat mihi dicere, vel ego ſibi voluerам dicere, ſine ſtrepitu labiorum vel linguæ, cum plena conſolatione audivimus meliùs, quàm ſi labiis loqueremur. Et ſi voluiſſemus ea, quæ intùs ſentiebamus, vocalis ſoni miniſterio explicare, propter defectum humanæ linguæ, quæ non poteſt, niſi cum imaginatione figurarum, divina explicare ſecreta, potiùs ad deſolationem utriusque, quàm ad conſolationem, fuiſſet ipſa locutio. Et propterea ſciatis, quòd ipſe Rex receſſit mirabiliter conſolatus. Ad laudem Domini noſtri JESU Chriſti. „ *Ex paucis his ſpeciminibus* (plura enim nauſeam crearet adduxiſſe) quid de *Ægidii* noſtri *prudentia* in enarrandis rebus ſentiendum ſit, facilè judicabit cordatus Lector.

Lector. Pergamus ad cæteros, atque promiſcuè, prout *in Alcorano & Antiquitatibus heroica facta* narrantur, ita *Lectori propinabimus* legenda. Pag. 39. Alcor. „ Franciſcus & Bernhardus ſteterunt ſub porticu, nihil tegumenti habentes, cùm eſſet intenſiſſimum frigus, tunc mulier quædam credebat eos eſſe ribaldos & fures. Ibid. Frater Bernhardus per octo dies ſtetit non ſentiens conſolationes divinas. Ibid. Frater Bernhardus videbat unum Fratrem palafrenum magnum equitantem, & poſt eum fortiter ſufflabat, dicens: Nimis eſt altus & groſſus equus; non ſic docet regula. Fuit enim B. Bernhardus totus charitativus. Pag. 40. Frater Leo, cùm B. Franciſcum non reperiſſet in cella, vidit eum tam altè elevatum, quòd tangere poterat pedes ejus, quos oſculando & amplexando dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & per merita hujus ſanctiſſimi Viri fac me tuam miſericordiam invenire. Aliquandò vidit eum levatum ad cacumina montium. Pag. 42. Frater Leo B. Franciſcum poſt mortem ejus affectabat videre, & ob hoc ſe jejuniis & orationibus afflixit, cui apparuit B. Franciſcus, potus, jucundus & ſplendidus, habens alas cum pennis fulgentibus, & cum unguibus ad modum aquilæ decoratis. Tunc Frater Leo interrogavit, quare ſic volaret? Reſpondit: Inter alia dona, quæ Dominus mihi conceſſit, eſt, ut devotos Ordinis mei adjuvem, quaſi volans in tribulationibus eorum citiùs invocatus animas ad cœleſtia regna perducam, Dæmones verò unguibus feriam, ac Fratres reprobos & Ordinis perſecuto-

 res

res durâ punitione corrigam & diſcerpam. „ *Mentiuntur* autem aliquandò *ſancti Viri*, quod *malè interpretandum non eſt*; factum enim hoc ſine dubio *ad bonum finem*. Ità pag. 41. ait, *Leonem ſolum ſtigmata Franciſci tetigiſſe*. Paginâ autem 48. eamdem felicitatem contigiſſe *Fratri Ruffino* memoratur. Ibid. „ Frater Joannes tam ſimplex fuit, quicquid videbat B. Franciſcum facere, faciebat & ipſe; quandò Franciſcus Eccleſiam ſcopabat, juvit eum; ſi B. Franciſcus ſpuebat, & ipſe ſpuebat; ſi genu flectebat, & ipſe genua flectebat; & cùm ſuper hoc à B. Franciſco reprehenderet, reſpondit: Ego promiſi omnia facere, quæ tu facis. Pag. 56. Conradus de Offia in Feſto Purificationis rogavit B. Virginem, ut ſibi aliquam dulcedinem daret de illa conſolatione, quam exhibuit S. Simeoni; ſtatim fuit exauditus. Nam Domina noſtra apparuit magno lumine cum Puero ſuo ſpecioſo præ filiis hominum, & poſuit eum in ulnis Fratris Conradi, quem devotè accipiens & labia labiis imprimens, & pectori pectus aſtringens, totus liquifiebat in oſculis & amplexibus charitatis. Pag. 57. Frater Conradus fuit magnus Prædicator, & quinque mortuos ſuſcitavit, ut aſſeruit Diabolus. Ibid. Frater Jacobus de Romancio dixit, quòd Frater Juniperus per ſex menſes tulit ſilentium. Hujus odorem ſeu adventum Frater Joannes de Vallibus dixit ſe ſenſiſſe per 28. milliaria. „ Sine dubio ille *totus* factus eſt *naſus*, quòd quidam apud *Poëtam* Deos rogavit. Pag. 59. „ Frater Simon de Aſſio nunquàm Grammaticam didicit; & tamen de

de Deo tam altè loquebatur, quòd verba ejus ſupernaturalia videbantur, qui aliquandò ad ſuperiora raptus adeò inſenſibilis eſt effectus. Pag. 64. Frater Juniperus habuit quemdam Fratrem in diſcipulum, tam patientem, quòd ſi per totam diem verberatus fuiſſet, nihil dixiſſet, quandò Frater Juniperus dicebat: Plora; ſtatim plorabat; ſi ſtatim dixit: Ride; tunc ridebat. Cùm ejus mortem audiſſet Frater Juniperus, dixit: Non habeo ampliùs bonum in iſto mundo; & omnia utenſilia domûs frangens dixit: quòd totus mundus in morte ipſius erat deſtructus; & quòd ſi Fratribus non fuiſſet in horrorem, de oſſe capitis ſui duas partes faceret; de una ſcutellam, in qua comederet; & de aliâ ſcyphum, in quo biberet. Ibid. Frater Juniperus dixit: Ego vellem juxta mortem meam, quòd tantus fœtor exiret de corpore meo, quòd nullus poſſet appropinquare, & quòd finaliter me infoſſatum projicerent, & ibi ſolus abominabilis morerer & relinquerer canibus devorandus. Pag. 71. Joannes de Alverna ſemel in ſylva rogavit Chriſtum, ut appareret ſibi. Tunc Chriſtus apparuit ſibi ter vel quater, dorſum ei oſtendens, & nihil dixit; ſed Frater tam diù lachrymabatur, donec ei Chriſtus faciem oſtendit & manus ſuas extendit, ſicut facit Sacerdos, dùm ſe ad populum vertit. Tunc ſtatim acceſſit ad pedes Chriſti, quos ſibi ad oſculandum porrexit, quas lachrymis (ut altera Maria) rigavit; demùm manus ſuas ad oſculandum præbuit. Et Frater Joannes ſurgens ad pectus Domini acceſſit, & amplexatus eſt eum; &

Chriſtus verſâ vice eum oſculatus eſt. Deinceps de quâcunque profunditate Theologiæ prædicare potuit centies plus, quàm ſi eſſet in fornace ejus anima, & cor ardebat, & præ nimio fervore fortiter cogebatur clamare. Raptus ſemel elevabatur à Deo ſuper omnem creaturam, & anima ejus abſorpta & abſumta in abyſſo divinitatis, & ſepulta in pelago deitatis & infinitatis divinæ, in tantum quòd nihil creatum, nihil formatum, nihil imaginatorium, nihil ſenſibile, nihil comprehenſibile, & hujusmodi cor vel lingua poſſet cogitare vel loqui. Erat enim anima ejus dilata ſicut gutta vini in latitudine maris, & nihil videlicèt niſi Deum in omnibus, & ſupra omnia, & infrà omnia, & extrà omnia, & ibi ſenſit tres perſonas in uno Deo &c. Sic meditando & ejulando & lachrymando ad lumina ineffabilia prædicta pervenit. Pag. 65. Frater Andreas de Anania quàdam vice cùm appetiſſet aviculas aſſatas comedere, & præparatas ante ſe haberet, nolens appetitui condeſcendere, ſigno crucis facto, mandavit, ut abirent, quæ ſtatim revixerunt & avolarunt. Pag. 73. Joanni de Alverna Miſſam celebranti apparuit cum pulcherrima barba, indutus veſte rubeâ, hinc certificatus fuit, quòd propter iſtam Miſſam placatus fuit Deus pro toto mundo, & maximè pro ſuis recommendatis. Pag. 78. Magna copia piſcium tàm magnorum quàm parvorum audivit prædicantem Fratrem Antonium, omnes tenebant caput aliquantulùm extra aquam; majores ſtabant in loco profundiori, ubi aquarum non

erat

erat profunditas; parvi & mediocres verò juxta Antonium propinquiores aſtabant; & cùm prædicâſſet, aliqui piſces vocem emittebant, aliqui aperiebant ora & ſubmittebant capita; deinde piſces à B. Antonio licentiati, lætati cum mirandis ludis receſſerunt. Pag. 80. Quidam, nomine Bolenus, noluit credere, quòd Hoſtia conſecrata eſſet corpus Domini, & dixit, quòd ſua aſina comederet Hoſtias; quod audiens B. Antonius Miſſam celebravit, & Hoſtiam conſecratam aſinæ detulit, & oſtendit; ſtatim aſina genu flexit, & capite inclinato reverentiam exhibuit; quod videns Bonelus factus eſt Catholicus. Pag. 96. Frater Joannes Buca tam ſanctus fuit, quòd homines bibentes de lotura corporis ejus liberabantur ab infirmitatibus. Ibid. S. Bonaventura de Balneo tam ſanctus fuit, quòd M. Alexander de Ales diceret aliquando de ipſo, quòd in eo videbatur Adam non peccâſſe. Ibid. Frater Drodro tam ſanctus fuit, quòd ei Angelus ſervivit ad Miſſam, & alius Angelus ei aquas præparavit ad ambulandum. Ibid. Frater Gualterius, Epiſcopus Pictavienſis, injuſtè à Papa Clemente V. eſt depoſitus, & poſt mortem ejus citatus eſt Papa in cedula apparere coram æterno judicio, & ſtatuta de ſubita morte Papa diſceſſit. „ Tædet jam quidem, plura deſcribere. *Ejusdem metalli* ſunt reliqua, quæ dicuntur. *Provoco jam ad omnium conſcientiam, utrùm homines, qui adeò ſplendidè mentiuntur, tam aniles, ſæpe blaſphemas fabulas recenſent, pro teſtibus haberi poſſint rerum, vel per ſe vel per alios geſtarum, præſertim in re maximi momenti?* Accedit,

cedit, quòd homines illi, quantùm ex adductis patet, *exiguam conſcientiæ rationem* habuerint. Quàm præclarè *de Sacris Litteris* ſenſerint, vel *Diſcipuli Franciſci*, vel *Auctores Legendarum*, patet *ex citationibus locorum Scripturæ*, quibus *utuntur*, *ad divinam originem Franciſco conciliandam.* Sumamus unum atque alterum exemplum *ex Alcorano Franciſcanorum.* Pag. 9. „Fecit Deus magna in B. Franciſco, qui potens eſt, Luc. I. nam poſuit in ipſo prodigia. Pſ. XLV. Et B. Franciſcus poteſt dicere illud Dan. III.: Signa & miracula fecit apud me Deus excelſus. Pag. 12. Quomodò & ad quid Deus fecit Franciſcum, oſtenditur Gen. I. & II., ubi ſic ſcribitur: Faciamus hominem, id eſt, Franciſcum, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris &c. Pag. 16. Hunc Franciſcum figuravit Joſeph, miſſus à patre ad fratres ſuos. Gen. XXXVII. & Eſajæ VI. Ecce ego mitto me. Pag. 18. Vitis, de qua tres propagines ortæ ſunt, Gen. XL. ſignificat tres Ordines, ſcilicèt Minorum, pauperum Dominarum, Fratrum & Sororum de Pœnitentia. Pag. 19. Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium; non ſolùm de Filio Dei intelligendum eſt, ſed de illis ſanctis hominibus circa mundi finem venturis, id eſt, Franciſco & Dominico. Pag. 23. Figura prophetalis (Ezech. IX.) etſi primò ſit de Chriſto, tamen ſecundariò eſt de Franciſco, ſecundùm viſionem Fratris Pacifici, qui vidit in facie B. Franciſci Tau S. in fronte. Pag. 84. Abbas Joachim, & alii quidam videbant Franciſcum ſtigmatiſandum, juxta dictum

dictum Chriſti Joh. VIII. Abraham vidit diem meum, & gaviſus eſt. Pag. 174. B. Franciſcus cum ſua profundiſſima humilitate vicit Luciferum (de quo Eſajæ XIV.) & univerſos ſpiritus malignos. Pag. 189. Cùm Bonaventura deberet de craſtino prædicare de B. Franciſco, in loco S. Mariæ de Portiuncula, tenens librum Apocalypſeos ante ſe, cœpit inſtantiſſimè orare Deum, quatenùs dignaretur ſibi revelare; de quo fuit dicta illa Prophetia Apoc. VII. de Angelo habente ſignum Dei vivi; & vox de cœlo venit dicens: Frater Bonaventura! Figura illa liberaliter dicta eſt de B, Franciſco. „ Plura non addam. *Tædet ineptiarum & blaſphemiarum.* Fortè *quis dixerit*, negari haud poſſe, teſtes illos omnes homines fuiſſe *rudes litterarum*, *ſimpliciſſimos*, *credulos etiam quàm maximè;* at hoc non *impedire*, quò minùs *teſtimonium* exhibere poſſint de rebus, quas oculis ſuis viderint. Ad hoc enim nihil aliud requiri, niſi ut quis *cæcus* non ſit, & *planè mente non captus.* Reſpondeo, verum eſſe, non *ſingulare acumen ingenii* poſtulari, *ad teſtandum de re oculis ſubjecta.* Interim dùm *ſole meridiano clariùs* pateſcit, *homines impudentiſſimos* quaslibet fabulas ab aliis narratas *admiſiſſe, atque incredibili ſuperſtitione dementatos fuiſſe*, quis (cùm teſtimonia de veritate præſtitorum miraculorum ad manus non ſint) *dubitare* poterit, *quin millies fuerint decepti*, *quin inſomnia cum rebus verè geſtis confuderint; imò omni poſito pudore & promiſcuè quicquid in buccam venit deblateraverint?* hinc veluti *oracula* ſuas nugas recitant. Frater

 Ægidius

Ægidius dixit; Frater *Antonius* videt &c. *Nullas rei, perſonarum & temporis circumſtantias referunt.* Quòd ſi *talia* admittenda ſint, *nihil unquàm tam ineptè & ſtolidè fuit dictum, quin ſacrum erit atque divinum.* Si Diſcipuli *Chriſti* fuiſſent *adeò inepti, ut de ſe ſtultiſſima quæque narrâſſent;* ſi omni ſuâ agendi ratione perſonas *hominum fanaticorum & ſuperſtitioſiſſimorum* egiſſent, quis tandem *crederet* ſtupenda miracula, quæ à Chriſto facta perhibent? Nemo certè, niſi cui pro ratione *pepo* obtigiſſet. *Hæc in genere de teſtibus & qualitate teſtium dicta ſunt.* Conſideremus autem unum atque alterum, quòd magis adhuc oſtendat, *quàm incertis, imò vaniſſimis traditionibus* innitatur narratio de portentis & miris, quæ tribuuntur *Franciſco.* Inter *omnia portenta*, quæ *de Franciſco* narrantur, *portentoſiſſimum* ſine dubio eſt id, quod *de ſtigmatibus*, corpori ejus impreſſis, narratur. Res in ſe ſpectata *adeò ab omni veriſimilitudinis ſpecie* abhorret, *ut aliquot centuriæ miraculorum vix mihi fidem facere poſſent, rem verè geſtam. Antiquiſſimus teſtis*, qui admirabilem illam fabulam narrat, *eſt Bonaventura Cardinalis. Hic natus eſt* Anno 1221., obiit autem Anno 1274.; *mortuus autem eſt Franciſcus Anno* 1226. Non potuit igitur ille *teſtis* eſſe *rei adeò inuſitatæ.* Sed rem ab aliis fortè *narrari* audivit; niſi ipſe *excogitavit.* Redit ergò tota vis narrationis ad auctores, qui *Bonaventuræ rem miram & inſolitam* narrârunt. Ponamus autem, Diſcipulum Franciſci *Bonaventuræ* narrâſſe; quæritur denuò: *utrùm diſcipulis, adeò ſtolidis & ineptis*, ut ſu-

prà

prà audivimus, *fides ſit habenda?* *Alcorani pag.* 8. asſeritur, *Bonaventuram fabulam iſtam habuiſſe ab illis, qui hoc viderunt & palpàrunt, & juramento confirmàrunt.* At ſuprà audivimus ex *eodem Alcorano* pag. 41., *Fratrem Leonem ſolum cum Franciſco fuiſſe in monte Alverne, & huic ſoli tangenda vulnera conceſſiſſe.* Quod, ut audivimus, alio loco negatur. Pag. 235. apud Boſquierium novem vulnera viderunt. Quis autem *mentitus ſit*, Frater Leo, an multi illi, qui *Bonaventuræ* narràrunt, an *Bonaventura*; explicent nobis *Manes B. Franciſci.* Pag. 197. provocatur *ad teſtimonium B. Mariæ & Angelorum*, ad probandum *miraculum illud miraculoſiſſimum.* At hæc teſtimonia *non valent apud artis hiſtoricæ peritos.* Pag. 198. meminit *Alcoranus Bullæ Gregorii Papæ IX. de ſtigmatiſatione B. Franciſci.* Quantum teſtimonia illa valeant, facilè eſt dijudicare. Non dubito *Bullam à Papa editam, ad confirmandam rem miram & inſolitam.* Notum enim eſt, quid *valuerit* eo tempore, quanquàm & noſtro, *ſuperſtitio & impudentia Pontificum.* Et ſi eò *dementiæ Papæ* pervenire potuit, *ut in Sanctorum numerum referret Franciſcum*, *Bullam* etiam edere potuit; de quo argumento Capite ſequente agemus. *Omnis* ergò *fides* de ſtigmatibus impreſſis nititur *auctoritate Fratris Leonis & Franciſci.* Qualis homo fuerit autem ille *Frater Leo*, partim ſuprà audivimus, partim hìc unum alterumque ſpecimen adferemus. Pag. 40. Alcorani: *Frater Leo, cùm B. Franciſcum non reperiſſet in cella, vidit eum tam altè elevatum, quòd tangere potuit pe-*

des ejus, quos oſculando & amplexando dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & per merita hujus Sanctiſſimi fac me, tuam miſericordiam invenire. In Antiquit. Franciſc. inde à pag. 210. uſque ad pag. 230. ſpecimina *ſtoliditatis ſummæ hujus Leonis*, qui appellandus potiùs *Aſinus*, leguntur. Ità pag. 216. „ Glorioſæ innocentiæ, quæ corpus decorat, animam ad gratiam introducit & ad gloriam, amator S. Franciſcus, propter magnam puritatem & columbinam innocentiam, quam in Fratre Leone cernebat, ipſum frequentiùs ducebat pro ſocio, & ad decreta ſua, tàm diebus quàm noctibus, ſæpiùs admittebat. Quapropter inter omnes ſocios Sancti Patris, qui plus de ſecretis ejus & mirabilibus ejus ſciverit, fuit Frater Leo prædictus. Nam ipſe frequenter eum vidit elevatum in aëre, ipſe etiam audivit eum frequenter cum Chriſto loquentem, & cum B. Virgine, & cum Angelis. Inſuper vidit lucem igneam de cœlo ſuper S. Franciſcum deſcendentem, & vocem de ipſa luce audivit cum ipſo loquentem. Ipſe autem quâdam die, cùm pariter incederent, vidit ante faciem S. Franciſci crucem pulcherrimam præcedentem, & Chriſtum in iſta pendentem. Et videbat, quòd ipſa crux mirabilis cum S. Franciſco ſtante ſtabat, & cum ambulante ambulabat, & quocunque Franciſcus pergebat, illa ante faciem ejus præcedebat; & erat crux illa tanti ſplendoris, quòd non ſolùm S. Franciſci illuminabat faciem, ſed etiam illuminabat & decorabat aërem circumquâque, & Frater Leo clarâ luce cernebat. „ Plura tædet adſcribere.

Huic

Huic homini fidas ergò in narratione *rei inuſitatiſſimæ;* ſanè ejusmodi homini facilè perſuadeas, *rotunda eſſe quadrata*, *& aëra plenum eſſe alatis bobus.* Miraculum autem hoc *ejus eſt naturæ, ut ſi verè obtigiſſet*, atque fidis teſtibus *confirmatum fuiſſet*, per omnes terras illius *fama* fuiſſet ſparſa. Nullus Hiſtoricorum, qui tùm temporis *vivebant*, atque *res notatu dignas* chartis commiſerunt, ſilentio prætermiſiſſet. At *Matthæus Pariſius*, qui *iisdem temporibus* vixit, atque ſuperſtitioſus valdè erat, dùm horum ſtigmatum mentionem facit, ait: *neque in latere, neque in pedibus vel manibus unicum veſtigium vulnerum deprehenſum.* Obſervavit hoc dudùm *illuſtris Mornæus* Myſt. Iniquit. pag. m. 730. & Hoſpinianus de Origine Monachatûs pag. 221. Novi hunc Scriptorem *Pontificiis quibusdam eſſe exoſum*, quòd *in vitis Pontificum* enarrandis *liberiùs* verſatus fuerit; at ſufficit, quòd *idem* ſuperſtitioni *addictiſſimus* fuerit. *Quænam ergò*, quæres, *origo eſt & fons opinionis de veſtigiis impreſſis Franciſci corpori?* Si *ipſum ingenium & mores diſcipulorum, qui* τέρατα *illa* ψευδῶς *ſtudioſè collegerunt & propagârunt*, mecum perpendo, nihil aliud mihi perſuadere poſſum, *quàm Franciſcum & per vivam quamdam imaginationis repræſentationem non ſemel de vulneribus Chriſti cogitâſſe; &, cùm ſtudio ſingulari incitaretur Chriſtum imitandi in iis, quæ naturam humanam ſuperant, quæque à nemine mortalium poſtulantur, per ſomnum ei totius rei narratæ ſcenam altè adeò animo fuiſſe impreſſam, ut ſomno excitatus reverâ ſibi perſuaſerit, tale quid factum eſſe.* Hoc quin *narra-*

narraverit vel Fratri Leoni, vel alii, non dubito; at *homines extremè dementes & ſuperſtitioſi*, fabulam *ad ſuperſtitionem craſſiſſimam propagandam*, & initæ Societati decus conciliandum (hoc enim miraculum duobus ante obitum annis contigiſſe dicitur) *aptiſſimum* videntes, pro re *certiſſimè* geſta ubique *venditârunt*, *multisque circumſtantiis exornârunt.* Si cui hoc difficile ſit creditu, eum oportet *perpendere:* 1. Haud difficulter fieri poſſe, *ut accedente forti imaginatione & adpetitu homines tandem confundant res in ſomnis oblatas cum rebus geſtis.* Hiſtoria *ſagarum*, *melancholicorum & mente captorum* hoc ſatis probat. 2. *Miraculum ipſum*, ſive *circumſtantias*, ſive *cauſſam efficientem & finalem* reſpicias, ità ab omni veri ſpecie *abludit*, ità *in omnes ſanctiſſimæ Religionis partes & capita* peccat, ità denique *abſurdum & blaſphemum* eſt, ut nemo illud *admittere* poſſit, niſi qui aut *extremâ divinarum & humanarum rerum ignorantiâ* laborat, aut *omnem Religionem albis dentibus* ridet; *ſupponenda enim ſunt multa miracula, eaque eum in finem facta, ut craſſiſſima idololatria & ſuperſtitio confirmetur.* 3. Si vel *centeſima pars* earum rerum, quas *Franciſcus* ſibi tribuit ex mente *Βιογραφων vera* eſt, *evidentiſſimè* patet, hominem hunc *ineptum*, *fanaticum & ſimpliciſſimum* fuiſſe. Quid ergò impedit, quò minùs *rem in ſomnio oblatam*, rem item ſine dubio *deſideratam*, pro vera habuerit? In *Alcorano Franciſcanorum* totidem verbis dicitur, *Franciſcum falſas aliquando viſiones habuiſſe;* ita enim verba ſonant: *Franciſcus ſurgens de oratione venit*

nit ad Fratres turbatiſſimus, dicens: Ego vellem, quòd iſtum habitum non inveniſſem; Dominus enim NB. mihi revelavit, quòd de Ordine meo exibit Anti-Chriſtus & Secta ejus. Sed à Maffeo confortatus Franciſcus vidit aliam viſionem, quòd per Fratres ſuos convertetur totus mundus, & quòd tantùm mali erunt de Ordine Anti-Chriſti. 4. Si *urgeas*, tot circumſtantias, cum miraculo ſeu potiùs *mendacio* conjunctas, velim cogites, *hoc in omnibus miraculis fictis locum habere.* Aperiantur *legendæ*, *hiſtoriæ de crucium, idolorum, ſtatuarum, ſanctorum valore, reliquiis, miris, quæ geſta dicuntur*, & videbis, *nihil unquàm tam abſonum, incredibile, narratum, traditum, acceptum, quin multis circumſtantiis veſtitum, exornatumque fuerit.* 5. Tandem ſi quis potiùs ſibi *perſuadeat*, *Franciſcum*, unà cum paucis quibusdam *diſcipulis*, *fabulam illam excogitâſſe*, fortè etiam ut aliquam mendacio ſpeciem conciliarent, *in extremis corporis partibus, figuras vulnerum acceptorum incidiſſe, atque credulam & ſtultam plebem turpiter decepiſſe*, is me quidem non habebit prorſùs *repugnantem.* Nota eſt hiſtoria *Jacobitarum Bernenſium.* Nota alia exempla. *Similem impoſturam* refert *Chriſtoph. Khevenhiller in Annalibus Ferdinand. Part. III. pag.* 52. ad annum 1588. Adducit illam *Ebingerus* loco citato pag. 88.; ità autem narratur: Eben in dieſem Jahr war eine Nonn, ſo ſich *Maria de la Viſitation* genannt; aber in gemein wurde ſie *la Monca de Portugall*, Nonn aus Portugall, geheiſſen. Dieſe hat ganz Spanien nach ihr gezogen; denn ſie ſo viel *Miracula* und

und Gnaden von Gott, nach Prophezeyungen fingiret, daſs ihr auch die allerwizigſten, gelehrteſten und heiligſten Männer geglaubt, und ſie als eine Heilige æſtimieret. Unter andern hat ſie die fünf Wunden Chriſti an Händen, Füſſen, in der Seiten gewieſen, oft in *Ecſtaſi* geweſen, faſt nichts geeſſen, und den Kopf alle Wochen, als wenn ſie *ad imitationem Chriſti* die dörnene Cron mit blutigen Wunden und Riſſen aufgehabt hätte; daher ſie durch ihre Scheinheiligkeit in einen ſolchen *Credit* kommen, daſs ſie in Portugall in ihrem Kloſter Æbtiſſin worden, da ihre untergebene Nonnen zu Zeiten an ihr, daſs ſie heimlich geeſſen und andere Sachen gebraucht, gemerkt, und davon *der Inquiſition parte* gegeben. Und wie gleich dazumal Erz-Herzog Cardinal Albrecht von Oeſterreich bey ſeinem *Guberno Inquiſitor Major* in Portugall geweſen, hat er ſie zu examinieren den Erz-Biſchof *zu Liſabona*, *Fray Auguſtin*, erwehlten Erz-Biſchof *zu Braya*, *den Doctor Paul Alphonſe*, geheimen Rath, *den Patrem Georgium Petronum ex Societate*, *den Licentiatum Antonium de Mendoza*, des Königs Rath, *den Petrum Fray Joan de Guevu*, *Dominicaner*, des Erz-Herzogen Beichtvater benennt: Welche groſſen Fleiſs angewendet, auf die Farth zu kommen, und leztlich auf die Stein kommen, daſs ſie zu den Wunden rothe und ſchwarze *Miſtur* gebraucht, und zu der Verzükung in die Biegen, an Hand und Füſſen Pergament gehabt, damit, wenn ſie ſich movieret, es, als wenn es die Glieder thäten, gekracht;

au

auf dem Kopf hat ſie ihr ſelbſt kleine Wunden, als wenn Dörner gewesſt wären, ausgeſtochen, und ſich ſehr ausgehüngert, und das ohne *Contpact* des böſen Feindes, und zu keinem andern End, allein daſs ſie begehrt für heilig gehalten zu werden. Als nun der Betrug offenbar worden, und ſie ſolchen mit groſſer *Contrition* bekannt, wurde ſie abſönderlich eingeſperrt; und wie ſie zuvor eine Teufels-Märtyrin geweſen, alſo hat ſie mit groſſer Reu und Leid dergeſtalt abgebüſst, daſs ſie eine rechte Büſſerin geſtorben. *Der Fray Luis de Granazia*, ein gelehrter, gottſeliger Mann, (wie es ſeine ausgegangene Bücher bezeugen) hat dieſe Nonn auf das höchſte defendiert; und wie er hernach den Betrug geſpührt, hat er ſich alſo geſchämt, daſs viel davor gehalten, es habe ihm das Leben gekoſtet, wie er dann in wenig Wochen hernach ſeliglich verſchieden. Ita Khevenhiller. Veriſimilior tamen mihi videtur prior ſententia, ſi ad animum revoco *mores ingeniumque Franciſci & diſcipulorum.* Mecum ſentit *B. Lutherus, Tomo IV. latino Jenenſi fol.* 192. *b.* dicens: „ Ego puto, *inquit*, merum figmentum, ad ludibrium eſſe, quod ipſi de hâc re dixerunt. Sed eſto ſanè, quòd Franciſcus putavit in corpore ſtigmata, ut pingitur, tamen non ſunt impreſſa propter Chriſtum, ſed ea ipſe ſibi impreſſit ex ſtultâ aliquâ devotione, ſeu potiùs inani gloriâ, quâ titillare ſe potuit, quòd tam vehementer dilexerit Chriſtum, ut etiam vulnera ejus corpori ſuo impreſſerit. „ Non magis credo, quæ *de indulgentia*, uti loquuntur, divino

divino conſilio *Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Portiuncula* dicuntur *in Alcorano Franciſcanorum.* Rem attentione noſtrâ dignam haud exiſtimaremus, niſi *illuſtris Abbas Lenglet du Freſnoy* fabulæ hujus *patrocinium* ſuſcepiſſet. Refert autem *ſummam* rei prorſus inſolitæ Lengletus in Methodo tractandi Hiſt. pag. 349. Edit. germ. ita: „ Cùm aliquando S. Franciſcus in ardentiſſimis occupatus eſſet precibus, apparuit illi Angelus atque præcepit, ut intraret templum, ibi enim adventum ſuum exſpectare Chriſtum, Mariam & innumerabilem Angelorum multitudinem. Cùm eò pervenerat, plenarias indulgentias expetebat à Chriſto, concedendas illis, qui ædem Portiunculæ eſſent viſitaturi. Hoc cùm impetrâſſet, Pontificem, Deo ita jubente, Honorium convenit, atque ab eo poteſtatem, indulgentias publicè promulgandi, non tamen definito die, quò hoc futurum eſſet, accepit. Chriſtus eum in finem denuò comparuit, diemque indulgentiarum conſtituit; nimirùm ingens multitudo Angelorum templum, in quo ipſum Chriſtus exſpectaret, intrare juſſerunt. Cùm eò pervenerat, in genua coram Chriſto procidit, eumque ſupplex rogavit, ut diem, quo indulgentiæ eſſent promulgandæ, definiret; indulſit hoc Franciſco Chriſtus, & Kalendas Aug. ſibi placere reſpondit. Atque hoc die ædem S. Portiunculæ fuiſſe initiatam. „ Hanc hiſtoriam inter *Pontificios* in dubium vocavit *Dominus de Sainte Beuve;* hoc uſus argumento, *quòd Bonaventura, qui vitam Franciſci conſcripſit, viſionis illius mirabilis nullam fecerit mentionem;*

nem. Viſionem igitur illam excogitatam, ut Feſto illi major accederet auctoritas. Ad hæc multa regerit *illuſtris Abbas:* 1. Provocat *ad teſtimonium Stephani Baluzii*, qui *Miſcellan. libro IV.* veritatem hujus viſionis ſolidè probaſſet. 2. Credibile non eſſe, hanc viſionem admiſſam eſſe, niſi homines de ejus veritate certiſſimè fuiſſent perſuaſi. 3. Ante finem Seculi XVI. vel *neminem*, vel *pauciſſimos* iri inventum, qui miraculo illi fidem detraherent; cur *à Chemnitio* hoc factum ſit, facilè conſtare. 4. Seculo XIV. & XV. *Dominicanos & Franciſcanos* mutuis odiis & diſceptationibus *exarſiſſe*, nunquàm autem *Dominicanos Franciſci diſcipulis* de veritate hujus viſionis *controverſiam moviſſe.* 5. Cùm certum ſit & exploratum, *Pontifices huic ædi indulgentias conceſſiſſe*, certò inde *inferri* poſſe, *hoc factum ob viſionem illam planè ſingularem.*

Ad hæc reſpondeo: 1. Mirum eſt, *eruditum* Virum, *rem ineptam Deoque contumelioſam defendere.* Fabula extat in *Conformitatum libro*, quem *in indice* appellavit *ſacrum & horribilem.* Vellem, ut *memor* fuiſſet eorum, quæ *de miraculis Monachorum* pag. 227. Cap. XIII. *prudenter* monuerat. 2. Vellem, ut *integram* enarrâſſet *fabulam.* Tot enim *ineptis & portentoſis* circumſtantiis impudentiſſima narratio *ſtipata*, ut nauſeam creare jure poſſit. 3. Cùm *illuſtris Abbas* ad *Baluzium* provocet, qui narrationem *ſolidè* probaverit, teſtimonium, quod affert, hìc lectoris oculis ſubjiciam, quod extat *Miſcell. Tom. IV. pag.* 490. *Edit. Pariſ.* Ita autem ſo-

nat: „ Teſtimonia de indulgentia conceſſa Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Portiuncula. In nomine Domini. Amen. Ego Frater Benedictus de Arecio, qui olim fui cum Sancto Franciſco, cùm adhuc viveret, & diviná gratiâ operante ipſe Pater ſanctiſſimus ad ſuum Ordinem me recepit, qui Sociorum ſuorum ſocius fui, & cum ipſis frequenter & in vita Patris noſtri, & poſt ipſius receſſum, de hoc modo ad Patrem cum eisdem discretis Ordinis collationem frequenter audiviſſe à quodam Sociorum ſuprà dictorum B. Franciſci, qui vocabatur Frater Matthæus de Marignaco, qui fuit homo veritatis & probatiſſimæ vitæ, quòd ipſe fuit cum B. Franciſco apud Peruſium, ante præſentiam ſanctæ memoriæ Domini Papæ Honorii, cùm petivit indulgentiam omnium peccatorum pro illis, qui contriti & confeſſi convenirent ad locum Sanctæ Mariæ de Angelis, quæ alio nomine *Portiuncula* nominatur, primâ die Kal. Aug. à veſpere dicti diei uſque ad veſperas ſequentis diei. Quæ indulgentia cùm fuiſſet tàm humiliter quàm conſtanter à Beato Franciſco poſtulata, fuit tandem à ſummo Pontifice liberaliſſimè & gratiſſimè conceſſa, quàmvis diceret ipſe Pontifex, non eſſe conſuetudinis Apoſtolicæ Sedis talem indulgentiam facere. Hæc ſuprà dicta confiteor ego Frater Rainerius de Mariano de Arecio, ſocius venerabilis Fratris Benedicti, me audiviſſe frequenter à ſuprà dicto Fratre Matthæo, Socio B. Franciſci, cui Fratri Matthæo & ego Frater Rainerius fui ſocius ſpecialiſſimus. Item coram Fratre Angelo Miniſtro, Fratre Bonifacio Gardiano,

diano, Fratre Bertolo de Peruſio & aliis Fratribus in loco Portiunculæ, Petrus Calſanus dixit, quòd interfuit conſtructioni Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Portiuncula, & audivit tunc B. Franciſcum plura prædicantem coram venerabilibus Epiſcopis, & habebat quamdam cedulam in manu & dixit: Ego volo vos omnes mittere ad Paradiſum, & annuncio vobis indulgentiam, quam habeo ab ore ſummi Pontificis. Omnes vos, qui veniſtis hodie, & omnes, qui venient annuatim tali die, corde bene contrito, habebunt indulgentiam omnium ſuorum peccatorum. Ego volui pro octo diebus, ſed non potui. „ Hoc eſt *ſolidum* iſtud & *omni exceptione majus teſtimonium.* Certè *non opus fuiſſet*, ut ad *Baluzium* provocâſſet *illuſtris Abbas*; idem teſtatur *Liber Conformitatum* & *Boſquierius*; at fruſtra eſt *hoc teſtimonium.* Frater ille *de Arecio* hiſtoriæ de mirabili viſione ne verbo hìc meminit, de qua unicè quæſtio eſt. *Audivit ſaltem à* Fratre de Marignaco, *indulgentiam* in gratiam *Portiunculæ ab Honorio* conceſſam, quod nec *Bonaventura* negat. An autem non potuit *hæc indulgentia* concedi *à Pontifice ſine illa viſione?* Ille ipſe Frater *de Marignaco* interfuit, cùm Franciſcus *ab Honorio* ſingulare illud privilegium peteret; at *non* asſerit, *ſe audiviſſe Chriſtum Angeloſque cum Franciſco colloquentes*; quod unum volumus. Totius ergo narrationis fides nititur *auctoritate Franciſci*, qui diſcipulis narravit, *eam ſibi contigiſſe viſionem.* 3. Huic autem *tutò* fidere non poſſumus, non ſolùm *ob ingenium planè ineptum & fanaticum*; & quòd in-

innumera de ſe (ſi fides Legendis) narravit; *quæ ſtolida planè & incredibilia ſunt*; ſed & quòd *res ipſa* fieri non potuit, *quia Deo & ſanctiſſima Religioni eſt contraria.* Si quis centies *clamaret*, ſibi per viſionem *revelatum*, *Jeſum non verum eſſe Meſſiam*, nemo tamen ei fidem haberet, ſed *pro inſano* aut *impoſtore* haberetur. At hæc, quæ viſione ſibi obtigiſſe narrat *Franciſcus*, *ſimilia* ſunt *huic propoſitioni.* Quid enim aliud eſt, *negare Chriſtum unicum & verum Redemtorum*, quàm *aſſerere*, *omnes quotquot ad ædem aliquam confluxuri ſunt*, *propterea remiſſionem peccatorum habituros?* Audi verba quæ extant in *Alcorano*, pag. 145. ſq. *Chriſtus dixit: Franciſce! multùm ſolicitus es cum tuis ſociis pro ſalute animarum, quia datus es in ſalutem gentium. Et ipſe jacebat quaſi raptus in conſpectu Deitatis, & tandem reverſus ad cor dixit: Sanctiſſimè Pater noſter! Supplico ego peccator, quatenùs facere digneris hanc gratiam humano generi, quòd concedas veniam & indulgentiam omnibus & ſingulis, venientibus ad locum hunc, omnium peccatorum ſuorum univerſaliter & generaliter; & ipſa divina Majeſtas ſtatim locutà eſt, dicens: Satis grande eſt, quod petiiſti*, (addit Gloſſator: O irriſorem Satanam! quaſi aliquid majus ſit remiſſione peccatorum,) *dignus es, Frater Franciſce, & majora habebis; & ego orationem & petitionem admitto.* Quis *talia dicenti* tandem credere poterit? An adeò *Chriſtus* ſibi eſt *contrarius?* Atque hæc etiam cauſſa eſt, cur *Chemnitius* ſine prolixo examine *fabulam* rejecerit. Satis ille oſtendit, *quàm contra-*

vjæ ſint illæ indulgentiæ ſanctiſſimo Dei verbo & æterno Chriſti λυτρῳ. Unde *ex hac ſola ratione* illam potuit rejicere. Utrùm igitur *Chemnitius negando*, an verò *illuſtris Abbas affirmando*, præjudicatis opinionibus aliquid conceſſerit, judicium eſto penes *eruditum lectorem.* 4. Sed ait *doctiſſimus Vir*, qui factum ut homines *rem adeò inſolitam* admiſerint? At *argumentum hoc* plus probaret quàm probandum erat, atque adeò nihil probat. Si vera eſt hæc argumentandi ratio, ſequeretur, *omnes ineptias, omnia ementita miracula, quibus nemo eo tempore, quibus facta dicuntur, contradixit, pro certiſſimis veritatibus eſſe admittenda.* Quot *inſulſæ fabulæ* demùm Seculo XVI. proſcriptæ, quas tanquàm *Oracula* admittebant *Monachi?* Si quis *tempus*, quo vixit *Franciſcus*, conſideret, ſi *graſſantem ubique ſuperſtitionem, ignorantiam, Paparum auctoritatem, ſuppreſſum omne Religionis liberum examen* ſibi ante oculos ponat, facilè *cogitari* poteſt, quâ ratione *inepta illa viſio* cum innumeris aliis ſine contradictione admitti potuerit. *Bonaventuræ Legenda non melior Libro Conformitatum.* At quis ante *Lutherum* tandem ineptias illas *exploſit?* 5. Cauſſa in promptu eſt, cur *Dominicani* hanc viſionem in dubium non revocârint: *Negandæ fuiſſent omnes ſtultæ actiones & portenta, quæ Franciſco tribuuntur.* At cùm *Legenda Dominici ejusdem furfuris* libellus ſit, neque *minùs ridiculus & ineptus*, timebant, ne in ſe *retorquerent* telum *Dominici* diſcipuli; & ſi quid tale *editum fuiſſet*, dubium non eſt, *quin mox publicâ auctoritate fuiſſet ſuppreſſum.* Quod in ſpe-

[redacted]

Digitized by Google

cie *Antonium* attinet, certum eſt vel ex adductis ſuprà ſpeciminibus, *hominem fuiſſe ineptiſſimæ ſuperſtitioni addictiſſimum.* Quis autem ſperet, *talem* (ſi vel maximè inepta eſſet fabula) *reclamaturum?* Scripſit hiſtoriam ſuam circa Annum 1458., *quo tempore altiſſimè radicatæ fuerunt opiniones de portentoſis actionibus Franciſci.* 6. Fabula non *in omnibus circumſtantiis* ſimiliter narratur. In *Antiquit. Boſquierii* dicitur, *Satanam priùs conveniſſe Franciſcum, antequàm Honorium conveniret*; in *Alcorano* poſtmodùm demùm. 2. *Sylva illa* (ſecundùm *Boſquierium*) plena erat *roſis*, antequàm ad *Honorium* pervenit; aliter *Alcoranus.* 3. In *Alcorano* noniſi *ſex roſarum*, apud *Boſquierium viginti quatuor* mentio fit. At hæc levia. 7. *Infirma eſt ratio:* Indulgentia *S. Portiunculæ* conceſſa; ergo *certum* etiam eſt, *cauſſam* illius beneficii fuiſſe *inuſitatam illam viſionem.* Quis enim neſcit, *quamlibet ædem ſacram*, quælibet cœnobia, præ ſe ferre *divinam inſtitutionem? Inepti Monachi quidvis garriebant*, ut cultui ſuo ritibusve *ſpeciem* conciliarent. 8. Manet ergo meâ opinione firmum argumentum, *à ſilentio Bonaventuræ* petitum. Homo iſte *Franciſci* erat *cupidiſſimus*; *omnes fabulas*, ineptiſſimasque actiones, portenta omnia, quæ corradere potuit, *in chartas conjecit*; quæ cauſſa erat ergo, cur *inſolitam viſionem* ſilentio premeret? Narravit *fabulam de ſtigmatibus*, quæ anno ſequenti dicitur facta fuiſſe; quæ ergo *cauſſa*, cur *de viſione* altùm ſileret? Cumprimis autem obſervandum, quod ipſe *illuſtris Abbas* monet, *Bonaventuram mentionem facere*

facere conſecratæ ædis Portiunculæ. Quis ergo crederet, *eum mirabilem viſionem*, quæ conſecrationi originem dedit, *ſuppreſſurum?* Si alii *eodem tempore* hiſtorias ſcripſiſſent *de rebus inter Chriſtianos geſtis*; fieri potuiſſet, *ut nullam rerum illarum mentionem feciſſent*; atque tum ex *ſilentio illo* tutò nihil colligi potuiſſet; *at Bonaventura datâ operâ & ſingulari ſtudio collegit omnia, quæ Franciſci auctoritati conducere poterant*; unde ex *illo ſilentio* firmum argumentum peti poteſt *de viſionis illius futilitate.*

Franciſcum excipiat *Dominicus*. *Inſtituti ratio* poſtulat, *ut videamus*, *utrùm fama de præſtitis ab ipſo miraculis firmioribus præſidiis innitatur*, *quàm cæterorum*, *de quibus hactenùs mentionem fecimus.* *Dillingerus*, cujus βιογραφία *Dominici* ad manus erat, cùm laborem illum primùm ſuſcepimus, (*ut Legendiſtæ ſolent*) ad teſtes αὐτόπτας non provocat, ſingulasque circumſtantias (prout veri nominis *Hiſtoricum decet*) *non* expendit; ſed tanquàm κυρίας δόξας narrat. *Altiùs* igitur *aſcendamus*, ut ad fontem *rei geſtæ* perveniamus. Inter illos, (utì ſuprà allata oſtendunt) qui prolixè *de miraculis Dominici* egerunt, meritò referendus eſt *Antonius*, *Epiſcopus Florentinus.* Is ſcripſit *Summam hiſtorialem*, (utì vocat) *ſeu Chronicon tripartitum*, *à mundo condito uſque ad annum* 1458., *ex pluribus Hiſtoricis conſarcinatum.* Natus is eſt (ſecundùm *Warthon*) Anno 1389., denatus Anno 1459. Is ergo inter teſtes αὐτόπτας referri nullâ ratione poteſt. *Dominicus* enim na-

tus eſt Anno 1170., mortuus verò Anno 1221. Auctor præterea (judice *Dupineo* & *Caveo*) nullius judicii, qui *ineptiſſimas fabulas* hinc inde lectas affert. Sanè ſi homo ille *ullâ* fuiſſet *eruditione* inſtructus, aut *veritatis amore* tactus; *tam impudenter & blaſphemè de Dominico ejusque virtutibus loqui non potuiſſet.* Mittàmus ergo illum, & propiùs ad fontem accedamus. *Surius*, qui *vitas Sanctorum* collegit, Tomo IV. exhibet *Theodorici de Appoldia vitam Dominici;* floruit is (teſte *Caveo*) circa Annum 1289. Cùm autem *Dominicus* Anno 1221. *ad plures abierit*, vix poterit eſſe teſtis *αὐτόπτης miraculorum*, quæ tribuuntur *Dominico.* Fatetur etiam, unde *ſua* hauſerit. Ut autem hoc planum fiat, quædam ex eo adducam. Titulus libelli hic eſt: *Vita Beatiſſimi Patris Dominici, Ordinis Prædicatorum primi Inſtitutoris, Authore Fratre Theodorico de Appoldia, Dominicano;* ſed ſtylum paſſim correxit *Frater Laurentius Surius.*

Mandatum Munionis, Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad Fratrem Theodoricum de Appoldia;
in quo nihil mutavimus.

Dilecto ſibi in Chriſto Fratri Theodorico de Appoldia domûs Erphordenſis Provinciæ Teutoniæ, Frater Munio, Magiſter Ordinis licèt indignus, ſalutem & augmentum continuum cœleſtium gratiarum. In remiſſionem peccatorum & in augmentum nihilominùs meritorum vobis injungo, quatenùs dictandi Legendam Sancti

Sancti Dominici Patris noſtri ſecundùm datam vobis gratiam, de qua gero fiduciam in Domino pleniorem, meritum ſubeatis, ut non in vacuum gratiam Dei videamini accepiſſe. Hæc inter alia diligentiùs attendes, ut ſit veritate firmiſſima, integritate completa, gratioſa docere. Volo autem, quòd Prior veſter, qui pro tempore fuerit, vobis adſit auxiliis, conſiliis & ſolatiis, conſolationibusque opportunis. Valete & orate pro me. Datum in Urbe Veteri Idibus Aprilis.

Epiſtola Fratris Theodorici de Appoldia ad Nicolaum, Magiſtrum Ordinis; in qua itidem nihil mutavimus.

PAtri filiorum amabili *Nicolao*, (*is*, *ut notat Surius*, *erat nonus Magiſter Generalis*) Magiſtro Fratrum Ordinis Prædicatorum Venerabili, Frater Theodoricus de Teutoniæ Provincia per proſperitatem provincialium (*Surius legendum putat temporalium*) meritorum pertingere ad æternorum præmia gaudiorum. Libellum, quem de Patre divino Dominico, & Ordine ab ipſo inſtituto compoſitum, ſibi deferri veſtra dignatio imperavit, in abjectis quidem ſchedulis & petiis primùm jam ſenex conſcripſi propriis manibus, oculisque caligantibus & compegi; de cujus materia proœmium vos inſtruet. Reperto igitur ex Chronicis tempore, quo Sancti hujus Parentes extiterunt, ea, quæ circa ortum & progreſſum & exitum vitæ ipſius geſta ſunt, ſecundùm decurſum temporis diſponere curavi;

ità tamen quòd propter convenientiam materiæ, poſtmodùm quæ acta ſunt præpoſui, & quæ antè, poſtpoſui ſubjungendo. Legi ſanctorum Patrum, Bernhardi & Franciſci, vitas, cum multa integritate editas elegantique ſtylo compoſitas, inſigni ſinceraque devotione probatas, noſtrique eximii Patris præfulgentem & prælucidam valde disſimiliter ſcriptam vitam. Cupiens igitur ſtatum Ordinis noſtri plenariâ certitudine non carere, poſteriſque nobilitatem aviti generis intimare, paternæ ſanctitatis ingenuitatem, prout potui, verbis ſimplicibus deſignavi. Multa de verbo ad verbum, ſicut in exemplaribus reperi, poſui; quandòque tamen propter conſequentiam aliquid immutavi. Cùmque ex iis, quæ ad manum habebam exemplaribus, omnia conſummarem, allata mihi ſunt ad petitionem meam quædam ſcripta, quæ & pretio comparavi, propter quæ opus præteritum, ut illa insererem, penitùs disſipavi. Erant enim illa magnæ auctoritatis utpotè dicta teſtium Juratorum, quæ Papa Gregorius IX. approbavit magnorumque meritorum & exemplorum ſanctitatis præcipuè expreſſiva. Prævenit præthereà me littera venerabilis Patris, Fratris noſtri Munionis, tunc Magiſtri Ordinis, mihi iſtum laborem injungens & ſtudium pro peccatis. Non ut volui, nec ut debui; feci tamen quod potui, ut videtis. Verùm, vos Reverendiſſime Pater, quod veſtrum eſt, manum peritam apponite, & de hac informi materia opus, ſic ut ſcite, perficite glorioſum. Decreveram certè, huic operi ſuperaddendo, detrahendo, immutando,

tando, ornando ulteriorem diligentiam adhibere, ſi facultas expenſarum & opportunitas temporum adfuiſſet. Quibus deficientibus deſtiti, &, ut adſpicitis, dereliqui. Verumtamen quamdiu vivo, his laborem impendere, ſi requiritur, non recuſo. Ignoſcite, obſecro, mihi pro nomine Jeſu Chriſti. Expavi & dolui primùm, quòd ad aures veſtras mea imperitia pertingere debuit; nec credidi hoc futurum. Sciendum, quòd venerabilis Pater noſter Jordanus, ſecundus Ordinis noſtri Magiſter, Succeſſor S. Dominici digniſſimus, libellum de initio Ordinis compoſuit, in quo primorum Parentum & Fratrum ſanctorum geſta glorioſa & mirabilia opera conſcripſit, ne in oblivionem venirent Patres tam excellentes, eorumque exempla tam eximiæ ſanctitatis. De quo libello prima S. Dominici Legenda conſcripta eſt. Poſteà de mandato Joannis Epiſcopi (qui quartus à S. Dominico Magiſter extitit) Frater Conſtantinus ſecundam Legendam edidit, multa inſignia ſuperaddens. Succedens ſanctus Pater Humbertus, Magiſter Ordinis quintus, ex prædictis tertiam conflans Legendam multis ſuperadditis non modicùm ampliavit. Tandem dilectus Pater noſter Frater Gerardus, Prior Provincialis Teutoniæ, rediens de generali Capitulo in Lucca celebrato, detulit quædam præclara geſta S. Dominici de Bononia, quæ ex ore Sororis Cœciliæ Romanæ, quam B. Dominicus ad Ordinem receperat, conſcripta ſunt. Quæ ſicut vidit & audivit plana fide ſinceriſſimè enarravit, quæ uſque ad Annum Domini 1290. religioſiſſimam & honeſtiſſimam vitam

tam duxit. Præterea dicta illuſtrium Virorum, videlicèt novem Fratrum, quorum teſtimonia credibilia facta ſunt nimis, authoritate Gregorii IX. approbata & jam aliis proferenda, Patris noſtri eximiam prædicant ſanctitatem. Accedunt ad hæc revelationes Sanctorum, quæ ſpernendæ non ſunt; revelationesque veterum fideliſſimæ & omni credulitate digniſſimæ, per quas & Prædicatorum Ordinis auctoritas & fundatoris ejusdem inclyta merita declarantur. Ex his omnibus præſentis opuſculi materia ſumta, in unum libellum conſcripta eſt fideliter & compacta; cui authoritatem præſtat geſtorum veritas, ſine qua nulla valet authoritas. Quis verò prædictis Patribus authoritatem ſolet derogare, quorum hic ſententiæ & plerùmque verba de verbo poſita ſunt?

Hæc, prolixiora licèt, deſcribere volui, ut pateat, *quâ auctoritate* nitatur auctor, ad quem tanquàm *fide digniſſimum* provocat in hoc negotio *Surius*. Obſervetur duntaxat: 1. *Dominicum* 1221. mortuum; vitam autem *Theodorici de Appoldia* ſcriptam circa Annum 1290. 2. Eodem tempore vixiſſe dicitur illa *Cæcilia Romana*. Narravit ergo Fratribus *Dominici*, quæ ante ſeptuaginta & plures annos acciderunt. Quot, bone Deus! *fabulæ* intereà temporis & mendacia fingi poſſunt? 3. Vita illa *multorum* innititur *revelationibus*. Cujus autem *ponderis* ſint *revelationes*, ad res verè geſtas comprobandas, notiùs eſt, quàm ut probetur. 4. Ipſo teſte *Theodorico*, Legendæ Scriptores *ſemper adjecerunt*

xerunt multa; adeò ut incertum non ſit, utrùm poſteriores multa *mutaverint*, *finxerint*. *Miraculo* proximum eſſet, ſi *Monachi illi* aliquid eorum *omiſiſſent*, quæ *ad ornamentum* ſocietatis facere poſſent. *Oudinus Tomo III. de Script. Eccleſ. pag.* 199. *ad Annum* 1240. teſtatur, *Conſtantinum Urbevetanum Epiſcopum*, & ex primis diſcipulis *Dominici*, vitam fundatoris conſcripſiſſe circa Annum 1245. vel 1246., & extare *Manuſcriptum* in *Bibliotheca Joannis Grævii*, *Viri*, dùm viveret, *doctiſſimi*. Cùm autem mortuus ſit *Dominicus*, ut dixi, Anno 1221., *Conſtantinus* autem diſcipulus fuerit, mirari licet, cur demùm viginti quinque poſt mortem elapſis annis *in chartas* conjecerit, quæ digna erant memoratu. At cùm ad manus non ſit *hoc Manuſcriptum*, non licet plura addere. Ex omnibus circumſtantiis patet quàm incerta ſint, quæ *de portentis Dominici* dicuntur. Hoc unum addo, veriſimile quàm maximè, *Theodoricum ex vitis Franciſci & Bernhardi* excerpſiſſe, quæ in rem ſuam eſſe videbantur. Ita in vita *Bernhardi*, quæ apud eumdem *Surium* extat, legitur ita: *Mater, cùm Bernhardum haberet in utero, ſomnium vidit præſagium futurorum, catellum ſcilicèt candidum totum, in dorſo rufum & latrantem ſe in utero habere.* Idem contigiſſe matri *Dominici* ſuprà audivimus. Sunt *alia multa veſtigia* hujus rei, quæ, ſi tanti res eſſet, facilè colligere potuiſſem. At miracula *Bernhardo* adſcripta *non majorem* merentur *fidem*, quàm *Dominici*. Neque de nihilo eſt, quod qui ex *modernis Pontificiis* de *Albigenſium &*

Walden-

Waldenſium decretis Religionis egerunt, altùm ſileant de miraculis *Dominici*; certè multùm faceret hoc ad pervicaciam illorum hominum demonſtrandam & augendam. Ipſe *Boſſuetus*, qui Lib. XI. pag. 206. ſeq. *de vita & moribus Waldenſium* ait, eorumque pertinaciam in erroribus, conſtantiam in morte enarrat, laudesque *Bernhardi* canit, *ampliſſimam* habuiſſet *occaſionem*, *pro ea*, quâ floruit, *eloquentia*, demonſtrandi malitiam illorum hominum, qui primò *Bernhardum*, poſteà *Dominicum*, viros eminentiſſimis virtutibus & miraculis, ſi Diis placet, illuſtres, ſpreverint. At ille altùm ſilet, nec verbo meminit boni *Dominici*. Ex iis, quæ ſuprà adduximus, inſuper patet, pleraque *Dominici* miracula, non ſolùm *ridicula*, ſed & Deo contumelioſa eſſe. *Ridiculum* videtur ipſi *Melchiori Cano*, Viro erudito, credere, *Dominicum Diabolum coëgiſſe, ut ardentem facem digitis teneret.* In cujus *Epiſcopi* ſententiam concedit *Langletus du Freſnoy*, qui Introduct. ad Hiſt. pag. m. 361. *ex credulitate* talia *orta* putat. At crediderim quidem lubens, *poſteros ob nimiam credulitatem & ignorantiam talia admiſiſſe*; vix autem mihi perſuadeo, *primum fabellæ auctorem nihil aliud intendiſſe.* Ex totius enim *Dominici Legenda* patet, *auctores ineptæ compilationis id egiſſe, ut Dominicum ultrà modum extollerent, ac Chriſto Domino, noſtro unico Servatori, æquipararent.* At quantacunque *credulitas* hîc fingatur, quam in dubium revocare nolo, neceſſe eſt, *fraudes & mendacia acceſſiſſe.* Unde non ſolùm *creduli* fuerunt *primi auctores* de præſtitis mira-

miraculis *Dominici* & *Franciſci*, ſed & *fraudulenti impoſtores.* Mirum autem, *eruditos Viros*, quorum jamjam mentionem feci, *unum atque alterum miraculum rejicere*, *cætera omnia admittere.* Ego verò *cauſſam* non video, *cur uno vel duobus admiſſis cætera repudiem.* Cùm *de credulitate* teſtium circa unum miraculum *conquerantur* Viri docti, eò ipſò oſtendunt, *ſe parùm fidere teſtibus illis;* at ſi illi *ex nimia credulitate* unum falſum admittere vel fingere potuerunt, quæ cauſſa eſt dubitandi, *quin in plurimis aut omnibus hoc fecerint?* Si *auctoritate* diſcipulorum Chriſti, aut potiùs eorum *fidelitate & veracitatis ſtudio* compulſus, *verum miraculum*, verbi gratiâ, quod *Cananeæ* in nuptiis factum eſt, *admitto*, cauſſam non video, *cur in aliis teſtimonium eorum in dubium vocem.* Dùm enim *credo*, miracula ab una parte *fieri poſſe*, ab altera autem de diſcipulorum teſtantium *fide & pietate* perſuaſiſſimus ſim, cauſſa non eſt, *cur unum alteri præferam*, *licèt magis vel minùs inſolitum ſit.* Si igitur *illuſtres Viri*, *Camus & Langletus*, *certi* ſint atque *perſuaſi*, auctores *Legendæ Dominici* fuiſſe omnes *viros probos*, *fide digniſſimos*, cauſſa non eſt, *cur id*, *quod de Diabolo lucernam ferre coacto narrant*, *in dubium vocent; præſertim cùm non ſemel idem Dominicus Diabolum ludos fecerit.* Scio, *ineptam eſſe Incredulorum ratiocinationem* ita ſonantem: *Cùm omnium ſeculorum experientia doceat*, *innumera miracula omnibus temporibus atque locis excogitata*, *& pro veris venditata; ergo ſequitur*, *planè nulla dari miracula.* Nemo non videt,

quàm

quàm abſonum hoc ſit. At qui *admittit unum eumdemque teſtem*, ad rem maximi momenti *probandam*, *eumdem eodem in negotio occupatum*, *nulliusque fraudis ſuſpectum*, *pro genuino teſte* habere tenetur. Cauſſa, cur Viri docti *teſtimonium Legendæ* de Diabolo *non admittant*, aperta eſt. *Nimis ridicula & à veriſimilitudine abhorrens videtur narratio. Perſuaſiſſimus* autem ſum, ſi *cætera miracula*, quorum pleraque ſuprà adduxi, *ſine partium ſtudio* examini ſubjicerent, atque ſecreta mentis cogitata *liberè* proferre in animum inducerent, *cætera non minùs*, *quàm hoc*, quod eos offendit, *repudiaturos*, *atque inter ineptas fabulas & mendacia relaturos.* Qui totum illum *Centonem* evolvit, atque *à ſectæ ſtudio liber* eſt, niſi *vim animo ſuo inferre* velit, judicabit, *ſuperſtitioſos & fraudulentos homines omnem illam fabulam excogitâſſe*, *ad decus familiæ ſuæ*, *aut factioni ſuæ*, *conciliandum. Partium ſtudium* vel eruditiſſimos homines impedit, quò minùs cernere poſſint. Si *illuſtris Huetius* eodem animo *Dominici*, *Franciſci & Lojolæ* vitam legiſſet, quo legit hiſtoriam Apollonii, atque *ad easdem regulas*, quod natura rei poſtulat, *examinâſſet*, nullus dubito, *quin Philoſtrati vitam Apollonii & Monachorum illorum vitam in eamdem claſſem relaturus fuiſſet.* Quàm parùm inter ſe conveniant *Legendarum Scriptores in Roſarii origine detegenda*, dudùm oſtendit *cl. Rivetus*, *Apolog. pro S. Virgine Maria*, *Lib. II. Cap. XII.*, ad quem *Lectorem* amandamus.

Reſtat

Reſtat tandem, ut verbum addamus *de miraculis Ignatii Lojolæ.* Quàm dubiâ illâ nitantur fide, adeò perſpicuè oſtenderunt Viri præſtantiſſimi, *Wakius & P. Baylius*, ut ad eos *ablegare Lectorem* poſſem, niſi laboris, quem ſuſcepimus, indoles poſtularet, ut, quod nos facturos promiſimus, oſtenderemus, *miracula illa non verè geſta, ſed à maleferiatis hominibus excogitata.* Mortuus autem eſt *Ignatius* An. 1556. Primus, qui vitam ipſius resque geſtas ſcripſit, fuit *Ribadeneira*, qui ſe majorem neceſſitudine contubernii cognitionem Ignatii hauſiſſe ait. Edita fuit hæc *Ignatii* Βιογραφια An. Dom. 1572. *Elapſi ſunt ergo poſt obitum Ignatii ſedecim anni.* Sed, quod *mirum* eſt, *Ribadeneira* diſcipulus & (ut ipſe ait in Præfatione) *ſanctiſſimæ ipſius vitæ ſpectator*, non ſolùm *nullius miraculi* mentionem facit; ſed *clarè & diſertè* aſſerit, *neceſſe non eſſe, ut homines ſanctimoniâ vitæ illuſtres miraculis nobilitentur.* Poſtquàm enim Libro V. Cap. XIII. induxit aliquem ita loquentem: „Sed dicat aliquis: Si hæc vera ſunt, (ut profectò ſunt) quid cauſſæ eſt, cur illius ſanctitas minùs eſt teſtata miraculis, & ut multorum Sanctorum vita ſignis declarata virtutumque operationibus inſignita? Reſpondet: Ut ſolus ille hæc poteſt efficere; ita ille ſolus novit, quo loco, quo tempore miracula, & quorum precibus facienda ſunt. *Probare deinde contendit exemplorum inductione & locis Sacræ Scripturæ; non neceſſe eſſe, ut hoc fiat.* Neque omnes ſancti Viri (*inquit*) miraculis excelluerunt; neque qui illorum aut magnitudine præſtiterunt, aut co-

piâ, idcircò reliquos ſanctitate ſuperârunt. Non enim ſanctitas cujusque ſignis, ſed charitate, æſtimanda eſt. *Probat inſuper ex Sacris Litteris, donum miraculorum falſis Doctoribus concedi.* Hæc tamen (*inquit*) dixerim, non ut miraculorum vim elevem, ſed ut prudens Lector intelligat, rem totam Deo committendam, qui dona ſua unicuique distribuit, prout vult. Potuit ille, pro ſua occulta ſapientia, noſtræ hoc imbecillitati dare, nè miracula unquàm jactare poſſemus; potuit utilitati, ut authore inſtituti noſtri minùs illuſtri, à JESU potiùs, quàm ab illo nomen traheremus; & noſtra nos appellatio ſacra moneret, ne ab illo unquàm dimoveremus; quem non ſolùm, ut communem humani generis Liberatorem ac Principem, ſed etiam ut præcipuum Ducem colere atque imitari debemus; minimam hanc Societatem ſui nominis glorioſo titulo decorantem. Potuit hoc etiam tribuere temporibus, quibus hæc miracula neceſſaria non ſunt. „ Tandem ex mirabili progreſſu Societatis concludit, *Deum ſatis proſpexiſſe auctoritati & ſanctitati Ignatii.* Edidit *Ribadeneira* 1587. *alteram editionem*, in qua denuò contendit, *nulla eſſe facta ab Ignatio miracula;* licèt in Præfatione dicat: *multa mihi neceſſariò addenda judicavi; primùm nova quædam, quæ poſt libellum excuſum, graviſſimi Viri & Ignatio valdè familiares, & ante Societatem conditam intimi neceſſarii, quaſi teſtes oculati, de ipſo Ignatio nobis retulerunt; tùm alia, quæ dubia anteà mihi erant; & diligenti poſteà inquiſitione inveſtigatâ certa eſſe comperi.* Nil tandem de miraculis in Editione Lugdunenſi

dunenſi Anno 1595. per Joannem Geſſelinum edita. At ſcena tandem mutata eſt. Edidit enim *idem Ribadeneira* Anno 1610. *tertiam editionem*, in qua *magnam* editorum *ab Ignatio* miraculorum *copiam* adduxit. Cùm autem *Jeſuita* facilè perſpexiſſet, multos fore, qui mirentur *eo demùm tempore* mentionem fieri miraculorum, occurrendum putavit huic dubio; hinc Cap. XVIII. ultimæ editionis ita ait: „ Quia verò poſtremo quinti Libri Capite de miraculis breviter egimus, quaſi nulla feciſſet, aut ad demonſtrandam ejus ſanctitatem neceſſaria non eſſent, ſtatui nunc ea paulò fuſiùs exponere; non omnia quidem, (res enim nimis in longum excurreret) ſed partem duntaxat eorum, quæ Deus efficere per ſervum ſuum dignatus eſt. Quàmvis enim, cùm Anno 1572. primùm vitam ejus latinè ſcriberem, alia nonnulla miracula ab eo facta noviſſem, tamen adeò mihi certa & explorata non erant, ut in vulgus edenda mihi perſuaderem; poſteà verò, quæſtionibus de ejus in Divos relatione publicè habitis, gravibus & idoneis teſtibus fuerunt comprobata. Enimverò Deus, ut ſervum ſuum extollat in terris, tam frequentibus eum indies miraculis dignatur, ut mearum partium eſſe ducam, literis hic mandare nonnulla è publicis actionibus ſumta. „ Ex hiſce concludit *P. Baylius* in *Lexico: miracula Lojolæ adſcripta dubia eſſe, imò falſa.* Verba ipſius, quoniam *nervoſa* ſunt, adponamus. „ Concluons de là, (*inquit*) que les miracles de ſaint Ignace ne ſont pas des choſes, que ſes amis ayent appriſes à Ribadeneira,

pendant le quinze ans qui ſéparent les deux éditions, ni que cet Auteur ait pû tirer de l'incertitude dans cet intervalle de tems. Et néanmoins il nous aſſure, qu'en l'année 1572. il ſavoit quelques miracles de ſon Fondateur, mais non pas avec toute la certitude nèceſſaire pour les publier. Il n'y eut rien ſans doute parmi les choſes dont il n'étoit pas alors parfaitement aſſuré, dont il recherchat plus ſoigneuſement la certitude que les miracles de ſon Apôtre; puis donc qu'il continua de dire dans l'édition de 1587. que le bienheureux Ignace n'avoit point fait de miracles, il réſulte néceſſairement, que ſes enquètes les plus exactes ne lui avoient rien appris de certain ſur ce Chapitre; car ſi elles lui avoit decouvert quelque certitude, il auroit joint à ſa ſéconde édition ce grand article avec plus d'empreſſement, que les autres choſes, qu'il n'y ajoûta que parce que d'incertaines elles lui étoient devenues certaines, par la diligence exacte avec laquelle il s'en étoit informé. De plus un Jéſuite, qui auroit ſû l'an 1572. que ſon Fondateur a fait des miracles, & qui ne ſeroit abstenu de les inferer dans un ouvrage public, que parceque ſes lumières là-deſſus n'étoient pas telles, qu'elles doivent ètre lors qu'on imprime des faits ſemblables, avoueroit-il que ſon Fondateur n'a fait nuls miracles? Raiſonneroit-il ſur cela avec tant d'étude? Répondroit-il ſi exactement aux objections? Son dévoir ſans doute ſéroit de ſe taire, juſques à ce qu'il fut parfaitement éclairé; & il y a bien de l'apparence, que Ribadeneira eût pris ce parti, & que tout ce qu'il a

dit

dit aprez coup; eſt peu ſincère & rempli d'obliquités. N'oublions pas de dire, que ſi quelque choſe étoit capable d'être amenée à la pleine certitude, durant l'intervalle des deux éditions, c'étoient les miracles de Lojola, faits ſuprenans, qui s'impriment dans la mémoire plus que tous les autres, & qui ſe repandent de lieu en lieu avec plus de bruit que tous les autres. Les amis intimes, les Compagnons inſéparables d'Ignace, n'auroient-ils rien dit là-deſſus à Ribadeneira, eux qui lui apprirent, tant d'autres choſes dont il n'étoit pas informé l'an 1572. & qu'il ajouta à ſon livre l'an 1587? Cela rend ſuſpect, pour ne rien dire de pis, tout ce qu'on publie des miracles, que l'on prétend avoir été par Ignace avant la ſéconde édition de Ribadeneira. „ Ita *Baylius* rectiſſimè. Addi his rationibus poteſt *pondus*, ſi obſervemus, (de quo tamen nullam mentionem facit *Baylius*) *Maſſeum* Anno 1585. vitam *Lojolæ* in publicum edidiſſe, atque aliquot miraculorum ab Ignatio editorum mentionem feciſſe. Quis autem credat, *Ribadeneiram*, qui duobus pòſt annis denuò prelo ſubjecit *ſecundam Editionem vitæ Lojolæ*, hoc ignorâſſe? Nulla igitur magis probabilis cauſſa ſilentii de miraculis adferri poteſt, quàm quòd *Ribadeneira* perſuaſus fuerit, *omnia*, quæ *de iis* dicuntur, aut *incertis* hominum *rumoribus & ſermonibus* niti; aut prorſus *nulla* unquàm ab eo geſta. *Poſterius* autem *magis credibile* eſt, quia *adeò apertè & diſertè* negat, miracula *à Fundatore Societatis ſuæ* facta. *Maffeus* ipſe pag. 79. teſtatur, tres ex diſcipulis, nimi-

rùm *Salmeronem*, *Rodericum* & *Bobadillam*, dùm hæc ſcriberet, ſuperſtites eſſe. At ſi tot miracula *ab Ignatio* edita ſunt, utì *in poſtrema* jactitat *vitæ Editione Ribadeneira*, cur *rem* memoriâ digniſſimam *ſilentio* preſſit? At quantum mihi cernere datum, ne ipſe quidem *Maffeus* ita *de hoc argumento* loquitur, ut *credi* poſſit, ipſum *de certitudine* rerum geſtarum *perſuaſum*. Ultimo demùm Capite Βιογραφιας ita incipit: „ Præter ea, quæ ſuperioribus Libris Ignatio divinitùs accidiſſe retulimus, non pauca de eodem admirabilia prædicantur. *In fine Capitis ſimul & Libelli hæc ſunt*: Alia item de Ignatio miranda narrantur; quæ, quia mihi haud ſatis explorata ſunt, neceſſè non habui adſcribere, præſertim quòd clarorum Virorum ſanctitas non tàm ſignis atque miraculis, quàm charitate in Deum & vitæ innocentia continetur. „ Nùm *probabile*, hominem de re *publicè* geſta & *tot teſtibus* comprobata *tam tenuiter & timidè locuturum*? Hoccine credibile fieri *ab eo*, qui *celeberrimæ Factionis* gloriam adaugere in animum induxit, narratione vitæ Auctoris ejus? Plerique, qui Virorum doctorum, quos ſuſpexerunt & admirati ſunt, vitas enarrant, *cavere ultrà modum debent*, ne laudes eorum, quas ipſo opere meriti ſunt, *celebrent*, ne videantur *ex affectu potiùs, quàm rei veritate judicare*. At *Ribadeneira* & *Maffeus*, Conditoris famoſiſſimæ Societatis diſcipuli, non ſolùm laudes *Herois ſui* non ſatis *pro rei dignitate ebuccinâſſent*; ſed & ingratiſſimi mortalium, & *tanto Præceptore & Parente indigniſſimi filii* fuiſſent, ſi tot *miracula*

ab

ab eo præſtita, quorum poſt *quinquaginta & plures* demùm annos mentionem facit *Ribadeneira*, *pudendo ſilentio* oblitteràſſent. At *in promtu* cauſſa eſt, cur *Ribadeneira* demùm poſt tot elapſos annos miraculorum mentionem facit: Nimirùm An. 1609. inter *Divos* relatus *Lojola*, *à ſanctiſſimo & veritatis amantiſſimo Pontifice*. In gratiam igitur *illius* & ob votum *cæcæ obedientiæ* incerti *rumores* pro *oraculis & certiſſimis veritatibus* erant divulgandi; *hinc* factum, ut ſtatim qui vitam ejus conſcriberent, non ſolùm *miraculorum*, ſed & *teſtium numerum* multiplicarent. *Vitelleſchi*, qui vitam Lojolæ edidit Anno 1629. asſerit, 140. miracula teſtimonio 175. hominum *fide digniſſimorum* comprobata; inſecutis aliquot annis Auctor *Gloriæ Ignatii* editorum miraculorum refert 200. teſtium 675., *Bouſſieres* teſtes 665., *Bouhourſius* 660. adducit.

Tantæ molis erat, venales dicere nugas.

Accedit inſuper *ad certitudinem & auctoritatem miraculorum*, quæ *Lojolæ* tribuuntur, *evertendam*, *ipſius Facultatis Theologicæ Pariſienſis judicium*, latum *de tribus concionibus*, in die feſto ſolenni *Canoniſationis* à tribus *Jeſuitis* in laudem *Lojolæ* habitis, quod apud *Hoſpinianum*, *Baylium aliosque* extat. In *Cenſura illa* inter alia hæc extant verba: *Denique quòd miracula non ita certa, miraculis indubitata Fide Catholicâ tenendis præferuntur, eſſe ſcandaloſam, erroneam, blaſphemam atque impiam ſententiam.* Notandum autem, *hoc eo factum tempore, quo jam Ignatius à Papa inter Divos relatus fuit.*

 Quòd

Quòd ſi *ipſa Facultas Theologica* ea miracula *incerta* vocet, poſt tot *annorum decurſum* & editam in vulgus *Lojolæ* Βιογραφιαν, quis non videat, *quàm infirmis fulcris fides de miraculis Ignatii ſuperſtructa ſit?* Aliud extat judicium *Facultatis hujus celeberrimæ* de *Societate Ignatii* latum, vivente adhuc *Lojola*, Anno nimirùm 1554. cùm urgerent Pontifices *Paulus* & *Julius III.*, ut *in Regno Franciæ* reciperetur. Extat illud apud *Paſquierium*, *Parlamenti Pariſienſis Advocatum*, in libro cui titulus: *Le Catechiſme des Jéſuites*, Cap. III. pag. 26. & ſeq. In hoc judicio Facultatis inter alia *hæc extant verba*: „ Hæc nova Societas, inſolitam nominis JESU appellationem ſibi venditans, tam licenter & ſine delectu quaslibet perſonas, quantùmlibet facinoroſas, illegitimas & infames admittens, nullam à Sacerdotibus ſecularibus habens differentiam, in habitu exteriore, in tonſura, in horis canonicis privatim, dicendis aut publicè in templo decantandis, in clauſtris & ſilentio, in delectu ciborum & dierum, in jejuniis & aliis variis ceremoniis, (quibus ſtatus Religionum diſtinguuntur & conſervantur,) tam multis tamque variis privilegiis indultis & libertatibus donata, præſertim in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, idque ſine diſcrimine locorum aut perſonarum, in officio etiam prædicandi, legendi & docendi, in præjudicium Ordinariorum & hierarchici Ordinis, in præjudicium etiam aliarum Religionum, imò etiam Principum & Dominorum temporalium contra privilegia Univerſitatum, denique in magnum populi

populi gravamen Religionis monaſticæ honeſtatem violare videtur; ſtudioſum, pium & neceſſarium virtutum abſtinentiarum ceremoniarum & auſteritatis enervat exercitium, imò occaſionem dat liberè apoſtatandi ab iis Religionibus, debitam Ordinariis obedientiam & ſubjectionem ſubtrahit, Dominos tàm temporales quàm eccleſiaſticos ſuis juribus injuſtè privat, perturbationem in utraque Politia, multas in populo querelas, multas lites, diſſidia, contentiones, æmulationes, rebelliones, variaque ſchiſmata inducit. Itaque his omnibus atque aliis diligenter examinatis & perpenſis: Hæc Societas videtur in negotio Fidei periculoſa, paci Eccleſiæ, monaſticæ Religionis everſiva & magis ad deſtructionem quàm ædificationem. „ Hactenùs *Pariſienſes Theologi.* (*) Non inquiram, quàm

(*) De Xaverio inter Indos miracula patrante, ſed linguarum dono deſtituto, ita Auctor de l'Hiſtoire des Religieùx de la Compagnie de JESUS, pag. 121. Tomo I. loquitur: Dès qu'il fut arrivé, (de urbe Amanguechi in inſula Japon ſermo eſt,) il alla dans la place publique où il ſe mit à prêcher par la voix d'un Interprête, ou comme diſent d'autres Auteurs, en liſant un Manuſcript Japonois, qui contenoit les myſtères de la Réligion Chrêtienne. En effet le Saint, comme nous l'avons dit, & comme il en convient lui même, dans une de ſes lettres (Xaverii Epiſt. Lib. III. Epiſt. V.) ne ſavoit point les langues. Si je ſavois leur langue, dit-il en écrivant à Rome, je ne doute point, que pluſieurs Infidèles n'embraſſaſſent la Réligion Chrêtienne. Dieu veuille que je la ſache bientôt, alors je commencerai à rendre quelque

quàm rectè omnia dicta ſint à cl. Viris. Concedam ſi velint, *eos aliquid ſuſpicionibus dediſſe*; hoc

---

quelque ſervice à l'Egliſe. Préſentement nous ſommes au milieu des Infidèles, comme des ſtatuës, qui ne peuvent parler. Ils parlent beaucoup de nous, & nous ne pouvons leur répondre, ne ſachant point ce qu'ils en diſent, attendu que nous ignorons leur langue. Sur quoi le Continuateur de Mr. Fleury fait la reflexion ſuivante: Il eſt un peu ſurprenant, que Dieu ayant accordé à Xavier, ſi l'on en croit les Auteurs de ſa vie, le don des miracles dans un degré ſi éminent, lui ait refuſé le don des langues; ſi eſſentiel & le plus néceſſaire de tous, & avec lequel à l'imitation des Apôtres il eut pû convertir tant de pays; mais Dieu (continuë-t-il) distribuë ſes graces, comme il lui plait, & ſouvent contre l'ordre que nous croirions le mieux entendu. Il auroit pû dire, que les Jéſuites Auteurs de la vie de Xavier lui ont fait faire les miracles qu'ils ont voulu, mais qu'ils n'ont pû ſi aiſement lui faire apprendre les langues des Indes, lesquelles au rapport du Jéſuite à Coſta, qui lui même a été fort long tems Miſſionnaire dans ces pays, ſont au nombre de plus de ſept cens. Il eſt aiſé de conclure par ce témoignage inconteſtable, ce que l'on doit penſer de ces miracles, que les Jéſuites entaſſent à l'envie les uns ſur les autres, & de ces converſions préſque innombrables qu'ils lui attribuent. Ce qui eſt certain, c'eſt que le Saint ne fit pas grand fruit dans tous ces pays, comme la ſuite de cette hiſtoire ne le ſera que trop voir. L'infidelité des Interprêtes dont il ſe ſervoit, qui entendoient tout de travers ce qu'il leur diſoit, & qui le rendoient de même, a fait non ſeulement ces converſions impoſſibles, mais expoſoit encore la Réligion à la riſée des Infidèles. Ils ſe moquoient de Xavier & de ſes Compagnons, également

hoc unum dico, *impoſſibile creditu eſſe, tam illuſtrem Societatem tam abjectè judicaturam fuiſſe de Lojola & Sociis, ſi certum, perſpicuum atque extra dubitationis aleam poſitum fuiſſet, Ignatium tantâ ſanctimoniæ laude & editis publicè miraculis floruiſſe.* Saltem *Theologi illi*, ſi quidem in reſponſione *ad Papam* judicium de illo globo diſcipulorum *Ignatii* aperire voluiſſent, *de Auctore & Capite Societatis honorificentiùs ſenſiſſent, eumque à cætera turba*, de qua adeò malè ſentiunt, *exemiſſent.* At *in genere* loquuntur, neque verbo *τεράτων Ignatii* mentionem faciunt. At quomodo fieri poteſt, *ut miracula tot tantaque in Hiſpania & Italia præſtita ad aures celeberrimæ Societatis Theologicæ pervenire non potuiſſent?* Non minùs *fortiter* miracula *Ignatii* impugnat *Paſquierius* in citato *Catechiſmo* pag. 153. ſeq. Juvat quædam excerpere. „ Je m'arrête beaucoup plus à Ribadeneira, qui dit avoir été dès ſa jeuneſſe dans Rome avec Ignace; & que tout ce qu'il raconte, il l'a entendu de Guillaume Conſalve, auquel Ignace en avoit fait part, un an auparavant ſon decez. Cet honnête homme de Jéſuite a pu doncques parler, de tout ce qui s'étoit paſſé dans Rome par Ignace, depuis qu'il fut elû Géneral de leur Ordre; & non de ce qui étoit auparavant. Si j'étois ſcrupuleux contradicteur, je dirois qu'il ne faut croire Ribadeneire, diſant que Conſalve lui ait dit;

ment choqués & de la Mine étrangére de ces Bonzes Européens, & du ridicule qu'ils ſe donnoient, en débitant des diſcours, qu'ils n'entendoient pas eux-mêmes.

dit; ni pareillement Conſalve s'il vivoit, qui eſt un Saint, qu'on ne feſte point, & qu'il ſoutint avoir entendu tous ces contes de Lojola. Je veux mettre ces conſiderations ſous pieds. Je crois, que Ribadeneire a entendu de Conſalve, & Conſalve d'Ignace, tous ces miraculeux effèts. Croirons nous Ignace en ſon propre fait; car il n'y a que lui ſeul, qui ait pû dire, que St. Pierre fut du commencement apparu à lui, & depuis la Vierge Marie; qu'il eut été à deux divers jours tenté viſiblement par le Diable; qu'il eut vû la Trinité au firmament, JESUS Chriſt en corps & en chair dedans l'Hoſtie, l'ame d'Ozius ſon compagnon monter au Ciel, que Dieu lui eut revelé la façon dont il avoit uſé batiſſant le monde, que JESUS Chriſt lui eût promis toute aſſiſtance dedans Rome. Tout cela eſt du fait d'Ignace ſeulement, il n'y en a autre témoin que lui; & cela me fait dire, que d'y ajoûter quelque foi, nous ſerions tous de grands lourdaux. Quand je me bornerois à ce point, j'en aurois aſſez pour vous montrer, qu'il ne faut faire ni recepte ni miſe de tous ces miracles; mais je veux paſſer plus outre. Lors que la choſe fût plaidée par Paſquier, l'une de plus belles de ſon Plaidoïé étoit celle, par laquelle il ſommoit vivement les Jéſuites, de dire quelque miracle de la part de leur Ignace. Que tous les grands & ſaints Péres, un St. Bénoit, St. Dominique, St. François & autres authoriſerent leurs nouveaux Ordres par pluſieurs miracles qu'ils firent, ainſi que nous aprenions de leurs Legendes; qu'en Ignace il ne s'en trouvoit

voit un tout ſeul. Ignace étoit décedé huit ans auparavant cette Plaidoierie. Par ſa mort toute l'envie étoit dépouillée, quand on eu raconté ce qui lui étoit miraculeuſement advenu; car d'un homme vivant on n'en peut parler avec telle franchiſe. Il y avoit ſept mois & plus, que cette cauſe étoit promenée tant en l'Univerſité de Paris, qu'en la cour de Parlament, en laquelle il y alloit du fait univerſel de leur Ordre. Jacques Laïnez, Compagnon & Succeſſeur d'Ignace en l'état de Géneral, les ſçavoit ou devoit ſçavoir, & n'avoit eu que trop de temps & de loiſir, pour en envoyer les mémoires. Toutes fois en tout le pladoyé de Verſoris, nulle mention de ces viſions ou miracles; ce qui montre, que ce ſont nouveaux menſonges, inventés par ces Papelards depuis la cauſe plaidée. Ajoutez, que toutes les viſions racontées par Maffée & Ribadeneira advinrent en Eſpagne, auparavant qu'Ignace eût reçû la bénediction du St. Siège, n'y que ſon Ordre fut approuvé; depuis qu'il fut élu Général, vous ne trouvéz dans ces deux Prêtres Jéſuites aucune apparition, qui lui eut été faite du Ciel, ni aucun miracle de lui pendant ſa vie, ni après ſa mort. Et toutes fois ſi aucun miracle devoit ſourdre de lui, c'étoit lors, & après que le St. Siège y eût mis la main. „ Concludimus igitur, *miracula, Pythagoræ, Apollonio, Franciſco, Dominico & Ignatio adſcripta, falſa eſſe, & à maleferiatis hominibus temerè excogitata.*

CAPUT

CAPUT XV.

Probatur, ſolemnem Canoniſationem Franciſci, Dominici & Lojolæ, non ſolùm Pontificum infallibilitatem penitùs ſubvertere; ſed & eamdem oſtendere, Pontifices illos homines fuiſſe, cùm rerum divinarum ignariſſimos, tùm impudentes valdè & ſuperſtitioſos. (*)

PRobavimus in antecedentibus, *miracula, quæ tribuuntur Pythagoræ, Franciſco, cæteriſque, neque à Deo Optimo Maximo fuiſſe præſtita, neque Diabolo adſcribenda, ſed prorſùs eſſe*

(*) Quid de Canoniſatione Sanctorum in Eccleſia Romana ſentiendum ſit, breviter ſed nervoſè oſtendit cel. Halenſium Theologus Sigmund Jacob Baumgarten, in denen Nachrichten von merkwürdigen Büchern, XII. Stük, pag. 501. & ſq. Verba ita ſonant: So viel ſich die Römiſche Kirche mit dieſen Canoniſationen einbildet, und ſo prächtig die Denkmale ſind, welche ſie denſelben ſtiftet; ſo unſtreitig müſſen ſie mit aller dieſer Pracht von Chriſten, die der Heiligen Schrift gehorchen, als ein Schandfleke der Chriſtenheit angeſehen werden, wodurch die heidniſchen Vergötterungen auf die unverſchämteſte Weiſe wiederhergeſtellet worden; daher man auch in der Römiſchen Kirche kein Bedenken traget, ſie Apotheoſes zu nennen, obgleich der Anfang des Werks Benedicti XIV. mit Abhandlung des Unterſchiedes derſelben von den heidniſchen Apotheoſibus gemacht wird; welcher doch auf eine Verſchiedenheit von Namen, Kunſtwörtern und Gebräuchen hinauslauft, ohne dieſelben von den begrün-

eſſe effictà. Nihil igitur noſtrâ opinione reliquum eſt, quod *auctoritatem aliquam* miraculis illis conciliare queat. At erunt, ſcio, qui *ad ſolemnem Canoniſationem* à Pontificibus factam, reſpectu *Dominici*, *Franciſci & Ignatii*, provocabunt, dicentes: *Pontifices ipſos*, *ſanctiſſimos Religionis Antiſtites*, *Doctores infallibiles*, *Triumviros iſtos in Divorum retuliſſe numerum; impium igitur eſſe, vel per momentum dubitare, utrùm miracula, quæ illis tribuuntur, verè geſta ſint nec ne, nedùm prorſus illa negare; Patres illos eſſe oculatiſſimos, ſanctiſſimosque; nihil velle atque decernere, quàm quod verum, certum atque fide digniſſimum; eos in hunc finem ab ipſo Deo pro Vicariis Chriſti fallere neſciis in haſce terras poſitos, ut verum rectumque cuſtodiatur, atque*

---

begründeten Beſchuldigungen der Abgötterey und des Aberglaubens zu befreyen. Ohnerachtet nun die Kraft der Vorurtheile würklich ſo groſs ſeyn kann, daſs nicht nur unwiſſende, ſondern auch in andern Dingen ſcharfſinnige und tugendhafte Glieder dieſer Kirche ſich in der That überreden können, durch ſolche Anruffung und gottesdienſtliche Verehrung der Heiligen dem einigen GOtt einen Dienſt zu leiſten; ſo gereichet ſolches doch um ſo viel weniger zur Rechtfertigung oder Entſchuldigung des Irrthums ſelbſt, je unſtreitiger dargethan werden kann, daſs die meiſte Abgötterey des Heidenthums unter ähnlichem Vorwande, vermittelſt der Anruffung und Verehrung verſchiedener Untergötter, das iſt, vergötterter Menſchen, und beſondern Gegenden oder Arten der Geſchöpfe vorgeſezter Geiſterkräfte, das höchſte Weſen zu verehren, entſtanden ſey und ausgebreitet worden.

atque per omnes Univerſi partes atque angulos diffundatur. Si quod dubium circa eorum decreta oriatur, id prorſùs ex animo evellendum, atque ſolam auctoritatem tantorum Ducum ſufficere, ad nebulas omnes dubitationum, quæ aciem mentis humanæ obfuſcare poſſent, diſpellendas. Ignoſcent autem boni viri, qui ita ſermocinantur, ſi dicamus, *hæc omnia quidem dici, at non probari.* Novimus enim pulcherrimè, *Pontifices omnes homines fuiſſe, à quibus nil humani unquàm alienum fuit.* Riſum hodie prudentibus excutiunt, qui, *utrùm Papa fallibilis ſit nec ne*, dubitant; exiſtimant enim, *rem adeò eſſe certam atque perſpicuam, ut argumentis nullis opus ſit.* Neque nos, ut probemus, *Pontifices falli poſſe*, Lectorem morabimur. Sufficit nobis *hoc unum, quòd Pontifices, ut cæteri homines, erraverint. Errare* autem & *infallibilem eſſe*, vix invicem *ſimul ſtare* poterit. Quòd ſi hoc illi, quibuscum nobis jam quidem res eſt, in dubium vocent, *infinitorum exemplorum* inductione probabimus. Qui autem *in uno errare* poteſt, etiam *in alio falli* poterit. (*) Nec opus eſt, ut è longinquo,

(*) De dogmate Infallibilitatis Eccleſiæ Romanæ ita judicat nobiliſſimus & ingenioſiſſimus Ludovicus Holbergius, Epiſt. Tom. III. Epiſt. VIII. Die ſeltſame Lehre von der Unfehlbarkeit der Kirche dauert annoch. Ich ſage mit Bedacht, *die ſeltſame Lehre*, weil meinem Bedunken nach nichts die menſchliche Thorheit mehr zu Tage legt; und kein Lehrſaz eine gröſſere Verwirrung in der Welt angerichtet hat als dieſer. Denn daraus flieſſet,

quo, ad id probandum, quæram rationes. *Ipſa Canoniſatio* (uti vocatur) certum argumentum eſt, *Papam erráſſe.* *Primò* enim *certum, exploratum, atque ab ipſis Romanenſibus Doctoribus agnitum,* multos *in Sanctorum numerum* relatos, qui *in rerum natura nunquàm* fuerint; multos item in hunc Catalogum *relatos*, qui (omnium judicio) *indigni*, quibus *tantus honos* tribueretur. Olim *tanti non conſtitit, Sanctum dici.* Hodie quidem *Pontifices noſtri lenti nimis* ſunt, *in tribuendis his titulis & honoribus;* vo-

Cc luntas

---

flieſſet, daſs die Irrthümer und andere ganz wunderbare und der Vernunft widerſtreitende Meynungen nicht allein ſtets unverändert bleiben, ſondern auch ſo gar vertheidigt werden müſſen. Daraus folgt, daſs wann ein alter Canon oder ein Kirchen-Geſez einmal feſt geſezt, daſs die Sonne eine küpferne, feuerige Scheibe, daſs der Mond ein holländiſcher Käſe, daſs die Erde ſo flach wie eine Kuche, und das Fleiſch Brod ſey, u. ſ. f. man verpflichtet iſt, dem menſchlichen Geſchlecht zum Hohne, dergleichen Lehrſäze zu vertheidigen. Ja es folgt endlich daraus, daſs wenn auch der Papſt mit ſeinem ganzen Conſiſtorio im Herzen eine Veränderung in dieſem oder jenem Stüke wünſchten, ſie ſich dennoch ſolches nicht merken laſſen dörfen. Denn die Römiſche Kirche iſt einem Cörper ähnlich, dem durch dienliche Arzneyen geholffen werden könnte, den man aber nicht anrühren darf; oder einem Hauſe, welches von einer ganz ſeltſamen Bau-Art iſt, die man verändert zu ſehen wünſchet, aber dennoch immer unverändert laſſen muſs, weil der Baumeiſter auf alle diejenigen einen Fluch gelegt, die ſich nur im geringſten merken laſſen, daſs eine Verbeſſerung nöthig ſey.

luntas tamen non deeſt. Fortè *numerus iſte Divorum ſatis amplus eſt*, ipſorum judicio; fortè metuunt, *ut ſit Calendarium ſatis capax recipiendorum novorum.* Fortè *nationes quædam* non adcò oculatæ & prudentes, *ut grato animo hoc beneficium agnoſcerent.* Certè noſtro tempore non ſine ingenti pecuniæ Summa *Sancti cælo* recipiuntur; teſtantur hoc Viri *fide digniſſimi*, *Jaques Aymon* & *Max. Miſſon.* Prior in eleganti libello cui titulus, *Tableau de la Cour de Rome*, pag. 366. ita ait: „ Il ſe rencontre ordinairement de très grandes difficultés, quand il s'agit de faire les informations & enquètes en bonne & duë forme, pour les Canoniſations. Les fraix qu'il faut faire pour en venir à bout, vont pour le moins à quelques millions de livres, & ſouvent à pluſieurs millions d'écus; ce qui fait, qu'il n'y a maintenant que les Monarques ou les plus riches Princes de la Chrêtienté, qui puiſſent obtenir les Decrets de Canoniſation, quand ils en veulent faire la dépenſe. „ Vide quæ *Miſſon* Tomo II. pag. 746. de hoc negotio monet. Aut *timent*, ne aliquandò *lites* atque certamina in ipſo *Olympo* inter *cælites* oriantur. Quicquid horum ſit, novimus olim *ingentem numerum hominum* inter *cælites* relatum. Sunt autem, qui putant, (& tales Hæretici inter ipſos fuerunt *almæ Matris Eccleſiæ diſcipulos*) *Indicem quemdam expurgatorium à ſancta Sede Apoſtolica conſcribendum*, *ut veri nominis Divi à ſpuriis diſtinguerentur*; quod *cum libris*, quanquàm aliquandò *parùm feliciter*, factum novimus. Hoc enim niſi fiat, verendum, *ne plebis ſtudia in di-*

verſa

verſa trahantur. Fortè invenirentur homines, *Launojo* non abſimiles, *qui Eccleſiæ hoc officium præſtarent. Ingenioſiſſimus Bayle*, quùm *Launoji* curam diligentiamque *in deturbandis cælo Sanctulis quibusdam* enarráſſet, ita *acutè Lexici* pag. 63. loquitur: „ Les faux Saints ne ſont pas moins multipliés, que les faux Nobles; deſorte, que comme les Princes font travailler de tems en tems, à la recherche des faux Nobles, afin de remettre à la condition roturiere les uſurpateurs de la qualité des Gentilshommes; il faudroit que le Clergé nommât quelques Commiſſaires auſſi rigides que Boiſſeau, qui examinaſſent les titres & les lettres de Sainteté. Si les troupes de l'Egliſe triomphante paſſoient en revuë devant de bons Commiſſaires, on y trouveroit beaucoup de paſſevolans, non pas parmi les ſoldats, mais parmi les hauts Officiers, je veux dire parmi les Saints, qu'on invoque. Le Calendrier a plus de beſoin de reforme à cet égard, que par rapport à la preſſion des equinoxes; & au lieu qu'un ſimple retranchement de dix jours a ſuffi pour cette derniere reformation, il faudroit pour faire l'autre, retrancher par centaines, & par milliers. Il y a long tems, que l'année ne peut plus fournir un jour à chaque Canoniſé; il faut entaſſer pluſieurs Saints les uns ſur les autres dans les mêmes places; & c'eſt à preſent, qu'on peut dire avec Juvenal:

Nec turba Deorum
Talis, ut eſt hodie, contentaque ſidera paucis
Numinibus miſerum urgebant Atlanta minori
Pondere.

Combien trouveroit-on de Senateurs vitio creati dans la Cour céleſte, ſi l'on y procedoit rigoureuſement? Voyez à combien de volumes montent dejà les Acta Sanctorum? On leur pourroit appliquer ce diſtique ſi connu:

Scripta giganteæ, quorum ſub pondere molis,
Triſtior Encelado Bibliopola gemit.

Ita *argutè* & *ſalſè Bayle.* At nolumus jam quidem *de Sanctorum Canoniſatione* in genere loqui. (*) Hoc unum dicimus, *ſolemnem illam Franciſci & Lojolæ* ἀποθεωσιν *infallibilitatem Pontificum prorſus ſubvertere, atque oſtendere, Pontifices, qui illos Catalogo Sanctorum adſcripſerunt, cùm homines fuiſſe rerum divinarum imperitiſſimos, tùm impudentiſſimos & ſuperſtitioſiſſimos.* Rem ita probamus; aut *Pontifices illi bene ſubductâ ratione* & expenſis teſtimoniis graviſſimis, *convicti perſuaſique fuerunt*, homines *dignos*, qui inter *Divos* referantur; aut *ſine accuratiori examine incertos, rumores ſecuti, privilegium hoc* conceſſerunt. Quod *prius* attinet, requiritur *ad tale examen*, partim ut *ipſi Pontifices* non *ſemel* aut *oculis ſuis* miracula ipſa *viderint; ſingula*, ne fraus intercederet ulla, *exactè* trutinârint; aut teſtibus innitantur, qui decipere nec voluerint, nec potuerint; partim *diligenti Præceptorum & dogmatum, cum* Sacrarum Litterarum *inſtituta comparatione, perſpexerint*, doctrinam illorum eſſe *ſanctiſſimam, diviniſſimamque.* *At neutrum*

(*) Inter recentiſſimos, qui de Canoniſatione Sanctorum ſcripſerunt, referendus cl. à Windheim.

neutrum ab ipſis factum eſt atque obſervatum. Unde enim *certi* potuerunt eſſe *de innumeris viſionibus*, quæ Triumviris illis, aut in *ſomnis*, aut *vigilantibus*, & *ſolis* obtigerunt, ad quas tamen tanquàm *ad certiſſima argumenta* non ſemel provocant illi homines? Poſt accuratum examen *aliquot annorum*, uti ſuprà audivimus, *Ribadeneira*, qui ab ineunte ætate familiariter utebatur *Lojolâ*, *certus* tamen non potuit eſſe *de veritate* miraculorum ab ipſo præſtitorum; *unde ergo tanta lux Pontifici accenſa?* Unde ſcire potuit, *Roſarium & Cantum: Salve Regina*, *à Deo immediatè Dominico revelatum?* Quis perſuaſit *Innocentio III.*, cùm *in ſomno* vidiſſet *Eccleſiam Lateranenſem ruituram*, hâc ipſâ viſione ſignificari, *Ordinem Prædicatorum eſſe inſtituendum?* *Quomodo & quibus rationibus innixus*, credere tandem potuit *Papa* hominibus, dicentibus, *ſe Chriſtum in Miſſa vidiſſe?* nùm quia illi ſe hoc vidiſſe *teſtantur?* Quid ſi vidiſſe ſe *garrirent triangulum quadratum*, nùm hoc *admittere* potuiſſet? Quid ſi *ſenſus* illos homines *deceperunt?* Quibus tandem rationibus *induci* ſe paſſi ſunt Pontifices, ut crederent hominibus *impudenter* garrientibus, *ſeſe Trinitatem vidiſſe*, atque his viſionibus *omnia myſteria ſubtiliſſima* mentibus ſuis illapſa? Qualis tandem illa perſuaſio eſſe poteſt, quæ credere jubet, *unum eumdemque hominem in pluribus locis fuiſſe ſimul?* Accedit, quòd homines illi, tot virtutibus ornati & portentis inſtructi, non ſolùm *Romæ*, ſed in aliis potiſſimùm locis pleraque τερατα fecerint; *unde ſcire potuit infallibiliter Pontifex*,

 res

res ad ſe delatas *verè* eſſe geſtas? Homines *falli* poſſunt *& fallere.* Teſtes, ad quos quàm maximè provocandum eſſet, diſcipuli *erant* & comites; *quales diſcipuli Franciſci & Dominici fuerint* ſuprà audivimus, *creduli* nimirùm, *ſuperſtitioſi*, *rerum divinarum ignari. Lojolæ autem*, *fideliſſimi Socii*, *tacent per multos annos; tandem*, *factâ jam Pontificis Canoniſatione*, *os aperiunt.* At ponamus, *Pontifices illos* de veritate miraculorum, inuſitatiſſimarumque viſionum, *fuiſſe perſuaſos*, ſaltem teſtes multos eſſe, qui dixerint, ſe quædam vidiſſe, alia ab ipſis illis Auctoribus audiviſſe. Ponamus, illos homines *iis virtutibus moribusque* fuiſſe ornatos, quos referunt vitarum Scriptores; unde (*poſitis illis omnibus*) hominibus perſuadebunt, *miracula illa verè à Deo eſſe facta*, *Deumque hâc ratione oſtendere voluiſſe*, *doctrinam*, *quam profitebantur*, *cultum*, *quem ſequebantur*, *ſibi placere?* Homines illi *Invocationem Sanctorum*, *Transſubſtantiationem* profitentur; jactitant, *Deum ob merita ſua generi humano propitium fore; Mariam cæterosque Sanctos divino cultu proſequendos; homines ſe eſſe Chriſto ſimiles.* Cultus ipſe, quem ſequebantur, aliisque commendabant, *ineptiſſimus*, *rationi & Sacris Litteris maximè contrarius erat.* Unde autem novit Papa, quantâcunque Religionis ſpecie ornatus, *Deum in Sacris Litteris hæc dogmata*, *& alia multa inepta*, quæ ſuprà attuli, *docere & injungere?* Annon *contrarium liquidiſſimè* patet? *Teſtor omnium*, qui Chriſtiani ſunt, *conſcientiam*, utrùm, poſtquàm virorum illorum *Legendas* cum rectæ rationis decretis & per-

perſpicuis Sacrarum Litterarum teſtimoniis contulerunt, asſerere *auſint*, *doctrinam cultumque inter ſe nullâ ratione differre*. *Aut vera rerum vocabula amiſimus; aut certum eſt atque indubium, lucem non magis à tenebris diſtare, quàm horum hominum religionem à ſanctiſſima JESU Chriſti diſciplina.* Certè hoc nemo, *niſi expudoratæ frontis & ferrei oris*, negare poterit. Nihil jam dicam de diſcipulis ipſis horum hominum, quorum mores naturamque ſuprà ſatis depinximus. Quòd ſi igitur *Pontifices illi* tale examen inſtituerunt, factoque examine eos *dignos* cenſuerunt, *qui cœlo non ſolùm reciperentur, ſed & divinis honoribus ab omnibus Chriſtianis colerentur;* non ſolùm *rerum divinarum ſunt imperitiſſimi*, ſed & *homines*, omnium quos terra unquàm tulit, *impudentiſſimi*, *nequiſſimique*. *Idem ſequitur*, ſi ſupponamus, *incertiſſimis rumoribus eos vacivas aures præbuiſſe.* Quid enim *magis* ab omni Numinis *reverentia* alienum atque impium, *quàm homines in Deorum numerum referre, dignosque aliorum cultu & veneratione judicare, feſtosque dies in eorum memoriam inſtituere, qui tamen doctrinâ, vitâ, moribus, nihil quod Chriſtianæ Religionis decretis conveniens ſit, præſtiterint, imò anilem prorſus & abominandam ſuperſtitionem omnibus viribus promoverint?* Nùm tales, quæſo, dici poſſunt *infallibiles?* Eò magis autem Pontificum illorum vel *ignorantia*, vel *nequitia* patet, ſi conſideremus, *facile* fuiſſe hominibus in tanto faſtigio poſitis judicare, utrùm decreta hominum illorum à Deo originem habeant, nec ne. *Ipſa* enim

ratio docet, *cultum*, quem Deo debemus, *rationalem eſſe debere.* Deus ante omnia poſtulat, ut de ſe rectè ſentiamus, ut honorem omnem & reverentiam ſibi ſoli tribuamus. *Cultus Deorum* (inquit Cicero) *eſt optimus, idemque caſtiſſimus, atque ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietatis, ut eos ſemper purâ, integrâ, incorruptâ mente & voce veneremur.* Poſtulat cumprimis ille cultus, ut pravis animi ſtudiis valedicamus, utque ex animo evellamus vitiorum radices. Hæc ſolâ ratione innoteſcunt; at ſi *Pontifices* ad rectæ rationis normam unquàm exegiſſent *cultum*, quem *& præceptis & exemplis ſuis* hominibus commendare voluerunt, tanquàm *divinum*, *Franciſcus*, *Lojola & Dominicus*; fieri non potuiſſet, ut ſibi perſuaſiſſent, *Deum ipſum miracula feciſſe*, ad ejusmodi cultum ſtabiliendum; imò vel *ſine miraculis* ipſi placere non poſſe credidiſſent. Error igitur *Pontificum illorum* non ſolùm erat *vincibilis*, ſed & *talis*, *qui ſine ſummâ vel ignorantiâ*, *vel nequitiâ*, *committi haud potuit.* Quòd ſi jam ſupponas, eos ad normam *à Chriſto & Apoſtolis* præſcriptam cultum omnem examinare debuiſſe, *creſcit erroris & malitiæ magnitudo. Legati* eſſe volunt *Chriſti* in terris, & *pro oraculis* ſua haberi decreta; volunt hominibus perſuadere, *Deum vel eum in finem in terras ſe collocâſſe, ut puriſſima ſanctiſſimaque Religio conſervetur & diſſimdatur*; at hi homines *quasvis ineptias atque opiniones*, voluntati *Chriſti* prorſùs contrarias, *inculcant*, *defendunt*, *tuentur*, *atque quantum in ſe eſt*, *mentibus omnium infixas eſſe cupiunt.* Nùm *major nequitia* excogitari poteſt? Neque hoc contra *eos ſolùm*

valet

valet *Pontifices*, *qui editis Bullis & decretis*, *tres illos*, de quibus egimus, *inter Divos retulerunt*; ſed & *eos*, *qui ſecuturis ætatibus ad noſtra uſque tempora inſtitutum ſemel malè cœptum auctoritate ſuâ confirmârunt atque approbârunt.* Niſi enim *ritum* ſemel approbatum *tuerentur*; ſi *eos miſereretur* tot mentium *ſuperſtitione* captarum; ſi *paſtores* eſſent *veri ovium*, quales *κατ' ἐξοχὴν* dici volunt, *Anteceſſorum ſuorum errores atque peccata non ſolùm non comprobarent*, *ſed damnarent atque abolerent*; quod in aliis rebus non ſemel factum legimus. *Ipſi Papæ non ſemel decreta ſua malè facta mutârunt. Ita Eleutherus*, *Romanæ Urbis Epiſcopus*, (verba ſunt *Valeſii* ad Cap. III. Lib. V. Hiſt. Eccl. Euſebii) *à Montaniſtis primùm deceptus fuerat*, *qui falſæ pietatis imagine errorem ſuum callidè obtegebant*, *ad hæc litteris atque exhortationibus Lugdunenſium Martyrum impulſus*, *ad Eccleſias Aſiæ atque Phrygiæ epiſtolam ſcripſerat*, *de recipiendis in Eccleſiam Montaniſtis. Sed ſtatim admonitus à Praxea*, *quodam Aſiano*, *pacificas*, *quas emiſerat litteras*, *revocavit*, *& Aniceti*, *Deceſſoris ſui*, *auctoritatem ſecutus*, *novam prophetiam admittere recuſavit*; *ut ſcribit Tertullianus in libro contra Praxeam.* Cùm aliis, qui *donum infallibilitatis* non habent, conceſſum ſit, *miracula illa & doctrinam expendere*, cur *Pontifices* non poſſent? *Ideæ virtutum & vitiorum ſunt immutabiles.* Sacræ Litteræ *in manibus* ſunt. Mille ferè *elapſi* anni, antequàm *de Canoniſatione* unquàm *cogitatum fuit.* Cùm autem *hæc omnia Pontifices* parùm *curent*, cultumque *ſtabilitum* & *ſolemnes Canoniſationes* approbent, *novosque* ſingulis Seculis *Sanctos* plebi *obtrudant*, facilè *patet*, quid *de infallibilitate*

illorum hominum ſentiendum. (*) Sed *altiùs* progredimur atque dicimus, *Pontifices*, vel auctores ſolemnis illius Canoniſationis vel approbatores, *plebem neceſſariò ad idololatriam obſtringere. Pontifices* enim editis ſuis *Decretis* ſeu *Bullis* decernunt, *ut homines illi in Divorum referantur numerum;* pro *Hæreticis* & *Infidelibus* habent, qui *eos* negligunt; *merita illorum extollunt; precibus ad eos factis vim potentiamque ſingularem*

(*) Auctor de l'Hiſtoire des Papes, Tomo V. pag. 342. probat, reliquias falſas ab ipſis Pontificibus Romanis ſuppeditatas eſſe. Sur la fin (inquit) de ſon Pontificat, le Pape Alexandre VII. envoya en France trois caiſſes des Réliques, pour être miſes dans l'Egliſe de l'Hoſpital. Ces trois caiſſes étoient liées avec des cordons de ſoye rouge, & ſcellées du ſceau du Sacriſtain du Pape. Ces Réliques étoient accompagnées d'une Bulle, qui diſoit, qu'on pouvoit en toute ſureté les expoſer à la véneration des Peuples. On avoit dejà fait poſer dans tous les quartiers des magnifiques affichés, pour attirer le peuple à cette dévotion. On ordonna pourtant, qu'elles ſeroient viſitées. Dans la troiſième caiſſe on trouva une tête, qui parût d'abord véritable; elle avoit cette inſcription: *Caput Sancti Fortunati.* En la viſitant on apperçut audeſſûs de l'oreille un morceau de toile peintre. Le Medecin, qui s'appelloit Mr. de St Germain, prit un fer, gratta, enfonça, & trouva, que c'étoit une tête de Carte. On mit un bougie allumée dans la tête; mais la lumière ne penetroit point. Enfin on jetta la tête dans de l'eau chaude; la peinture s'effaça, & le carton ſe détrempa. Mr. de St. Germain en fit ſon procès verbal; mais par une lettre de cachet, il lui fût defendu de le montrer, ſoûs peine, d'être au moment même envoyé à la Baſtille.

gularem adſcribunt; laudes eorum reſonant in templis; miracula narrantur, & remiſſio peccatorum omnibus iis conceditur, qui humili obſequio vota ad illos faciunt. Imò, quod magis eſt, *ipſe Pontifex exemplo ſuo turpiſſimum errorem conſecrat.* Nihil dicam de ritibus, qui in templo circa hoc negotium celebrantur, ſed *decretum ipſum* tantùm *Pontificis* legentium oculis ſubjiciam; extat illud apud *Aymonium* loco citato pag. 370. „ A l'honneur de Dieu Pere, Fils & Saint Eſprit, pour l'exaltation de la Foi Catholique, l'augmentation de la Réligion, & la conſolation de N. (on nomme ici celui ou ceux, qui font la pourſuite & les fraix de la Canoniſation,) en vertu de l'autorité de nôtre Seigneur JESUS Chriſt, de celle de ſes Apôtres, Pierre & Paul, & de la nôtre, comme auſſi en conſéquence de l'avis du conſeil & du conſentement particulier de nos Freres; nous decretons & definiſſons, qu'un tel N. eſt maintenant reçû dans la Jeruſalem céleſte, parmi les chœurs des bienheureux, & qu'il eſt fait participant de la vie éternelle, & qu'il doit être mis dans le Catalogue des Saints, & que nous y avons écrit, nous même, ſon nom, en préſence de nos Freres; c'eſt pourquoi nous declarons & commandons, qu'il ſoit réligieuſement honoré comme un véritable Saint, tant en public, qu'en particulier. Nous ordonnons auſſi, que ſa Fête ſoit celebrée toutes les années un tel jour N. & qu'on lui rende tous les honneurs, que l'on ſçait devoir être rendus aux autres Saints, dont les noms ſont mis dans cette ſorte de Catalogue.

gue, & par qui les fideles peuvent implorer & attendre le ſuffrage. *Poſtquàm Decretum hoc enarráſſet* Aymon, *addit:* Après cela le Pape vient à l'Autel, où ayant dit *l'Introite* & une partie du *Confiteor*, dans laquelle il confeſſe ſes pêchés à Dieu, à la Sainte Vierge, à Saint Michel l'Archange, à Saint Jean Baptiſte, aux Saints Apôtres Pierre & Paul; il ajoute immédiatement après le nom de Saint Paul, celui du Saint qu'il vient de canoniſer, auquel il confeſſe auſſi les pêchés en géneral, & demande interceſſion auprès de Dieu, pour en obtenir le pardon. „ Hactenùs *Aymonius.* At ita homines *neceſſariò ad idololatriam committendam* inducuntur, & quidem *turpiſſimam, ineptiſſimamque.* (*) Obligantur, *ut colant homines*, quos *ſani ſincipitis* fuiſſe, nequidem *probari* poteſt. Quid autem excogitari poteſt *magis Deo indignum atque exoſum*, quàm jubere, *ut illi in cenſum*

(*) Mirum non eſt, Gentiles in India ad cultum Sanctorum facilè induci; putant enim, ſub nominibus eorum latere divos in patria receptos. Arthur Youngs hiſtoriſche Unterſuchung abgöttiſcher Verderbniſſe der Religion, pag. 451. hæc habet: Von den heutigen Indianern vvird geſagt, daſs ſie gern zu der papiſtiſchen Religion übergehen, und den heiligen und Bilderdienſt beſonders gern annehmen; vveil ſie ſie für die Gözen ihrer Vorfahren anſehen. So erzehlet Navarrette: (accounc of China, Lib. II. Cap. IX.) Ein bekehrter Chineſer machte ſein Gözenbild *Kuon In Pu Sa* zur gebenedeyten Jungfrau Maria; und einen andern Gözen *Sau Pao*, der aus dreyen Gözen, die einander in allem gleich ſind, beſtehet, hielt er vor nichts anders, als die Heilige Dreyeinigkeit.

ſum Deorum ſeu Sanctorum referantur atque oc- lantur, qui ipſimet, dùm in terris erant, cultum habuere ineptiſſimum, ſtolidiſſimumque? Num credendum, *eos aliquâ pietatis curâ tangi, qui hoc tot hominum millibus ſeveriſſimè injungunt, mentesque, ſuperſtitione ſatis captas, majori adhuc erroris* vinculo *conſtringunt?* Aut *periit* omnis veri rectique cognitio, aut tales non ſolùm *non infallibiles* ſunt, ſed *hiſtriones impudentiſſimi, nequiſſimique rerum ſanctiſſimarum irriſores.* Tandem *Pontifices homines non tantùm ad comittendam turpiſſimam idololatriam inducunt, ſed & Incredulorum atque Atheorum numerum adaugent.* Probavimus ſuprà, *præcepta illorum hominum de rebus divinis, cum ſanctiſſimis virtutibus divinis, caſtiſſimoque cultu Religionis Chriſtianæ conſiſtere non poſſe.* Quando igitur *Pontifices* non ſolùm perhibent, *Deum miracula feciſſe, ad cultum illum ineptum ſtabiliendum;* ſed &, ut omnes hoc credant, *decretis ſuis & minis aliquando injungunt;* non ſolùm hâc ratione homines in *exitiales errores* præcipitant, ſed & opere ipſo oſtendunt, *ſe non ſolùm eſſe fallibiles, ſed rerum divinarum ignariſſimos.*

CAPUT

CAPUT XVI.

Socrates, ſi quidem per leges divinas liceret, ſolemni Canoniſatione dignior eſſet, quàm Franciſcus, Dominicus & Lojola. (*)

NUllus dubito, quin multi, lectis iis, quæ *de vita, moribus & præceptis Franciſci, Dominici & Lojolæ* ſuprà diximus, mirentur, quâ tandem ratione potuerit fieri, ut *homines tam inepti atque ſuperſtitioſi* in *Sanctorum numerum* fuerint relati, tantoque in pretio ad hodiernum uſque diem habiti. *An non ſufficit,* (inquient) *quòd homines prudentes & probi cogantur, aliquando in his terris venerari atque colere eos, quibus ſæpe hellebori maxima pars danda eſſet, aut qui ſaltem cæteros virtutibus ingenii non ſuperant; an poſtquàm ex oculis receſſerunt, atque ad plures abierunt, majore adhuc honore ſunt proſequendi?* Si Pontifices viros ingenio & virtute excellentes, quales ex. gr. *Thuanus, P. Sarpius,* aliique ex grege *Eccleſiæ Romanæ,* inter *Divos* retuliſſent, dignosque judicâſſent, *quos poſteritas cultu religioſo veneraretur,* graviſſimum quidem comiſiſſent errorem; at *ſpeciem* tamen aliquam haberet ſolemnis illa Canoni-

(*) Cum hoc Capite conferenda Diſſertatio, Amœnitatibus celeb. Schelhornii inſerta, de Præſtantia Religionis Chriſtianæ, collatæ cum Philoſophia Socratis; defenſio item Socratis contra Ariſtophanem, Muſeo Helvetico illata.

Canoniſatio, *quòd viri illi de Cœtu ſacro & Republica optimè fuerint meriti.* At *Franciſcus*, cæterique Monachi, nullis meritis erant conſpicui, nihil ad generis humani emendationem, vel Reipublicæ ſalutem promovendam contulerunt, nullis denique ingenii virtutisque dotibus eluxerunt; ſed potiùs, poſtquàm in lucem editi, *multorum malorum cauſſa fuere.* Tantum igitur abeſt, ut *dignos* illos judicemus, quibus *tam ſplendidi honores* habeantur; ut potiùs multi optimi viri optarent, illos nunquàm *terras* vidiſſe. *At factum infectum fieri nequit.* Probabimus duntaxat hoc Capite, *tantum abeſſe, ut hi homines præ cæteris digni fuerint, qui cœlo inferrentur, atque tanto in honore haberentur, ut potiùs Socrates, vir luce Evangelii deſtitutus, longè dignior eſſet, cui is honor, ſi quidem id pium & rectum foret, haberetur.* Neque interim hàc comparatione eum in finem utimur, ut probemus, *potuiſſe Gentiles ſolius rationis ope ſalutem æternam conſequi*; aut ut *inanes laudes, quas quidam Veterum & Recentiorum in Socratem contulerunt*, approbemus; ſumus enim adeò *de præſtantia Religionis Chriſtianæ* perſuaſi, ut exiſtimemus, *neminem ex grege Philoſophorum, ſive præcepta ſpectes, ſive mores, ullâ ratione cum vero ſanctiſſimæ Religionis alumno, nedùm Chriſto & Apoſtolis conferri poſſe.* Hoc *unum* volumus probare, *tam ineptè & impiè feciſſe Pontifices illos, qui Divis adſcripſerunt Triumviros iſtos ſuperſtitionis promovendæ, ut Socrates Gentilis, ſi quidem per rectæ rationis & revelationis leges licitum foret, dignior eſſet, qui inſolito*

lito honore adficeretur, *quàm Franciſcus & cæteri.* Cùm nemo ita inſaniat, ut credat, *Socratem dignum*, *qui pro Sancto invocetur*; apertum erit, *quàm ineptè illi fecerint*, *qui homines*, *hôc inferiores*, *cælo locaverunt*, *atque dignos habuerunt*, *quos univerſus orbis*, *ſaltem illi*, *qui Papæ Imperium agnoſcunt*, *religioſè coleret.* Ne autem longiores ſimus in adducendis argumentis & teſtimoniis, quæ ad *Socratis* virtutes enarrandas facere poſſent, *ad teſtimonia*, niſi neceſſe eſſe putamus, non provocabimus; cùm doctrina præceptaque ipſius omnibus Eruditis nota ſint. Præter *Xenophontem*, *Platonem*, *Laërtium*, *Stanlæum*, præcipua in unum congeſſit *Charpentier*, quæ poſtmodùm in germanicum idioma transtulit *illuſtris Thomaſius.* Et *Socratem* quidem quod attinet, apud omnes Eruditos in confeſſo eſt, *virum fuiſſe eminentiſſimarum virtutum*, *ſummo ingenio excellentiſſimisque virtutibus ornatum.* Magnus ille vir, rectæ rationis decreta, quantùm per imbecillitatem humanam fieri poteſt, ſectabatur, veraque rerum pretia cognoſcebat; *ſolidum ab inani* in diſciplinis *ſolerter* discernebat, cunctaque optimarum artium præcepta ad vitæ uſum transferebat. *Philoſophiam* turpiter *neglectam* velutì è cœlo devocavit, omnesque ad eam exoſculandam atque amandam adhortatus eſt; in foro, domi, in promiſcua hominum turba veræ ſapientiæ ſparſit ſemina. In *Apologia apud Platonem*, pag. 12. ita de ſe loquitur: Ὀυδὲν γὰρ ἄλλο πραττων ἐγω περιερχομαι, ἢ πειθων ὑμων και νεωτερυς και πρεσβυτερυς, μητε σωματων ἐπιμελεισθαι,

ϑαι, μητε χρηματων προτερον, μητε ἀλλȣ τινος ȣ̔τω σφοδρα, ὡς της ψυχης, ὁπως ὡς ἀριϛη ἐϛαι. Λεγων, ὁτι ȣ̓κ ἐκ χρηματων ἡ ἀρετη γινεται, ἀλλ᾽ ἐξ ἀρετης χρηματα, και τ᾽ ἀλλα ἀγαθα τοις ἀνθρωποις ἁπαντα και ἰδια και δημοσια. *Plutarchus* περι πολυπραγμοσυνης pag. 307. breviter in laudem *Socratis* iturus, *de Philoſophia ipſius* ait: Ἡς ἦν τελος ἐπιγνωναι τα ἑαυτȣ κακα και ἀπαλλαγηναι. Nullum eſt præceptum rationis, quod ad hominis utilitatem facit, quin *à Socrate* allatum inculcatumque fuerit. Nemo hoc ignorat, qui *Memorabilia Socratis* unquàm legit. Neque erat *Philoſophus* μεχρι τȣ λεγειν ἀνευ τȣ πραττειν. Mores enim ſuos ad præcepta virtutis & ſapientiæ compoſuit. *Socratis vita* (verba ſunt M. Eraſmi) *nihil aliud mihi videtur, quàm tolerantiæ & temperantiæ exemplum.* Novimus quidem, *Socratem hominem fuiſſe, ab erroribus & peccatis non immunem.* Nimis enim debilis atque imbecilla erat lux illa, quam ſequebatur. Hinc ipſemet dixit: *eò uſque eſſe in officiis præſtandis procedendum, quouſque luminis conceſſi radii penetrant.* Vide *Xenoph. Memorab. Lib. IV. pag.* 505. *Edit. Baſ.* Cùm enim *Euthydemus* dixiſſet, *ſe quidem fateri, negligi ab ſe Deos; dolere autem, quòd nullus hominum unquàm beneficiis Deorum condignas retribuere gratias poſſit;* reſpondet *Socrates:* „ Non eſt propterea dolendum, ô Euthydeme! Vides namque Delphicum Deum interrogantibus: *quonam modo quisquam Diis gratum faciat*, reſpondentem: *lege Civitatis.* Lex verò ubique talis eſt profectò, ut juxta facultates quisque Deos ſa-

crificiis placet. Quo itaque pacto aut melius, aut magis piè Deos quisquam honorare poſſit; quàm eo modo, quo ipſi præcipiunt? Oportet igitur non prætermiſſo quoquam poſſibili (quicunque id facit, is negligit Deos) hoc modo Deos honorare, ſperare maxima bona ab iis. Quis namque compos mentis à quoquam alio majora ſperaret, quàm à Diis, qui maximè nobis prodeſſe poſſunt. Hæc verò ſperare ab eis illum oportet, qui eis placet. Ille verò iis placebit, qui quàm maximè illis obediat. „ Hinè diſceſſum ejus optimi Viri doluere atque acerbiſſimè luxerunt. Nec hodie quisquam eſt, quin vitam moresque ejus contemplans in admirationem rapiatur. Conferamus jam vitam moresque *Franciſci*, *Dominici*, *Lojolæ*. Quali ingenio præditi fuerint moribusque, ſuprà explicuimus. Vix magno labore *prima* addiſcunt diſciplinarum *elementa*; & volunt tamen *Doctores* eſſe *Gentium*. Non attigiſſe litteras, id eſt, pium eſſe, ſi hos homines audias. Summum omnium ſtudium, ne quid in ratione vitæ conveniat. Vita ipſorum univerſa actionum ineptiſſimarum hiſtoriam conficit. A cæteris mortalibus non *ſapientiâ*, *prudentiâ*, *pietate*, *eruditione* distincti ſunt, ſed *habitu*, *victu*, *ſtoliditate* alios ſuperant. Nullis ad rectè ratiocinandum præſidiis ſunt muniti, aut litteris exculti, ſed viſiones miras, inſolitas, ridiculas jactitant; mendacia adeò ſplendida de ſe narrant, ut riſum indignationemque Lectori excitent; enthuſiaſmo agitati in longinquas oras iter faciunt, non ſtudio ſapientiæ comparandæ aut veritatis propa-

propagandæ; ad quam rem erant (ſive linguas, ſive præcepta ipſa, quæ tradebant, ſpectes,) *ineptiſſimi;* ſed ut impetum turbatæ mentis & inepta cerebri commenta ſequantur, non ſuffi-ciunt his hominibus rectæ rationis decreta, aut Servatoris noſtri mandata; novas illi condunt leges, nullis fundamentis innixas, imò iniquas planè & ineptas. Neque virtutis veræ guſtum habuerunt. Paupertatis voto ſe obſtringunt, pecuniamque oblatam abjiciunt, poſcentes à Deo aut continua miracula aut ab hominibus miniſteria quaſi debita. *Noluūt laboribus vacare, ſed alienâ vivere quadrâ.* Cœcam ſuis Rectoribus obedientiam promittunt; quòd pecoribus, non hominibus convenit. Neque enim ipſe Deus, omnium hominum Legislator ſupremus, poſcit, ut ſpretâ ratione homines ſibi obediant, juſſaque faciant. Perpetuum cœlibatum promittere debent illi, qui inter *ſanctos illos homines* habitare volunt; quæ lex innumera ſcelera peperit iniqua, nec omnium inſuper ingeniis attemperata. At quisquis tamen, ſi ineptos homines audias, in familiam hanc concedit, *beatus eſt.* Multi, qui veſtibus noſtrorum Sanctorum utuntur, in cœlo (ſi Diis placet) paratis, ab innumeris morbis liberantur. Nihil fecerunt hi homines, quod generi humano utilitatem adferre potuiſſet. Quot lamentationes hominum optimorum, imò *integrarum Nationum* poſt tot Factiones exortæ ſint, pleni ſunt libri ſuperioribus ſeculis ſcripti. Ita enim optimi ſæpe Viri magna exempla daturi, ad inertiam tracti; Reipublicæ vires & facultates attritæ;

ſuperſtitio aucta & Religio ludibrio expoſita eſt. Verbo: *Vita Socratis ad rectæ rationis ductum fuit exacta, præcepta ipſius generi humano utiliſſima prudentiſſima erant. Franciſcus autem, Dominicus & Lojola, rationis leges pedibus conculcârunt, ineptiſſimis actionibus nil niſi famam turpiſſimorum hiſtrionum in cauſſa Religionis ad poſteritatem transmiſerunt.* Pergamus ad religionem cultumque *Socratis* & *Monachorum noſtrorum. Socrates* (uti audivimus) rationem omni ſtudio & cura excoluit, haud ignarus, *quàm pretioſum illud donum ſit, ab Optimo Numine nobis conceſſum.* Hinc de ſe in *Critone* ait: Ἐγω ὐ μονον νυν, ἀλλα καὶ ἀει τοιυτος, όιος των ἐμων μηδενι ἀλλῳ πειθεσθαι ἡ τῳ λογῳ, ὁς ἀν μοι λογιζομενῳ βελτιςος φαινηται· i. e. *Ego non tantùm nunc, ſed etiam ſemper ejuſmodi fui, ut meorum nemini, ſed rationi parerem, quæ mihi ratiocinanti optima videretur.* Hac luce colluſtratus in res divinas diligenter inquiſivit, nulli labori parcens. Hinc factum, *ut meliùs de Deo rebusque divinis diſſereret, quàm Philoſophi ante & poſt eum viventes*, ſi eos excipias, *quibus Deus lucem extraordinariam*, Revelationem inquam, *conceſſit.* Hinc (ut ſpecimen aliquod breve adducamus Theologiæ Socraticæ) probat *Numinis exiſtentiam ab Ordine Univerſi finibusque rerum creatarum*, apud *Xenoph. Memorab. Lib. IV. pag.* 503. *Hoc Numen eſſe inconſpicuum, non minùs tamen caſtâ mente colendum.* ibid. pag. 505. *Incorporeum*, præter *Xenoph.* loco citato, *Plutarchus* & *Lactantius* teſtantur. *Bonum*, imò *Optimum*, *Xenoph. Lib. I. p.* 450.

&

& *Lib. X. p.* 505. *Omniſcium*, ibid. pag. 454. *Sapientiſſimum*, *Plato in Apologia*, *pag. m.* 471. *Omnia curare poſſe*, *Xenoph. pag.* 454. *Omnibus rebus proſpicere*, ibid. Lib. I. pag. 452. *Leges dari quasdam divinas*, *ab omnibus hominibus obſervandas*, ibid. pag. 508. *Preces ad Deum fundendas*, *&* *in genere tantùm*, *translatâ in Deum*, *quid nobis quàm maximè prodeſſet*, *curâ*, ibid. pag. 450. *Deum colendum & adorandum*, *pag.* 453. *Eumdem adſpectabilem rerum univerſitatem condidiſſe*, Lib. IV. pag. 505. *Nobilitatem mentis*, *corporisque pulchritudinem Dei beneficientiæ deberi.* Omitto plura alia, quæ apud citatos auctores occurrunt. Vix caput Theologiæ Naturalis excogitari poteſt, cujus mentionem non fecerit *egregius homo.* Ut jam de adhortationibus ad omnis generis virtutes nil dicam. Obſervandum autem cumprimis, *eo tempore*, *quo vixit Socrates*, *non ſolùm Athenis*, *ſed & in plerisque locis ſingularia hæc naturalis religionis capita penè fuiſſe ignorata*, *ſaltem non ſatis inculcata.* Unde *Philoſophus ille* exiſtimavit, *ſui officii eſſe*, *res adeò pulchras frequenter*, *omnique datâ occaſione inculcare*, *laudare*, *probare.* Non interim diffitemur denuò, *Socratem in eo peccâſſe*, *quòd Sacrificiis (more patrio) Deos placaverit*, *quòdque oraculis & divinationibus non planè nuncium miſerit.* At ſi quis tempora, quibus vixit eximius Vir, perpenderit; ſi rationis humanæ imbecillitatem cognoverit, mitiùs de tanto Viro judicabit. Quòd ſi jam Theologiam *Franciſci*, *Dominici* & *Lojolæ* cum *Socratis* præceptionibus conferamus; non quidem affirma-

 mus,

mus, illa præcipua capita, quæ recta de Deo docet ratio, ab illis diſertis verbis fuiſſe negata; at contendimus tamen, multa ab illis fuiſſe publicè prolata, defenſaque, quæ virtutibus divinis contraria ſunt. Et 1. quidem ubique præ ſe ferunt, Deum cultu quodam externo & ſuperſtitioſo placari. Hinc cantionibus quibusdam, ut *Salve Regina*, *Roſario* incredibilem adſcribunt vim, adeò ut qui talia identidem repetierit, meritò inter pios, quos Deus amat, ſit ſcribendus; tuentur, idque etiam effictis viſionibus probare volunt, Deum facere contradictoria, Deum ſuperſtitionem approbare, fovere, imò in illius gratiam mira ac portenta edere. 2. Deus non ſolus eſt invocandus, adorandus; non ſolus omnipotens, ſed & *Maria* & *Sancti illi*, qui innumera faciunt omnes vires humanas ſuperantia; hinc non ſemel *Sanctuli noſtri Mariam* exorant, ut hoc vel illud efficiat atque concedat; ita fingunt, Deum poſt miſſos Prophetas, imò Filium ſuum unicum & Apoſtolos genus humanum ſalvare velle per *Dominici* familiam. Non ſemel etiam blaſphema quædam, cumprimis in *Franciſci* & *Dominici* Legenda apparent, quæ omnia probant, homines illos de omnipotentia Dei & ſanctitate non ſatis fuiſſe perſuaſos. 3. Imò ſi rem ritè putemus, non ſolùm ea, quæ ratio de Deo cognoſcere poteſt, verbi gratiâ *de cultu interno*, tetrâ ſuperſtitione involverunt, ſed & ſanctiſſima dogmata rationi ſuperaddita obſcurârunt, imò ſæpe ſubverterunt. Sunt quidem non pauca veſtigia in vitis *Triumvirorum iſtorum*, quæ innuere videntur,

eos

eos Sacras Litteras nunquàm *ſeriò* evolviſſe, quò ſpectant ineptæ, ridiculæ, ſæpe impiæ citationes, ad nugas, quas proferunt, probandas. Vix enim credibile, hominem de Sacrarum Litterarum divina origine perſuaſum & in iis probè verſatum *adeò abjectè & irreverenter* loqui poſſe. At ſupponamus tamen, homines illos de divina origine Scripturæ fuiſſe perſuaſiſſimos, ne ſic quidem tamen à culpa vacui ſunt. Quando homines in ſuam pertrahere volunt ſententiam, nunquàm audies ab iis adferri *doctrinam JESU Chriſti & Apoſtolorum.* „ Altum hìc eſt ſilentium de cognitione ſuî ipſius; vera peccatorum confeſſione; ſenſu peccatorum ſuorum; de neceſſitate legendi Sacras Litteras; de vera indole, natura & caracteribus fidei; de dignitate JESU Chriſti, ejusdemque merito; de perpetuo ſtudio veræ pietatis; de natura cultûs Dei interni, aliisque capitibus, quæ Summam rerum credendarum & faciendarum conficiunt. Crebrò autem audias, commendari cultum Sanctorum, Mariæ, merita illorum, abſolutam neceſſitatem cantiones quasdam ineptas recitandi, earum vim, traditiones aniles, & quæ alia talia ſunt. „ Quid dicam de blaſphemis comparationibus *Franciſci* & *Dominici* cum Chriſto? Sanè quisquis alicujus religionis ſenſu tangitur, *exhorreſcit*, ſi talia legat. *Sanctiſſimus Servator noſter, ut hoſtes amemus, iisque benefaciamus*, injunxit. Quo animo *Lojola*, *Dominicus* cumprimis, in diſſentientes fuerint, ſuprà obſervavimus. At *Socrates* ſolius rationis ope divinum hoc & egregium præceptum cognoſcebat & in-

eulcabat. Hinc *Themiſtius* de eo *Orat. VIII.* ʼΕυ δε ἐποιει και Σωκρατης τον παρα τοις πολλοις ἐυδοκιμουντα λογον ἐπανορθων, ὁτι δει τους μεν φιλους ἐυποιειν, και δε ἐχθρους κακως ποιειν. ʼΕπηνορθε δε το μεν φυλαττων, το δε μεταγραφων· το μεν γαρ ἐυποιειν ἐπηνει, το δε κακως ἐπηνορθου. Τους φιλους μεν ἐυποιειν, τους δε ἐχθρους μη κακως ποιειν, ἀλλα φιλους μεταγραφων. Id eſt: „ Benefaciebat *Socrates*, qui *corrigebat* celebre illud & vulgare dictum: *Oportere amicis benè facere, inimicis malè.* Corrigebat autem alterum mutans. Probabat enim benè facere, malè verò emendabat. Amicis quidem benè faciendum; inimicis verò non malè, ſed amicos eos eſſe faciendos putans. „

Novi quidem, viros aliquando præſtantes & cætera probos, acriùs quàm par eſt in *diſſentientes* animadvertiſſe; at hi tamen noluerunt haberi *pro hominibus*, *de cœlo ad perficiendum genus humanum miſſis*, quo nomine *homines noſtri* ineptè gloriabantur. Scio, defenſores regeſſuros, hæc tradi à vitarum Scriptoribus, qui in majus aliquando res extollere ſolent; neque igitur *Triumviris iſtis* omnia eſſe tribuenda. At ſi ita eſſet, manifeſtò ſequeretur, planè auctores vitarum *impoſtores* eſſe, quibus nulla fides habenda. Quid enim frequentiùs ingeminatur in *vita Franciſci*, quàm miraculum editum in *corpore Franciſci*, ad gloriam ipſius extollendam? Annon *fanaticus* ille homo aperit, quâ ratione hoc factum? Cur tantam vim eſſe jactitant horum vulnerum? Annon ipſe garrit *Dominicus*, *Mariam*

Mariam ſibi apparuiſſe & Roſarium de cœlo attuliſſe, ad ſalutem adferendam hominibus? An non totidem verbis frequentiſſimè adſeritur, maximam eſſe vim meritorum illorum hominum ad peccata diluenda? Si hæc omnia à vitarum Scriptoribus efficta ſunt, utì *lubens* credo, quid tandem fidei meretur *ineptiſſimus Cento?* Cùm autem vitarum Scriptores contendant, hæc omnia, quorum mentionem fecimus, *verè facta*, dictaque & miracula ſolâ illorum fide nitantur, quid aliud exinde nobis concludere licet, *quàm homines illos religionem aliquam, Sacris Litteris è diametro oppoſitam, in medium attuliſſe, atque adeò impudentiſſimos homines fuiſſe & mentis non bene ſanæ? Socrates*, quantùm potuit, fecit, ad religionem naturalem Athenienſibus ſuis commendandam, corruptoſque civitatis mores taxandos, emendandoſque. *Franciſcus* & cæteri ubique deprehendere potuerunt, caſtiſſimum Dei cultum planè eſſe teterrimâ ſuperſtitione contaminatum, hominesque veræ Religionis, per *Chriſtum* & *Apoſtolos* annunciatæ, eſſe ignariſſimos. Homines volunt videri *à Deo excitati* (unde non ſemel legitur, homines vel in ſomno, vel viſionibus eorum adventum in terras prædixiſſe, imò *vates ſacros* de iis vaticinatos) *ad emendandum genus humanum.* At ne quidem ullam receptæ ſuperſtitionis particulam taxant atque removent; nedum ut (*ad exemplum Apoſtolorum*) graſſanti impietati & ſuperſtitioni fortiſſima ſua opponerent pectora. Quicquid hominibus perſuadent faciendum, aut nititur viſione aliquâ ineptâ, aut miraculo facto

ad ſuperſtitioſum ritum amplectendum. Imò, quod magis eſt, certum, ex quo homines illi in terris apparuerunt, ſuperſtitionem magis magisque fuiſſe auctam. *Transſubſtantiationis* dogma receptum tùm temporis, viſionibus & miraculis voluerunt probare; quod certiſſimum ſignum, eos cùm veræ Religionis ignariſſimos, tùm impudentiſſimos fuiſſe hiſtriones. Cantionem illam, *Salve Regina*, in honorem *Mariæ* excogitatam, & *Roſarium* ad generis humani utilitatem demùm de cœlo demiſſam perhibent. Quid dicam de efficacia, quam tribuunt vitæ Scriptores reliquiis corporis *Franciſci*, *Dominici* & *Lojolæ*? Vix eſt pars corporis eorum, inde à vertice ad plantam pedis, quæ non mirificam habeat vim in animos corporaque eorum, qui magni faciunt, colunt & invocant *Sanctulos iſtos*. Nùm hoc eſt *emendare genus humanum*, atque veram docere Religionem? An non præſtat *Socrates*, qui ratione, quà ſolâ uti potuit, in conſilium adhibitá, plus fecit ad capita religionis naturalis inculcanda, quàm *tres iſti ſuperſtitionis propagatores*, qui & rationis leges & ſanctiſſimæ Revelationis decreta ſimul pedibus conculcarunt? Si dicas, *Socratem* tamen ſuperſtitioni non planè valedixiſſe, non abnuerim quidem; quanquàm in vita ejus *à Platone* & *Xenophonte* deſcripta non adeò multa ſint teſtimonia hujus rei. At ſit ita; demus, eum non ad ſolius rationis leges vixiſſe, ſed ad religionem publicè receptam ſæpe ſe accommodaſſe; in quo ipſum haud laudamus; nùm propterea cætera ejus præcepta egregia ſunt contemnenda? Certè ex violenta,

quam

quam perpeſſus eſt morte, conſtat, eum non omnes opiniones de religione publicè receptas approbâſſe. At *homines illi noſtri* eo vivunt tempore, quo Revelatio diu ſuperſtitionis paganicæ craſſiſſimas tenebras dispulit; rationem tamen ipſam ejusque leges ſpernunt; Revelationem nauci habent; pro ſuperſtitione paganica infinitas alias, non minùs ineptas, ridiculas & Deo contumelioſas, vel jam inventas approbant, vel ipſimet comminiſcuntur; hunc cultum ridiculum, ineptum commendant, mirificam illi vim tribuunt, atque in cœlum tollunt laudibus. Quando *Socrates* de Diis & ſacrificiis locutus eſt, ingeminavit (ita ſaltem in Apologiis ſuis *Xenophon* & *Plato* loquuntur) hoc poſtulare τον νομον της πολεως. At egregii illi Doctores cultum illum receptum & à ſe adauctum à Deo probari contendunt; excogitant, ad id perſuadendum, viſiones, miracula; hunc cultum Deum velle audacter pronuntiant, imò per hunc cultum homines ad veram ſalutem conſequendam graſſari *impudentiſſimè* garriunt. Verbo: *Toti in eo erant, ut ineptiſſimas nugas & nefandam ſuperſtitionem promoverent.* Quod *de Monachis* in genere dixit *Magnus Eraſmus* in *laude Moriæ*, in maximam partem ſummo jure *tribus noſtris celebrium Factionum Ducibus* applicari poteſt. Primùm, *inquit*, ſummam exiſtimant pietatem, ſi uſque adeo nil attigerint litterarum, ut ne legere quidem poſſint. Deinde cùm Pſalmos ſuos, numeratos quidem illos, at non intellectos, aſininis vocibus in templis derudunt, tum verò ſe putant Divorum aures multâ voluptate demul-

demulcere. Et ſunt ex his nonnulli, qui ſ
des ac mendicitatem magno vendunt, pro
foribus magno mugitu panem efflagitant, i
in nullis diverſoriis, vehiculis, navibus, r
obturbant, non mediocri profectò reliquor
mendicorum jacturâ. Atque ad eum mod
homines ſuaviſſimi, ſordibus, inſcitiâ, ruſt
tate, impudentiâ, Apoſtolos, ut ajunt, no
referunt. *Et paucis interjectis:* Horum mag
pars in tantum ſuis nititur ceremoniis & ho
num traditiunculis, ut putet unum cœlum
rùm dignum eſſe tantis meritis præmium, ha
cogitantes, futurum, ut Chriſtus contemtis
omnibus, ſuum illud ſit exacturus præceptu
nempe charitatis. Alius oſtentabit aqualiculu
omni piſcium genere diſtentum. Alius Pſaln
rum centum effundet modios. Alius Jejun
rum myriadas annumerabit, & toties un
prandio penè diſruptam imputabit alvum. Al
tantum ceremoniarum acervum proferet, qu
tus vix ſeptem onerariis navibus vehi poſ
Alius gloriabitur ſexaginta annos nunquàm
tactam pecuniam, niſi digitis duplici chiroth
munitis. Alius cucullam ingeret, adeò ſor
dam & craſſam, ut nullus nauta ſuo digne
corpore. Commemorabit alius, ſe plus qu
undecim luſtris ſpongiæ vitam egiſſe, ſem
eidem affixum loco. Alius raucam aſſid
cantu vocem adducet. Alius lethargum ſoli
dine contractum, alius linguam jugi ſilen
torpentem. At Chriſtus interpellatis, nunqu
alioqui finiendis gloriis, undenam hoc (inqui
novum Judæorum genus? Unicam ego leg

V

verè meam agnoſco, de qua ſola nihil audio. Et olim palàm, nulloque parabolarum utens involucro, paternam hæreditatem pollicitus ſum non cucullis, preculis aut inediis, ſed fidei & charitatis officiis. Nec eos agnoſco, qui ſua facta nimis agnoſcunt. Iſti, qui me quoque ſanctiores videri volunt, Abraxaſiorum cœlos, ſi libet, occupent; aut ab his ſibi novum extrui cœlum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis antepoſuerunt. „ Ita eleganter pariter & verè de plerisque Monachis ſui temporis judicat *præſtantiſſimus Scriptor*; quæ quâ ratione in *Franciſcum & Sodales* conveniant, ſuprà dicta ſatis oſtendunt. Provocabunt fortè quidam ad miracula illorum hominum, atque contendent, in eo ſaltem multùm eos præſtare *Socrate*, qui nulla prodigia fecerit atque portenta. Ego verò jam ſatis ſuperque dixi, quid de miraculis illis ſentiam. Nimirùm illa *à maleferiatis hominibus* excogitata, ad famam ineptiſſimis hominibus conciliandam. Quòd ſi tamen *verè* geſta eſſent, nihil aliud concludere liceret, quàm *infernalem Genium* miſeris mortalibus illuſiſſe, atque omnem ſuam vim potentiamque contuliſſe, ad deteſtandam ſuperſtitionem præceptaque Religioni naturali & revelatæ contraria confirmanda atque diſſeminanda. Quòd ſi hoc volunt illi, quibuscum nobis res eſt, næ iis facilè largiemur, *Dæmonem* in *Socratem*, virum ſapientem, talem potentiam exercere non potuiſſe. Impium autem planè eſt, dicere, uti ſuprà oſtendimus, *Deum ea miracula patrâſſe.* Si vitæ Scriptores *Socratis* conſulimus, apparebit, magno huic viro

viro Dæmonem aliquem ſeu *Angelum*, perpetuum vitæ comitem, conceſſum. Majore fide dignus eſt ipſe *Socrates*, qui hoc de ſe teſtatur; & diſcipuli *Plato* & *Xenophon*, quàm *Legendiſtæ*. Dæmon ille ſæpe obſtitit, quo minùs nocitura faceret. Nunquàm impulit, *ut ineptas Athenienſium opiniones de Religione approbaret.* Igitur & in hoc præſtat *Socrates*. Hinc *Vir quidam eruditiſſimus* exiſtumavit, *non ſine Numine Dæmonem illum Socrati contigiſſe.* Ita enim ille *Sylvar. philolog. Cap. III. pag.* 214. „ Crediderim, cùm Dei Providentia non Hebræos tantùm, ſed & quasvis gentes complexa ſit, non ſine ejus nutu apud nonnullas natos eſſe & vixiſſe eximios quosdam viros; à quibus cæteri homines, ſine ratione veluti palantes, & in vitia incauti delabentes, ad veritatem & virtutem revocarentur; qualis apud ultimos Seres fuit *Confucius* ille, celeberrimus Orientis Sapiens; & qualis Pater ille Philoſophiæ *Socrates*, qui Anno ante Chriſtum 469. in lucem editus eſt. E re ipſa ſi conjecturam facere licet, uterque apud Gentes veri Dei cognitione deſtitutas, ut ne nimis præcipiti lapſu in veritatis contemtum, omniaque inde naſcentia vitia inciderent, idque ſingularis Providentiæ divinæ beneficio, quæ Gentium illarum miſerta eſt, natus eſt. *Et paucis interjectis:* Præterea, ut fides Viro faciliùs haberetur, comitem ac cuſtodem ei addidit quempiam ex inferioribus illis Spiritibus, quos græci Ethnici δαίμονας, Latini *Genios*, Chriſtiani *Angelos* vulgò vocant. Nihil ſanè vetat, non tantùm Angelos eſſe ingenti numero, quod nos

nos Litteræ Sacræ docent; ſed etiam variorum eſſe generum & dignitatum, quod etiam non obſcurè innuunt eædem Sacræ Litteræ. Ex illa autem tot generum angelicarum naturarum copia, fuerit unus additus *Socrati* cuſtos, cum certis mandatis & poteſtate non admodùm ampla; qui poſſet Philoſophum monere, ne quædam faceret, quæ potuiſſent ei eſſe noxia, quàmvis periculum ipſe non intelligeret; ut inde liqueret, Deum *Socrati* ſingularem in modum adeſſe, ideoque majore cum reverentia exciperentur ab aliis, quæ doceret. „ Ita *Vir ille doctus.* Non opus eſt, ut in hac comparatione eò delabamur; interim veriſimilior certè hæc *Viri docti* opinio eſt, quàm ſententia illorum, qui credunt, Deum in gratiam *Franciſci &c.* mira & portenta edidiſſe. *Conferatur* (ut verbo abſolvam) *univerſa vita Socratis, præcepta illius, virtutes, cum vita rebusque geſtis & dogmatibus Franciſci, Dominici & Lojolæ; & (niſi me omnia fallunt) evidenter conſtabit, Socratem, ſi quidem ſolemnis Canoniſatio per leges divinas locum haberet, digniorem fore, cui tribueretur inuſitata hæc gloria, quàm verò ſunt cæteri tres ſuperſtitionis alendæ Triumviri; atque adeò in poſterùm exclamandum potiùs erit:* O Sancte Socrates, ora pro nobis; *quàm: Sancte Franciſce, Sancte Dominice, Sancte Lojola, orate pro nobis.*

CAPUT

CAPUT XVII.

Agitur de officio Doctorum Eccleſiæ Romanæ, cumprimis autem eruditorum Gallorum, in graviſſimi negotii cauſſa. (*)

NEmo eſt, qui cùm vitas hominum illorum, de quibus egimus, perlegit, atque aliquâ Religionis caſtæ curâ tangitur; nemo (inquam) eſt, quin exhorreſcat atque deteſtetur *impudentiam* eorum, qui libros illos conſarcinârunt atque in vulgus ediderunt, tot fabellis, portentoſis narrationibus atque ineptiis repletos. Fuerunt inter *ipſos Eccleſiæ Romanæ Doctores*, qui publicè oſtenderunt, quid *de pudendis illis fabulis* ſentirent. *Melchior Canus*, *Vir doctus*, *Libro XI. Locorum Theologic. Cap. VI. pag.* 540. mentionem faciens *aureæ Legendæ*, ſcriptæ à *Jacobo de Voragine*, *Epiſcopo Genuenſi*, ita ait: ,, Nec ego libri illius auctorem excuſo, qui *Speculum Exemplorum* inſcribitur; nec hiſtoriam etiam ejus, quæ *Legenda aurea* nominatur. In illo

(*) Exigua ſpes eſt, eruditos in Gallia Religionis Antiſtites ſuperſtitionem, per tres illos Monachos introductam, repreſſuros eſſe; cùm non ſolùm Bullam illam *Unigenitus*, uti appellatur, penè omnes ſibi obtrudi paſſi ſunt; ſed & Jeſuitæ regnent, & jus in conſcientias nullis ferè limitibus circumſcriptum exerceant. Egregia vel potiùs deteſtanda hujus exercitii exempla ſuppeditavit Auctor *du Journal univerſel.* Quid hodie in florentiſſimo regno agatur, notiſſimum eſt.

illo enim miraculorum monſtra ſæpiùs, quàm vera miracula legas; hanc homo ſcripſit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parùm ſeveri & prudentis. *Lengletus du Freſnoy* in *Catalogo Hiſtoricorum* mentionem faciens *Bartholomæi de Piſis Libri Conformitatum vitæ Franciſci cum vita JESU Chriſti* vocat *librum impium*. „ (*) Aliorum teſtimonia jam quidem ſilentio prætereo. Nec immeritò ita judicant *Viri præſtantiſſimi*. Vix enim aliter ſentire poſſent, qui homines in *Atheiſmum* vellent præcipitare, aut pudendam ſuperſtitionem commendare. De priore jam quidem initio hujus opellæ aliquid monuimus; poſterius quod attinet, notum eſt, ejusmodi libellos in ſermones vulgares eſſe translatos, atque paſſim à vulgo legi; unde non poſſunt non, cùm *meliora* audire & legere non poſſint, plerique in *craſſiſſima ſuperſtitione* confirmari. Libellus *de vita Dominici* germanico idiomate ſcriptus, ab amico in vicinia mihi fuit conceſſus.

Ee Huic

(*) Aliter de hoc libro judicant Jeſuitæ Trivoltienſes au Num. 3088. „ Le fameux Livre des Conformités de St. François, Edition de Milan (1513.) ce n'eſt pas la première, il y en a une de 1510. toutes deux ſont rares. Barthelemi de Piſe, très bon Réligieux Franciſcain, au quatorzième Siècle, s'aviſa, de comparer ſon ſaint Patriarche avec Jeſus Chriſt; & il écrivit à ce ſujet une multitude de choſes trop peu exactes, mais qui pouvoient être excuſées en faveur de l'intention, & du tems où vivoit l'Auteur. Cet ouvrage pique la curioſité des Bibliothéquaires & des Amateurs de Livres, parce qu'il a été l'occaſion de bien des Satyres la plûpart outrées, déraiſonnables, & nées dans le ſein de l'heréſie.

Huic libello inſertæ erant multæ picturæ, in quibus res geſtæ *Dominici* referebantur; adjectæ multæ preces ad *Dominicum* directæ, ex quibus conſtabat, quanti eum *poſſeſſor libelli* faceret. Quin idem *infinitis aliis* contingat, nullum eſt dubium. Experientia quotidiana loquitur. Nec diffitebitur, cui *mica candoris* ineſt. Æquiſſimum igitur eſt, ut, (ſi quæ pietas, religio & Numinis reverentia iis ineſt) qui in Eccleſia Romana Sacris operantur, ſacros illos & horribiles libellos publicâ auctoritate proſcribant, è manibus hominum evellant, ſeveriſſimèque prohibeant, atque adeò oſtendant, ſe non eſſe ſanctiſſimæ caſtiſſimæque Religionis publicos hoſtes & irriſores. Incumbit hoc officium ante omnia *Principi omnium Eccleſiarum*, qualem ſe jactat in aula ſua, *Papa* nimirùm. Quòd ſi is eſt, utì perhibent plerique hujus Eccleſiæ Doctores, *infallibile Oraculum in rebus*, utì loquuntur, *juris & facti*, facilè poterit decernere, utrùm *miracula illa*, de quibus agimus, ſint geſta, atque à Deo ipſo edita; utrùm item præcepta religionis, quæ *à tribus iſtis* docebantur, ſanctiſſimæ Religioni per Chriſtum manifeſtatæ conſentanea ſint. Nos, quibus donum infallibilitatis nullum contigit, mediocri attentione adhibitâ, deprehendimus, *miracula illa impoſturas eſſe vel hominum, vel illuſiones jurati hoſtis generis humani; præcepta autem religionis inepta, abſurda, blaſphema eſſe.* Quòd ſi *illuminatiſſimus & ſanctiſſimus Pater* pulcherrimè, utì nos quidem credimus, novit, hæc miracula *fraudi Monachorum* ſuperiorum Seculorum eſſe tribuenda, cultum

cultum ab ipſis inculcatum, Chriſti (cujus *Legatus* in terris eſſe vult) & diſcipulorum præceptis eſſe contrarium; per ementita illa miracula errores graviſſimos, peſtilentiſſimosque disſeminari atque confirmari, imò peſtis adinſtar, longè latèque ſerpentis, pervagari; animas, Deo & Chriſto ſacras, ita leto dari, non poteſt non, *ſi ullâ Religionis tangitur curâ*, malo, quod omnes venas pervadit, omnibus viribus ſeſe opponere, & quidem citiſſimè. Si hoc non facit, non poſſumus non eum pro *Hæretico*, & quidem *impudentiſſimo pertinaciſſimoque* habere. *Da igitur, Pater, augurium, animisque illabere noſtris.* Quòd ſi verò *Papa* firmiſſimè certiſſimèque ſibi perſuadeat, *hæc miracula* à Deo ipſò facta, ad præcepta cultumve horum hominum confirmandum, ignoſcet nobis, ſi non ſolùm eum *pro infallibili Duce Eccleſiæ* non agnoſcamus, ſed & *abjectiſſimè* de eo ſentiamus, atque exiſtumemus, *Pontifices homines eſſe rerum humanarum & divinarum ignorantiſſimos, imperitiſſimosque.* Cùm autem fraudes illæ & mendacia adeò pelluceant, ut manibus veluti palpari poſſint, perſuadere nobis non poſſunt, *tam incredibili ignorantiâ & cæcitate laborare hominem ab illuſtriſſimo Collegio electum & dono infallibilitatis à Deo donatum.* Ab eo igitur exſpectamus *auxilium præſentiſſimum in rebus tam deploratis, miſerisque.* Quòd ſi quis exiſtumet, vix ſperari poſſe, Pontificem hydram illam errorum & ineptarum opinionum fœcundiſſimam matrem enecaturum, implorabimus eorum opem, qui in hoc cœtu eruditione, ingenii acumine & re-

rum in Eccleſia geſtarum peritiâ cæteros antecellunt. Horum autem in Eccleſia Romana noſtrâ ætate non eſt exiguus proventus. De viris *Italiæ* litteratis nolumus multa dicere; cùm enim Pontifex cervicibus eorum immineat, atque arctè nimis optima ingenia conſtringat, vix ſperare poſſumus, illos, *ſi nolit Pontifex*, manus operi admoturos. Ad eruditos igitur *Galliæ* viros nos convertimus. Quoties ego, *quæ doctiſſimi Viri in omnibus Philoſophiæ partibus & elegantiorum Litterarum ſtudio moliuntur*, lego, *toties vaſtiſſimam eorum eruditionem & acumen admiror. Admiratur & laudat univerſus Eruditorum Chorus.* Doleo tamen, ne quid celem, viros hosce oculatiſſimos veritatisque inquirendæ ſtudioſiſſimos nullam aut oppidò exiguam impendere curam, ad ea, quæ præteritorum Seculorum ignorantia & malitia invenit in rebus divinis mala, convellenda, atque ex animis hominum, quantùm fieri poteſt, eradicanda. Non enim mihi perſuadere poſſum, viros illos in rebus longè difficilioribus acutum cernere, in his cœcos eſſe. Credant hoc illi, quibus eruditio eorum cognita non eſt. Majus autem officium præſtarent generi humano, *ſi ridiculas, ineptas & impias opiniones validis argumentis debellarent*, quàm *ſi corporum cæleſtium naturam, motum, plantarum ſtructuram, novas geometricarum quæſtionum ſolutiones, Græcorum Romanorumque conſuetudines, ritus, antiquorum monumentorum elucidationes &c. explicarent, & in lucem proferrent.* Quàmvis enim & *hæc* ad veræ eruditionis incrementum multùm faciant; nemo tamen

dubita-

dubitaverit, quin opus facerent Deo magis glorioſum & generi humano utiliùs, ſi in debellandis & extirpandis ineptis & ſuperſtitioſis opinionibus, rectæ rationi & caſto Dei cultui contrariis diligentiam ſuam operamque omnem impenderent. Certè hoc eximium & in omne ævum duraturum pietatis monumentum eſſet. Habent *eruditiſſimi viri*, (ut de iis, qui Chriſto nomen dederunt, nihil dicam,) *illuſtre exemplum*, quod ſequantur, *Ciceronem* nempe, *eruditiſſimum olim & eloquentiſſimum Reipublicæ Romanæ Conſulem:* Hic, quamvis non omnes errores publicè receptos exploſerit, maximam tamen partem miraculorum fictorum, prodigiorum & anilium fabularum *maſculè* exploſit in libris *de Divinatione.* Quòd ſi *ſola ratio* tantum valet ad futiles opiniones & ſtultas traditiones infringendas, facilè conjectu eſt, quid præſtare poſſet *probitas, candor & zelus pro gloria Dei?* Equidem non ignoro, ſi jam mihi reſpondere velint, *abundè illis facundam & compoſitam orationem fore.* Dicent: „ Se quidem eo acumine eſſe præditos, ut ſine nobis videant, cui hæc ſint tribuenda miracula; & quàm ineptæ, inſipidæ & impiæ ſint illæ fabellæ, quæ dicuntur *Legendæ.* At malum adeò altè radices in animis hominum, plebis cumprimis, egiſſe, ut vix evelli ullis argumentis poſſit; periculoſum eſſe, errores, quos longa annorum ſeries approbavit, attentare, mutatisque ſemel in pravam ſuperſtitionem animis vix ſpem eſſe tanti operis perficiundi. Inſurrecturos contra ſe nobiliſſimarum Factionum cuneos, & tragicis clamoribus, quaſi de interitu

omnis religionis ageretur, optimos conatus ſufflaminaturos, neque paſſuros, ut gloria, quam familiarum numeroſiſſimarum Duces adepti ſunt, obfuſcetur. Papam ipſum de palatio ſuo tela vibraturum, ipſumque Jovem imitaturum, qui Gigantes ſtygias ad undas detruſit. Notum, quid optimo *Launojo* aliisque cordatis viris contigerit. Gallicanam quidem Eccleſiam non tanti æſtimare Papam, ut ſputa ejus lambat; at multos dari Præſules, qui varias ob cauſſas ipſi ſint devoti. Bullam *Unigeniti* illuſtre hujus rei exemplum eſſe. Multos adhuc dari, qui ſuperſtitionem turpiſſimam defendant & alant. Notum, quid ante paucos annos cum muliere ſanguinis profluvium paſſa, nuper autem cum ſtultiſſima & fanatica muliere *Alacoque*, Abbate item *Pariſio*, in urbe celebratiſſima contigerit. Periculoſiſſimum eſſe quidquam mutare; diem & meliorem lucem fortè ſuperſtitionem deleturam. Se non minùs in corde explodere ficta miracula & ineptas opiniones, quàm illos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem fecerunt, licèt circa alia argumenta Religionis diſſentiant, &c. &c. &c. „ Ita reſponſuros credo, *cordatos & veritatis ſtudioſos viros*. Non is ſum, qui eruditione & ingenii acumine cum tantis viris me ullà ratione conferri poſſe credam. Quantùm tamen video, rationes allatæ non magni ſunt ponderis. Totius ferè ratiocinationis Summa huc redit: *Erroribus & ſuperſtitioni tum demum occurendum, quando id ſine metu & tumultu fieri poſſe creditur.* At ſi hoc axiomatis loco ponendum eſt, non ſolùm veræ eruditionis curſus, ſed & omnis

omnis profectus in pietate & negotio Religionis ſufflaminabitur. Secundùm hanc regulam olim Chriſtiani dicere potuiſſent: *Gentiles cum lacte materno hauſerunt turpiſſimæ ſuperſtitionis liquorem, religionemque à Majoribus acceptam pertinaciter defendunt; obſtant conatibus noſtris Decreta Imperatorum, Præfectorum ſævitia, Sacrificulorum rabies; exſpectandum ergo, dum ſuperſtitio mole ruat ſua &c.* At ſi ita ratiocinati fuiſſent ſanctiſſimæ diſciplinæ alumni, nunquàm fœdiſſima ſuperſtitio fuiſſet abrogata. Incredibili labore, periculo maximo, ſingulis annis ad extremos *Indos* mittuntur, qui homines ab erroribus & ſuperſtitione abducant & meliora ſanctioraque doceant. (*) An minorem habet vim ſuperſtitio in animos eorum, qui inter Chriſtianos vivunt, quàm in miſeros Gentiles? Superioribus Seculis in *Gallia* principatum obtinebat in diſciplinis philoſophicis *Ariſtoteles*; nec ſpes erat, eum de gradu ſuo dejectum iri, ut ex ingenioſa *Boylavii* Satyra conſtat: at cedere tandem debuit *Ariſtoteles* cum ſuis defenſoribus; vicit *Carteſius*, ſecutique alii Viri ſummo ingenio præditi, qui *ad miraculum uſque* in *philoſophicis diſciplinis* progreſſi ſunt. Cur igitur dubitarent Viri præſtantiſſimi, de felici ſucceſſu in

Ee 4 hoc

(*) Loco veræ caſtæque Religionis, novis miſeros homines imbuunt ſuperſtitionibus. Vide Kortens Reiſen nach dem gelobten Lande; Heinſii Hiſt. Eccleſ. Continuat. III. pag. 959. les Lettres édifiantes paſſim; Actorum Weimar. Continuat. LX. & plures alios.

hoc etiam negotio? Perſuaſiſſimus ſum, provi-dam Dei curam conatus optimos non fruſtraturam, ſed defenſuram. Quid generoſus impetus valeat, *noſtro exemplo*, qui ſeceſſionem fecimus ob intolerandum ſervitutis jugum, diſcere poſſunt. Non jam quidem poſtulamus, ut cæteros errores, quibus Religionem Romanenſem *ſcatere* exiſtumamus, abjiciant; non hoc jam agimus; *hoc unum* eos per Deum immortalem rogamus, *ut ficta miracula*, *ineptiſſimas Legendas*, *ſuperſtitionem abſurdiſſimam*, *quibus omnis religio incredulorum cachinnis & ſatyris objicitur*, *publicis ſcriptis refellant*, *proſcribant*, *execrentur.* Quò altiùs animis hominum teterrima ſuperſtitio infixa eſt, eò majorem curam adferre oportet, ad eam radicitùs evellendam. Nec hic opus eſt magno ingenio; ſimplex & perſpicua veritatis profeſſio mox ſedibus ſuis expellet monſtrum, cui omne *lumen ademtum. At irruent in nos* (inquiunt) *Monachi.* Sed quid tum? Nùm damnabunt igitur doctiſſimi Viri *Launojum*, & alios ei ſimiles, qui *multos Sanctos* proſcripſerunt; vel ideò & tantùm, quòd Papæ ſervitia, *ſuperſtitionis amici*, in eos inſurrexerunt? Non putaverim. *Veritas alapâ digna eſt.* Non agitur de re nullius momenti, non de quæſtionibus ſcholaſticis, ſed re omnium momentoſiſſima graviſſimaque. Quæritur: *utrùm dicendum affirmandumque ſit*, *Deum miracula patrare ad turpiſſimas nugas*, *cultumque Deo & Sacris Litteris contrarium*, *ſtabiliendum?* Quæritur: *utrùm Franciſcus*, *Dominicus*, *Lojola ſint invocandi*, *eorum merita expetenda*; *aniles fabulæ*, *quæ*

quæ de iis narrantur, pro oraculis habendæ? Is ſanè, cui non perinde eſt, quid de Deo credat, omnem lapidem movebit, ut tot mentibus, ſuperſtitione captis, ſuccurratur. Neque crediderim etiam, nullos planè dari inter *Dominici*, *Franciſci & Lojolæ* Socios, qui veſtris, *Viri doctiſſimi!* conatibus album calculum ſint adjecturi, atque faſſuri, multa, quæ de familiarum ſuarum auctoribus dicuntur, ignorantiæ & fraudi Scriptorum nimis credulorum eſſe tribuenda. Tam *præclarè* de eruditis illarum familiarum ſociis ſentio, ut credam, æquiſſimo animo illos laturos, ſi quis neget, fidem eſſe adhibendam ineptis Scriptoribus, qui dum ultrà ſortem humanam fictis mendaciis evehere Duces aggreſſi, eos omnibus, qui ſanâ mente ſunt, ridendos propinârunt. *At Papa, ſi illi tacerent, in diſſentientes aſperrimus, parata tollet cornua, noſque diro anathematis fulmine percutiet?* Quid audio, *eruditiſſimi Viri?* Nùm ita loquuntur *Galli?* inquam, quibus libertate nihil eſt dulcius, quique, ne colla ſua ſubdant Pontifici, toties ei refragati ſunt? Nùm *Galli* metuunt iram ejus, qui nullum planè iis imperandi jus habet? Sanè dignum eſſet florentiſſimum regnum, quòd æternùm ſerviret, ſi Pontificis iram adeò extimeſceret. *Vana eſt ſine viribus ira. Fulmina ex pelvi non nocent.* Neque ſanctam aliquam militiam fortiſſimæ *Gallorum* turmæ metuunt. Sinite, quæſo, Papam in illa ditione, quam *Conſtantinus Magnus* ei donavit, ſe jactare; jura det *Italis* ſuis, aliisque ſervituti, non imperio natis. Certè ab eo

in Religionis negotio nihil unquàm boni poterit exſpectari, niſi Deus *ἀπὸ μηχανῆς* mentem *hujus hominis* mutet, efficiatque, ut meliora ſentiat. Omnis enim ſuperſtitio, omnes fabulæ, nugæ, turpiſſima mendacia, fraudes in cauſſa Religionis, optimorum Virorum proſcriptiones, oppreſſiones, *ab uno hoc capite* in Religionem & Rempublicam originem habuere. Si *hunc* audiatis & timeatis, nihil egregii unquàm, quod Religioni & Regno prodeſſe poſſit, præſtabitis. *Actum erit cum tantopere laudata Eccleſiæ Gallicanæ libertate.* Imò, ſi convenienter Decretis veſtris agere vultis, non ſolùm Papam non audietis, ſed pro *Hæretico* habebitis; ita enim *Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe* vocandos eſſe decreverunt, *qui Pontificem, ſuperiorem eſſe Conciliis præſtantiſſimorum Præſulum, aſſererent.* Si auctoritati ejus in iis, quæ conſcientiæ contraria ſunt, ceditis, non ſolùm Eccleſiæ veſtræ Decreta contemnitis, ſed & revocatis turpiter omnia, quæ Majores veſtri non ſine magnis laboribus adepti ſunt. Legite, quæſo, & perpendite eruditam illam *Gaſſendi* veſtri ad *Caramuelem* datam epiſtolam; ut de aliis nihil dicam. *Omnes ſcio, pro ſalute Regis veſtri, ſi quidem neceſſe eſſet, parati eſſetis, ſanguinem vitamque veſtram profundere.* An autem æquo poteſtis ferre animo, cum Deo diviſum imperium in creaturas habere *Franciſcum*, aliosque innumeros ſanctos & divos? Novimus miracula *Franciſci* & cæterorum, à Papa editis Bullis *pro divinis* promulgata; ſcimus Feſta in eorum memoriam inſtituta; ſcimus, plebem, (*& utinam*

ſola

ſola plebs!) ad eos precibus in morbis corporis & animi confugere. Hoc ipſum vos ad præſentiſſimum auxilium ferendum inducere deberet. Si Pontifices tam ſtupidi, maligni & impudentes fuerunt, ut omnibus in univerſum Chriſtianis fanaticos homines adorandos & colendos injunxerint; nùm æquum eſt, *tacendo* mentem veſtram conſcelerare, aut impia eorum Decreta approbare? Nùm adeò grave ſcelus morte piandum erit, ſi ineptiſſimis Pontificum Decretis vos opponatis? *Illuſtris Theologorum Societas Pariſiis collecta*, ſtatim ac impia publicis concionibus Monachi de *Ignatio* loquebantur, *indignata*, impudentes homines graviſſimæ cenſuræ ſubjecit. Tempora ſunt mutata. Vigent jam optimarum litterarum ſtudia; Philoſophia, ſuperſtitioni inimiciſſima, in florentiſſimo Regno caput extulit. Eò majora ergo vobis tentanda, quò majori ad peſtilentiſſimos errores profligandos armati eſtis præſidio. Experimini tandem libertatem à Deo & Majoribus acceptam, atque cumprimis in memoriam vobis revocate, quid *Eccleſiæ veſtræ Præſides* Anno 1682. decreverint. Quis, cui virile ingenium ineſt, qui ſanctiſſimæ Religionis amore capitur, ferre poteſt, *Monachos feſtis diebus turpiſſima mendacia, ementita miracula publicè narrare, commendare, hominesque ad divinam imaginem factos fabulis paſcere*, quas nutriculæ ad vagientes pupulos habere ſolent. Vos ipſimet, ſcio, in ſinu ridetis, quoties conventibus illis intereſſe oportet, atque exploditis turpiſſimos hiſtriones; atqui hoc *non ſatis* eſt, *Viri præſtantiſſimi!* Agitur enim *de re omnium*

omnium ſanctiſſima, *Religione nimirùm & caſto Dei cultu.* Si tacti eſtis divino zelo, publicè, quàm vehementer vobis hæc displiceant, oſtendendum & probra hæc vindicanda. Quod tandem asſeritis, in ipſa *Gallia*, politiſſimorum ingeniorum fœcunda matre, dari multos falſos fratres, qui Papæ potiùs quàm Deo ſervire, ſuperſtitionem potiùs promovere quàm exterminare velint; haud quidem refragamur; ſed dolemus, talia laudari, doceri, quæ vix ab homine medioctis ingenii dici poſſent; qualis v. gr. eſt illa *Alacocque*, *febricitantis fœmina*, exquiſita laus & commendatio, decantata non à Monacho ſtupido, ſed illuſtris Eccleſiæ Præſule. At quid tandem hæc ad vos? Non uno ictu hydra ſuperſtitionis cadit; reiterandi ictus, fortique animo incipiendum inſtitutum laude digniſſimum. A parvis initiis ad maxima quæque progreſſa eſt generoſa virtus. Incepto tantùm opus eſt, cætera Deus expediet. Mementote, quas clades intulerint ſuperſtitioni *primitivæ Eccleſiæ Patres*, vobis (licèt *Sancti* appellentur) eruditione inferiores. Perſuaſiſſimus ſum, ſi tempore *illuſtris Martyris*, *Irenæi*, à Chriſtiano quodam talia jactata fuiſſent, qualia de *Franciſco*, *Dominico* & *Lojola* (ut de aliis nihil dicam) garriunt Monachi, non *impunè* laturum fuiſſe impudentiſſimum hominem. Si animum ad hæc tentanda adjicietis promptum & timore Domini armatum, ſenſim ſenſimque fabulæ illæ ineptiſſimæ ſordeſcent & ſibilis excipientur. Si hæc vobis curæ cordique erunt, credemus inpoſterùm, *non ſolùm vos eſſe ingenio*, *eruditione*, *morum-*

morumque elegantiâ inſtructiſſimos, nobiliſſimosque, quod lubentes fatemur; ſed & Religionis puræ caſtæque amantiſſimos, Atheiſmi & ſuperſtitionis, quæ graviſſima mala ineptæ fabulæ alunt, oſores & everſores acerrimos, ſtrenuiſſimosque.

Claudamus hanc noſtram opellam iisdem verbis, quibus *Eraſmus Alberus*, qui ex deteſtando Conformitatum Chriſti & Franciſci libro *Alcoranum Franciſcanorum* confecit, præfationem ſuam clauſit, dicens: *Faxit Deus Pater, ut tandem abominationum ac blaſphemiarum omnium finis adſit, ac perficiatur hoc, quod quotidie in Oratione Dominica precamur, ut nomen Domini ſanctificetur, ipſius Regnum veniat; ut quicquid eſt Monachatûs ac hypocriſeos in Papatu, vel in Turciſmo, vel Judaiſmo, vel Chriſtianiſmo tandem, quod addo, aboleatur nunc & in perpetuum! Amen.*

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ϑαι, μητε χρηματων προτερον, μητε ἀλλȣ τινος ȣ̓́τω σφοδρα, ὡς τῆς ψυχης, ὅπως ὡς ἀριςη ἐςαι. Λεγων, ὅτι ȣ̓κ ἐκ χρηματων ἡ ἀρετη γινεται, ἀλλ᾽ ἐξ ἀρετης χρηματα, καὶ τ᾽ ἀλλα ἀγαθα τοις ἀνθρωποις ἁπαντα καὶ ἰδια καὶ δημοσια. *Plutarchus* περὶ πολυπραγμοσυνης pag. 307. breviter in laudem *Socratis* iturus, *de Philoſophia ipſius* ait: Ἧς ἦν τελος ἐπιγνωναι τα ἑαυτȣ κακα καὶ ἀπαλλαγηναι. Nullum eſt præceptum rationis, quod ad hominis utilitatem facit, quin *à Socrate* allatum inculcatumque fuerit. Nemo hoc ignorat, qui *Memorabilia Socratis* unquàm legit. Nequè erat *Philoſophus* μεχρι τȣ λεγειν ἀνευ τȣ πραττειν. Mores enim ſuos ad præcepta virtutis & ſapientiæ compoſuit. *Socratis vita* (verba ſunt M. Eraſmi) *nihil aliud mihi videtur, quàm tolerantiæ & temperantiæ exemplum.* Novimus quidem, *Socratem hominem fuiſſe, ab erroribus & peccatis non immunem.* Nimis enim debilis atque imbecilla erat lux illa, quam ſequebatur. Hinc ipſemet dixit: *eò uſque eſſe in officiis præſtandis procedendum, quouſque luminis conceſſi radii penetrant.* Vide *Xenoph. Memorab. Lib. IV. pag.* 505. *Edit. Baſ.* Cùm enim *Euthydemus* dixiſſet, *ſe quidem fateri, negligi ab ſe Deos; dolere autem, quòd nullus hominum unquàm beneficiis Deorum condignas retribuere gratias poſſit;* reſpondet *Socrates*: „ Non eſt proptereà dolendum, ô Euthydeme! Vides namque Delphicum Deum interrogantibus: *quonam modo quiſquam Diis gratum faciat*, reſpondentem: *lege Civitatis.* Lex verò ubique talis eſt profectò, ut juxta facultates quiſque Deos ſa-

 crificiis

crificiis placet. Quo itaque pacto aut melius, aut magis piè Deos quisquam honorare poſſit, quàm eo modo, quo ipſi præcipiunt? Oportet igitur non prætermiſſo quoquam poſſibili (quicunque id facit, is negligit Deos) hoc modo Deos honorare, ſperare maxima bona ab iis. Quis namque compos mentis à quoquam alio majora ſperaret, quàm à Diis, qui maximè nobis prodeſſe poſſunt. Hæc verò ſperare ab eis illum oportet, qui eis placet. Ille verò iis placebit, qui quàm maximè illis obediat. „ Hinc diſceſſum ejus optimi Viri doluere atque acerbiſſimè luxerunt. Nec hodie quisquam eſt, quin vitam moresque ejus contemplans in admirationem rapiatur. Conferamus jam vitam moresque *Franciſci*, *Dominici*, *Lojolæ*. Quali ingenio præditi fuerint moribusque, ſuprà explicuimus. Vix magno labore *prima* addiſcunt diſciplinarum *elementa*; & volunt tamen *Doctores* eſſe *Gentium*. Non attigiſſe litteras, id eſt, pium eſſe, ſi hos homines audias. Summum omnium ſtudium, ne quid in ratione vitæ conveniat. Vita ipſorum univerſa actionum ineptiſſimarum hiſtoriam conficit. A cæteris mortalibus non *ſapientiâ*, *prudentiâ*, *pietate*, *eruditione* diſtincti ſunt, ſed *habitu*, *victu*, *ſoliditate* alios ſuperant. Nullis ad rectè ratiocinandum præſidiis ſunt muniti, aut litteris exculti, ſed viſiones miras, inſolitas, ridiculas jactitant; mendacia adeò ſplendida de ſe narrant, ut riſum indignationemque Lectori excitent; enthuſiaſmo agitati in longinquas oras iter faciunt, non ſtudio ſapientiæ comparandæ aut veritatis

propa-

propagandæ; ad quam rem erant (ſive linguas, ſive præcepta ipſa, quæ tradebant, ſpectes,) *ineptiſſimi;* ſed ut impetum turbatæ mentis & inepta cerebri commenta ſequantur, non ſufficiunt his hominibus rectæ rationis decreta, aut Servatoris noſtri mandata; novas illi condunt leges, nullis fundamentis innixas, imò iniquas planè & ineptas. Neque virtutis veræ guſtum habuerunt. Paupertatis voto ſe obſtringunt, pecuniamque oblatam abjiciunt, poſcentes à Deo aut continua miracula aut ab hominibus miniſteria quaſi debita. *Nolunt laboribus vacare, ſed alienâ vivere quadrâ.* Cœcam ſuis Rectoribus obedientiam promittunt; quod pecoribus, non hominibus convenit. Neque enim ipſe Deus, omnium hominum Legislator ſupremus, poſcit, ut ſpretâ ratione homines ſibi obediant, juſſaque faciant. Perpetuum cœlibatum promittere debent illi, qui inter *ſanctos illos homines* habitare volunt; quæ lex innumera ſcelera peperit iniqua, nec omnium inſuper ingeniis attemperata. At quisquis tamen, ſi ineptos homines audias, in familiam hanc concedit, *beatus eſt.* Multi, qui veſtibus noſtrorum Sanctorum utuntur, in cœlo (ſi Diis placet) paratis, ab innumeris morbis liberantur. Nihil fecerunt hi homines, quod generi humano utilitatem adferre potuiſſet. Quot lamentationes hominum optimorum, imò *integrarum Nationum* poſt tot Factiones exortæ ſint, pleni ſunt libri ſuperioribus ſeculis ſcripti. Ita enim optimi ſæpe Viri magna exempla daturi, ad inertiam tracti; Reipublicæ vires & facultates attritæ;

 ſuper-

ſuperſtitio aucta & Religio ludibrio expoſita eſt. Verbo: *Vita Socratis ad rectæ rationis ductum fuit exacta, præcepta ipſius generi humano utiliſſima prudentiſſima erant.* *Franciſcus autem, Dominicus & Lojola, rationis leges pedibus conculcarunt, ineptiſſimis actionibus nil niſi famam turpiſſimorum hiſtrionum in cauſſa Religionis ad poſteritatem transmiſerunt.* Pergamus ad religionem cultumque *Socratis* & *Monachorum noſtrorum.* *Socrates* (uti audivimus) rationem omni ſtudio & cura excoluit, haud ignarus, *quam pretioſum illud donum ſit, ab Optimo Numine nobis conceſſum.* Hinc de ſe in *Critone* ait: Ἐγω ȣ̓ μονον νυν, ἀλλα καὶ ἀει τοιȣτος, ὁιος των ἐμων μηδενι ἀλλῳ πειθεσθαι ἢ τῳ λογῳ, ὁς ἀν μοι λογιζομενῳ βελτιςος φαινηται· i. e. *Ego non tantum nunc, ſed etiam ſemper ejusmodi fui, ut meorum nemini, ſed rationi parerem, quæ mihi ratiocinanti optima videretur.* Hac luce colluſtratus in res divinas diligenter inquiſivit, nulli labori parcens. Hinc factum, *ut melius de Deo rebusque divinis diſſereret, quam Philoſophi ante & poſt eum viventes, ſi eos excipias, quibus Deus lucem extraordinariam*, Revelationem inquam, *conceſſit.* Hinc (ut ſpecimen aliquod breve adducamus Theologiæ Socraticæ) probat *Numinis exiſtentiam ab Ordine Univerſi finibusque rerum creatarum*, apud *Xenoph. Memorab. Lib. IV. pag.* 503. *Hoc Numen eſſe inconſpicuum, non minus tamen caſta mente colendum.* ibid. pag. 505. *Incorporeum*, præter *Xenoph.* loco citato, *Plutarchus* & *Lactantius* teſtantur. *Bonum*, imo *Optimum*, *Xenoph. Lib. I. p.* 450.

&

& *Lib. X. p.* 505. *Omniſcium*, ibid. pag. 454. *Sapientiſſimum*, *Plato in Apologia*, *pag. m.* 471. *Omnia curare poſſe*, *Xenoph. pag.* 454. *Omnibus rebus proſpicere*, ibid. Lib. I. pag. 452. *Leges dari quasdam divinas*, *ab omnibus hominibus obſervandas*, ibid. pag. 508. *Preces ad Deum fundendas*, & *in genere tantùm*, *translatâ in Deum*, *quid nobis quàm maximè prodeſſet*, *curâ*, ibid. pag. 450. *Deum colendum & adorandum*, *pag.* 453. *Eumdem adſpectabilem rerum univerſitatem condidiſſe*, Lib. IV. pag. 505. *Nobilitatem mentis*, *corporisque pulchritudinem Dei beneficientiæ deberi.* Omitto plura alia, quæ apud citatos auctores occurrunt. Vix caput Theologiæ Naturalis excogitari poteſt, cujus mentionem non fecerit *egregius homo*. Ut jam de adhortationibus ad omnis generis virtutes nil dicam. Obſervandum autem cumprimis, *eo tempore*, *quo vixit Socrates*, *non ſolùm Athenis*, *ſed & in plerisque locis ſingularia hæc naturalis religionis capita penè fuiſſe ignorata*, *ſaltem non ſatis inculcata.* Unde *Philoſophus ille* exiſtimavit, *ſui officii eſſe*, *res adeò pulchras frequenter*, *omnique datâ occaſione inculcare*, *laudare*, *probare.* Non interim diffitemur denuò, *Socratem in eo peccâſſe*, *quòd Sacrificiis (more patrio) Deos placaverit*, *quòdque oraculis & divinationibus non planè nuncium miſerit.* At ſi quis tempora, quibus vixit eximius Vir, perpenderit; ſi rationis humanæ imbecillitatem cognoverit, mitiùs de tanto Viro judicabit. Quòd ſi jam Theologiam *Franciſci*, *Dominici* & *Lojolæ* cum *Socratis* præceptionibus conferamus; non quidem affirma-

 mus,

mus, illa præcipua capita, quæ recta de Deo docet ratio, ab illis diſertis verbis fuiſſe negata; at contendimus tamen, multa ab illis fuiſſe publicè prolata, defenſaque, quæ virtutibus divinis contraria ſunt. Et 1. quidem ubique præ ſe ferunt, Deum cultu quodam externo & ſuperſtitioſo placari. Hinc cantionibus quibusdam, ut *Salve Regina*, *Roſario* incredibilem adſcribunt vim, adeò ut qui talia identidem repetierit, meritò inter pios, quos Deus amat, ſit ſcribendus; tuentur, idque etiam effictis viſionibus probare volunt, Deum facere contradictoria, Deum ſuperſtitionem approbare, fovere, imò in illius gratiam mira ac portenta edere. 2. Deus non ſolus eſt invocandus, adorandus; non ſolus omnipotens, ſed & *Maria* & *Sancti illi*, qui innumera faciunt omnes vires humanas ſuperantia; hinc non ſemel *Sanctuli noſtri Mariam* exorant, ut hoc vel illud efficiat atque concedat; ita fingunt, Deum poſt miſſos Prophetas, imò Filium ſuum unicum & Apoſtolos genus humanum ſalvare velle per *Dominici* familiam. Non ſemel etiam blaſphema quædam, cumprimis in *Franciſci* & *Dominici* Legenda apparent, quæ omnia probant, homines illos de omnipotentia Dei & ſanctitate non ſatis fuiſſe perſuaſos. 3. Imò ſi rem ritè putemus, non ſolùm ea, quæ ratio de Deo cognoſcere poteſt, verbi gratiâ *de cultu interno*, tetrâ ſuperſtitione involverunt, ſed & ſanctiſſima dogmata rationi ſuperaddita obſcurârunt, imò ſæpe ſubverterunt. Sunt quidem non pauca veſtigia in vitis *Triumvirorum iſtorum*, quæ innuere videntur,

eos

eos Sacras Litteras nunquàm *ſeriò* evolviſſe, quò ſpectant ineptæ, ridiculæ, ſæpe impiæ citatiónes, ad nugas, quas proferunt, probandas. Vix enim credibile, hominem de Sacrarum Litterarum divina origine perſuaſum & in iis probè verſatum *adeò abjectè & irreverenter* loqui poſſe. At ſupponamus tamen, homines illos de divina origine Scripturæ fuiſſe perſuaſiſſimos, ne ſic quidem tamen à culpa vacui ſunt. Quando homines in ſuam pertrahere volunt ſententiam, nunquàm audies ab iis adferri *doctrinam JESU Chriſti & Apoſtolorum.* „ Altum hìc eſt ſilentium de cognitione ſuî ipſius; vera peccatorum confeſſione; ſenſu peccatorum ſuorum; de neceſſitate legendi Sacras Litteras; de vera indole, natura & caracteribus fidei; de dignitate JESU Chriſti, ejusdemque merito; de perpetuo ſtudio veræ pietatis; de natura cultûs Dei interni, aliisque capitibus, quæ Summam rerum credendarum & faciendarum conficiunt. Crebrò autem audias, commendari cultum Sanctorum, Mariæ, merita illorum, abſolutam neceſſitatem cantiones quasdam ineptas recitandi, earum vim, traditiones aniles, & quæ alia talia ſunt. „ Quid dicam de blaſphemis comparationibus *Franciſci* & *Dominici* cum Chriſto? Sanè quisquis alicujus religionis ſenſu tangitur, *exhorreſcit*, ſi talia legat. *Sanctiſſimus Servator noſter*, *ut hoſtes amemus*, *iisque benefaciamus*, injunxit. Quo animo *Lojola*, *Dominicus* cumprimis, in disſentientes fuerint, ſuprà obſervavimus. At *Socrates* ſolius rationis ope divinum hoc & egregium præceptum cognoſcebat & inculcabat.

culcabat. Hinc *Themiſtius* de eo *Orat. VIII.*: Ευ δε εποιει και Σωκρατης τον παρα τοις πολλοις ευδοκιμουντα λογον επανορθων, ὁτι δει τους μεν φιλους ευποιειν, και δε εχθρους κακως ποιειν. Επηνορθου δε το μεν φυλαττων, το δε μεταγραφων· το μεν γαρ ευποιειν επηνει, το δε κακως επηνορθου. Τους φιλους μεν ευποιειν, τους δε εχθρους μη κακως ποιειν, ἀλλα φιλους μεταγραφων. Id eſt: „ Benefaciebat *Socrates*, qui *corrigebat* celebre illud & vulgare dictum: *Oportere amicis benè facere, inimicis malè.* Corrigebat autem alterum mutans. Probabat enim benè facere, malè verò emendabat. Amicis quidem benè faciendum; inimicis verò non malè, ſed amicos eos eſſe faciendos putans. „

Novi quidem, viros aliquando præſtantes & cætera probos, acriùs quàm par eſt in *diſſentientes* animadvertiſſe; at hi tamen noluerunt haberi *pro hominibus*, *de cœlo ad perficiendum genus humanum miſſis*, quo nomine *homines noſtri* ineptè gloriabantur. Scio, defenſores regeſſuros, hæc tradi à vitarum Scriptoribus, qui in majus aliquando res extollere ſolent; neque igitur *Triumviris iſtis* omnia eſſe tribuenda. At ſi ita eſſet, manifeſtò ſequeretur, planè auctores vitarum *impoſtores* eſſe, quibus nulla fides habenda. Quid enim frequentiùs ingeminatur in *vita Franciſci*, quàm miraculum editum in *corpore Franciſci*, ad gloriam ipſius extollendam? Annon *fanaticus* ille homo aperit, quâ ratione hoc factum? Cur tantam vim eſſe jactitant horum vulnerum? Annon ipſe garrit *Dominicus*, *Mariam*

Mariam ſibi apparuiſſe & Roſarium de cœlo attuliſſe, ad ſalutem adferendam hominibus? Annon totidem verbis frequentiſſimè adſeritur, maximam eſſe vim meritorum illorum hominum ad peccata diluenda? Si hæc omnia à vitarum Scriptoribus efficta ſunt, utì *lubens* credo, quid tandem fidei meretur *ineptiſſimus Cento?* Cùm autem vitarum Scriptores contendant, hæc omnia, quorum mentionem fecimus, *verè facta*, dictaque & miracula ſolâ illorum fide nitantur, quid aliud exinde nobis concludere licet, *quàm homines illos religionem aliquam, Sacris Litteris è diametro oppoſitam, in medium attuliſſe, atque adeò impudentiſſimos homines fuiſſe & mentis non bene ſanæ? Socrates*, quantùm potuit, fecit, ad religionem naturalem Athenienſibus ſuis commendandam, corruptosque civitatis mores taxandos, emendandosque. *Franciſcus* & cæteri ubique deprehendere potuerunt, caſtiſſimum Dei cultum planè eſſe teterrimâ ſuperſtitione contaminatum, hominesque veræ Religionis, per *Chriſtum* & *Apoſtolos* annunciatæ, eſſe ignariſſimos. Homines volunt videri *à Deo excitati* (unde non ſemel legitur, homines vel in ſomnò, vel viſionibus eorum adventum in terras prædixiſſe, imò *vates ſacros* de iis vaticinatos) *ad emendandum genus humanum.* At ne quidem ullam receptæ ſuperſtitionis particulam taxant atque removent; nedum ut (*ad exemplum Apoſtolorum*) graſſanti impietati & ſuperſtitioni fortiſſima ſua opponerent pectora. Quicquid hominibus perſuadent faciendum, aut nititur viſione aliquâ ineptâ, aut miraculo facto

Dd 5 ad

ad ſuperſtitioſum ritum amplectendum. Imò, quod magis eſt, certum, ex quo homines illi in terris apparuerunt, ſuperſtitionem magis magisque fuiſſe auctam. *Transſubſtantiationis* dogma receptum tùm temporis, viſionibus & miraculis voluerunt probare; quod certiſſimum ſignum, eos cùm veræ Religionis ignariſſimos, tùm impudentiſſimos fuiſſe hiſtriones. Cantionem illam, *Salve Regina*, in *honorem Mariæ* excogitatam, & *Roſarium* ad generis humani utilitatem demùm de cœlo demiſſam perhibent. Quid dicam de efficacia, quam tribuunt vitæ Scriptores reliquiis corporis *Franciſci*, *Dominici* & *Lojolæ?* Vix eſt pars corporis eorum, inde à vertice ad plantam pedis, quæ non mirificam habeat vim in animos corporaque eorum, qui magni faciunt, colunt & invocant *Sanctulos iſtos*. Nùm hoc eſt *emendare genus humanum*, atque veram docere Religionem? An non præſtat *Socrates*, qui ratione, quâ ſolâ uti potuit, in conſilium adhibitâ, plus fecit ad capita religionis naturalis inculcanda, quàm *tres iſti ſuperſtitionis propagatores*, qui & rationis leges & ſanctiſſimæ Revelationis decreta ſimul pedibus conculcarunt? Si dicas, *Socratem* tamen ſuperſtitioni non planè valedixiſſe, non abnuerim quidem; quanquàm in vita ejus *à Platone* & *Xenophonte* deſcripta non adeò multa ſint teſtimonia hujus rei. At ſit ita; demus, eum non ad ſolius rationis leges vixiſſe, ſed ad religionem publicè receptam ſæpe ſe accommodâſſe; in quo ipſum haud laudamus; nùm propterea cætera ejus præcepta egregia ſunt contemnenda? Certè ex violenta,

quam

quam perpeſſus eſt morte, conſtat, eum non omnes opiniones de religione publicè receptas approbâſſe. At *homines illi noſtri* eo vivunt tempore, quo Revelatio diu ſuperſtitionis paganicæ craſſiſſimas tenebras diſpulit; rationem tamen ipſam ejusque leges ſpernunt; Revelationem nauci habent; pro ſuperſtitione paganica infinitas alias, non minùs ineptas, ridiculas & Deo contumelioſas, vel jam inventas approbant, vel ipſimet comminiſcuntur; hunc cultum ridiculum, ineptum commendant, mirificam illi vim tribuunt, atque in cœlum tollunt laudibus. Quando *Socrates* de Diis & ſacrificiis locutus eſt, ingeminavit (ita ſaltem in Apologiis ſuis *Xenophon* & *Plato* loquuntur) hoc poſtulare τον νομον της πολεως. At egregii illi Doctores cultum illum receptum & à ſe adauctum à Deo probari contendunt; excogitant, ad id perſuadendum, viſiones, miracula; hunc cultum Deum velle audacter pronuntiant, imò per hunc cultum homines ad veram ſalutem conſequendam graſſari *impudentiſſimè* garriunt. Verbo: *Toti in eo erant, ut ineptiſſimas nugas & nefandam ſuperſtitionem promoverent.* Quod *de Monachis* in genere dixit *Magnus Eraſmus* in *laude Moriæ*, in maximam partem ſummo jure *tribus noſtris celebrium Factionum Ducibus* applicari poteſt. Primùm, *inquit*, ſummam exiſtimant pietatem, ſi uſque adeo nil attigerint litterarum, ut ne legere quidem poſſint. Deinde cùm Pſalmos ſuos, numeratos quidem illos, at non intellectos, aſininis vocibus in templis derudunt, tum verò ſe putant Divorum aures multâ voluptate demul-

demulcere. Et ſunt ex his nonnulli, qui ſordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu ſpanem efflagitant, imò in nullis diverſoriis, vehiculis, navibus, non obturbant, non mediocri profectò reliquorum mendicorum jacturâ. Atque ad eum modum homines ſuaviſſimi, ſordibus, inſcitiâ, ruſticitate, impudentiâ, Apoſtolos, ut ajunt, nobis referunt. *Et paucis interjectis:* Horum magna pars in tantum ſuis nititur ceremoniis & hominum traditiunculis, ut putet unum cœlum parùm dignum eſſe tantis meritis præmium, haud cogitantes, futurum, ut Chriſtus contemtis his omnibus, ſuum illud ſit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius oſtentabit aqualiculum, omni piſcium genere diſtentum. Alius Pſalmorum centum effundet modios. Alius Jejuniorum myriadas annumerabit, & toties unico prandio penè diſruptam imputabit alvum. Alius tantum ceremoniarum acervum proferet, quantus vix ſeptem onerariis navibus vehi poſſit. Alius gloriabitur ſexaginta annos nunquàm attactam pecuniam, niſi digitis duplici chirothecâ munitis. Alius cucullam ingeret, adeò ſordidam & craſſam, ut nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius, ſe plus quàm undecim luſtris ſpongiæ vitam egiſſe, ſemper eidem affixum loco. Alius raucam aſſiduo cantu vocem adducet. Alius lethargum ſolitudine contractum, alius linguam jugi ſilentio torpentem. At Chriſtus interpellatis, nunquàm alioqui finiendis gloriis, undenam hoc (inquiet) novum Judæorum genus? Unicam ego legem

verè

verè meam agnoſco, de qua ſola nihil audio. Et olim palàm, nulloque parabolarum utens involucro, paternam hæreditatem pollicitus ſum non cucullis, preculis aut inediis, ſed fidei & charitatis officiis. Nec eos agnoſco, qui ſua facta nimis agnoſcunt. Iſti, qui me quoque ſanctiores videri volunt, Abraxaſiorum cœlos, ſi libet, occupent; aut ab his ſibi novum extrui cœlum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis antepoſuerunt. „ Ita eleganter pariter & verè de plerisque Monachis ſui temporis judicat *præſtantiſſimus Scriptor*; quæ quâ ratione in *Franciſcum & Sodales* conveniant, ſuprà dicta ſatis oſtendunt. Provocabunt fortè quidam ad miracula illorum hominum, atque contendent, in eo ſaltem multùm eos præſtare *Socrate*, qui nulla prodigia fecerit atque portenta. Ego verò jam ſatis ſuperque dixi, quid de miraculis illis ſentiam. Nimirùm illa *à maleferiatis hominibus* excogitata, ad famam ineptiſſimis hominibus conciliandam. Quòd ſi tamen *verè* geſta eſſent, nihil aliud concludere liceret, quàm *infernalem Genium* miſeris mortalibus illuſiſſe, atque omnem ſuam vim potentiamque contuliſſe, ad deteſtandam ſuperſtitionem præceptaque Religioni naturali & revelatæ contraria confirmanda atque diſſeminanda. Quòd ſi hoc volunt illi, quibuscum nobis res eſt, næ iis facilè largiemur, *Dæmonem* in *Socratem*, virum ſapientem, talem potentiam exercere non potuiſſe. Impium autem planè eſt, dicere, uti ſuprà oſtendimus, *Deum ea miracula patraſſe.* Si vitæ Scriptores *Socratis* conſulimus, apparebit, magno huic

viro

viro Dæmonem aliquem ſeu *Angelum*, perpetuum vitæ comitem, conceſſum. Majore fidè dignus eſt ipſe *Socrates*, qui hoc de ſe teſtatur; & diſcipuli *Plato* & *Xenophon*, quàm *Legendiſtæ*. Dæmon ille ſæpe obſtitit, quo minùs nocitura faceret. Nunquàm impulit, *ut ineptas Athenienſium opiniones de Religione approbaret*. Igitur & in hoc præſtat *Socrates*. Hinc *Vir quidam eruditiſſimus* exiſtumavit, *non ſine Numine Dæmonem illum Socrati contigiſſe*. Ita enim ille *Sylvar. philolog. Cap. III. pag.* 214. „ Crediderim, cùm Dei Providentia non Hebræos tantùm, ſed & quasvis gentes complexa ſit, non ſine ejus nutu apud nonnullas natos eſſe & vixiſſe eximios quosdam viros; à quibus cæteri homines, ſine ratione veluti palantes, & in vitia incauti delabentes, ad veritatem & virtutem revocarentur; qualis apud ultimos Seres fuit *Confucius* ille, celeberrimus Orientis Sapiens; & qualis Pater ille Philoſophiæ *Socrates*, qui Anno ante Chriſtum 469. in lucem editus eſt. E re ipſâ ſi conjecturam facere licet, uterque apud Gentes veri Dei cognitione deſtitutas, ut ne nimis præcipiti lapſu in veritatis contemtum, omniaque inde naſcentia vitia inciderent, idque ſingularis Providentiæ divinæ beneficio, quæ Gentium illarum miſerta eſt, natus eſt. *Et paucis interjectis:* Præterea, ut fides Viro faciliùs haberetur, comitem ac cuſtodem ei addidit quempiam ex inferioribus illis Spiritibus, quos græci Ethnici Δαίμονας, Latini *Genios*, Chriſtiani *Angelos* vulgò vocant. Nihil ſanè vetat, non tantùm Angelos eſſe ingenti numero, quod

nos

nos Litteræ Sacræ docent; ſed etiam variorum eſſe generum & dignitatum, quod etiam non obſcurè innuunt eædem Sacræ Litteræ. Ex illa autem tot generum angelicarum naturarum copia, fuerit unus additus *Socrati* cuſtos, cum certis mandatis & poteſtate nòn admodùm ampla, qui poſſet Philoſophum monere, ne quædam faceret, quæ potuiſſent ei eſſe noxia, quàmvis periculum ipſe non intelligeret; ut inde liqueret, Deum *Socrati* ſingularem in modum adeſſe, ideoque majore cum reverentia exciperentur ab aliis, quæ doceret. „ Ita *Vir ille doctus.* Non opus eſt, ut in hac comparatione eò delabamur; interim veriſimilior certè hæc *Viri docti* opinio eſt, quàm ſententia illorum, qui credunt, Deum in gratiam *Franciſci &c.* mira & portenta edidiſſe. *Conferatur* (ut verbo abſolvam) *univerſa vita Socratis, præcepta illius, virtutes, cum vita rebusque geſtis & dogmatibus Franciſci, Dominici & Lojolæ; & (niſi me omnia fallunt) evidenter conſtabit, Socràtem, ſi quidem ſolemnis Canoniſatio per leges divinas locum haberet, digniorem fore, cui tribueretur inuſitata hæc gloria, quàm verò ſunt cæteri tres ſuperſtitionis alendæ Triumviri; atque adeò in poſterum exclamandum potiùs erit:* O Sancte Socrates, ora pro nobis; *quàm: Sancte Franciſce, Sancte Dominice, Sancte Lojola, orate pro nobis.*

CAPUT

CAPUT XVII.

Agitur de officio Doctorum Eccleſiæ Romanæ, cumprimis autem eruditorum Gallorum, in graviſſimi negotii cauſſa. (*)

NEmo eſt, qui cùm vitas hominum illorum, de quibus egimus, perlegit, atque aliquâ Religionis caſtæ curâ tangitur; nemo (inquam) eſt, quin exhorreſcat atque deteſtetur *impudentiam* eorum, qui libros illos conſarcinârunt atque in vulgus ediderunt, tot fabellis, portentoſis narrationibus atque ineptiis repletos. Fuerunt inter *ipſos Eccleſiæ Romanæ Doctores*, qui publicè oſtenderunt, quid *de pudendis illis fabulis* ſentirent. *Melchior Canus*, *Vir doctus*, *Libro XI. Locorum Theologic. Cap. VI. pag.* 540. mentionem faciens *aureæ Legendæ*, ſcriptæ à *Jacobo de Voragine*, *Epiſcopo Genuenſi*, ita ait: „ Nec ego libri illius auctorem excuſo, qui *Speculum Exemplorum* inſcribitur; nec hiſtoriam etiam ejus, quæ *Legenda aurea* nominatur. In illo

(*) Exigua ſpes eſt, eruditos in Gallia Religionis Antiſtites ſuperſtitionem, per tres illos Monachos introductam, repreſſuros eſſe; cùm non ſolùm Bullam illam *Unigenitus*, ùti appellatur, penè omnes ſibi obtrudi paſſi ſunt; ſed & Jeſuitæ regnent, & jus in conſcientias nullis ferè limitibus circumſcriptum exerceant. Egregia vel potiùs deteſtanda hujus exercitii exempla ſuppeditavit Auctor *du Journal univerſel.* Quid hodie in florentiſſimo regno agatur, notiſſimum eſt.

Illo enim miraculorum monſtra ſæpiùs, quàm vera miracula legas; hanc homo ſcripſit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parùm ſeveri & prudentis. *Lengletus du Freſnoy* in *Catalogo Hiſtoricorum* mentionem faciens *Bartholomæi de Piſis Libri Conformitatum vitæ Franciſci cum vita JESU Chriſti* vocat *librum impium.* „ (*) Aliorum teſtimonia jam quidem ſilentio prætereo. Nec immeritò ita judicant *Viri præſtantiſſimi.* Vix enim aliter ſentire poſſent, qui homines in *Atheiſmum* vellent præcipitare, aut pudendam ſuperſtitionem commendare. De priore jam quidem initio hujus opellæ aliquid monuimus; poſterius quod attinet, notum eſt, ejusmodi libellos in ſermones vulgares eſſe translatos, atque paſſim à vulgo legi; unde non poſſunt non, cùm *meliora* audire & legere non poſſint, plerique in *craſſiſſima ſuperſtitione* confirmari. Libellus *de vita Dominici* germanico idiomate ſcriptus, ab amico in vicinia mihi fuit conceſſus.

(*) Aliter de hoc libro judicant Jeſuitæ Trivoltienſes au Num. 3088. „ Le fameux Livre des Conformités de St. François, Edition de Milan (1513.) ce n'eſt pas la première, il y en a une de 1510. toutes deux ſont rares. Barthelemi de Piſe, très bon Réligieux Franciſcain, au quatorzième Siècle, s'aviſa, de comparer ſon ſaint Patriarche avec Jeſus-Chriſt; & il écrivit à ce ſujet une multitude de choſes trop peu exactes, mais qui pouvoient être excuſées en faveur de l'intention, & du tems où vivoit l'Auteur. Cet ouvrage pique la curioſité des Bibliothéquaires & des Amateurs de Livres, parce qu'il a été l'occaſion de bien des Satyres la plûpart outrées, déraiſonnables, & nées dans le ſein de l'hereſie.

Huic libello inſertæ erant multæ picturæ, in quibus res geſtæ *Dominici* referebantur; adjectæ multæ preces ad *Dominicum* directæ, ex quibus conſtabat, quanti eum *poſſeſſor libelli* faceret. Quin idem *infinitis aliis* contingat, nullum eſt dubium. Experientia quotidiana loquitur. Nec diffitebitur, cui *mica candoris* ineſt. Æquiſſimum igitur eſt, ut, (ſi quæ pietas, religio & Numinis reverentia iis ineſt) qui in Eccleſia Romana Sacris operantur, ſacros illos & horribiles libellos publicâ auctoritate proſcribant, è manibus hominum evellant, ſeveriſſimèque prohibeant, atque adeò oſtendant, ſe non eſſe ſanctiſſimæ caſtiſſimæque Religionis publicos hoſtes & irriſores. Incumbit hoc officium ante omnia *Principi omnium Eccleſiarum*, qualem ſe jactat in aula ſua, *Papa* nimirùm. Quòd ſi is eſt, utì perhibent plerique hujus Eccleſiæ Doctores, *infallibile Oraculum in rebus*, utì loquuntur, *juris & facti*, facilè poterit decernere, utrùm *miracula illa*, de quibus agimus, ſint geſta, atque à Deo ipſo edita; utrùm item præcepta religionis, quæ *à tribus iſtis* docebantur, ſanctisſimæ Religioni per Chriſtum manifeſtatæ conſentanea ſint. Nos, quibus donum infallibilitatis nullum contigit, mediocri attentione adhibitâ, deprehendimus, *miracula illa impoſturas eſſe vel hominum, vel illuſiones jurati hoſtis generis humani; præcepta autem religionis inepta, abſurda, blaſphema eſſe.* Quòd ſi *illuminatiſſimus & ſanctiſſimus Pater* pulcherrimè, utì nos quidem credimus, novit, hæc miracula *fraudi Monachorum* ſuperiorum Seculorum eſſe tribuenda, cultum

cultum ab ipſis inculcatum, Chriſti (cujus *Legatus* in terris eſſe vult) & diſcipulorum præceptis eſſe contrarium; per ementita illa miracula errores graviſſimos, peſtilentiſſimosque disſeminari atque confirmari, imò peſtis adinſtar, longè lateque ſerpentis, pervagari; animas, Deo & Chriſto ſacras, ita leto dari, non poteſt non, *ſi ullâ Religionis tangitur curâ*, malo, quod omnes venas pervadit, omnibus viribus ſeſe opponere, & quidem citiſſimè. Si hoc non facit, non poſſumus non eum pro *Hæretico*, & quidem *impudentiſſimo pertinaciſſimoque* habere. *Da igitur, Pater, augurium, animisque illabere noſtris.* Quòd ſi verò *Papa* firmiſſimè certiſſimeque ſibi perſuadeat, *hæc miracula* à Deo ipſo facta, ad præcepta cultumve horum hominum confirmandum, ignoſcet nobis, ſi non ſolùm eum *pro infallibili Duce Eccleſiæ* non agnoſcamus, ſed & *abjectiſſimè* de eo ſentiamus, atque exiſtumemus, *Pontifices homines eſſe rerum humanarum & divinarum ignorantiſſimos, imperitiſſimosque.* Cùm autem fraudes illæ & mendacia adeò pelluceant, ut manibus veluti palpari poſſint, perſuadere nobis non poſſunt, *tam incredibili ignorantiâ & cæcitate laborare hominem ab illuſtriſſimo Collegio electum & dono infallibilitatis à Deo donatum.* Ab eo igitur exſpectamus *auxilium præſentiſſimum in rebus tam deploratis, miſerisque.* Quòd ſi quis exiſtumet, vix ſperari poſſe, Pontificem hydram illam errorum & ineptarum opinionum fœcundiſſimam matrem enecaturum, implorabimus eorum opem, qui in hoc cœtu eruditione, ingenii acumine & re-

rum in Eccleſia geſtarum peritiâ cæteros antecellunt. Horum autem in Eccleſia Romana noſtrâ ætate non eſt exiguus proventus. De viris *Italiæ* litteratis nolumus multa dicere; cùm enim Pontifex cervicibus eorum immineat, atque arctè nimis optima ingenia conſtringat, vix ſperare poſſumus, illos, *ſi nolit Pontifex*, manus operi admoturos. Ad eruditos igitur *Galliæ* viros nos convertimus. Quoties ego, *quæ doctiſſimi Viri in omnibus Philoſophiæ partibus & elegantiorum Litterarum ſtudio moliuntur*, lego, *toties vaſtiſſimam eorum eruditionem & acumen admiror. Admiratur & laudat univerſus Eruditorum Chorus.* Doleo tamen, ne quid celem, viros hosce oculatiſſimos veritatisque inquirendæ ſtudioſiſſimos nullam aut oppidò exiguam impendere curam, ad ea, quæ præteritorum Seculorum ignorantia & malitia invenit in rebus divinis mala, convellenda, atque ex animis hominum, quantùm fieri poteſt, eradicanda. Non enim mihi perſuadere poſſum, viros illos in rebus longè difficilioribus acutum cernere, in his cœcos eſſe. Credant hoc illi, quibus eruditio eorum cognita non eſt. Majus autem officium præſtarent generi humano, *ſi ridiculas, ineptas & impias opiniones validis argumentis debellarent*, quàm *ſi corporum cœleſtium naturam, motum, plantarum ſtructuram, novas geometricarum quæſtionum ſolutiones, Græcorum Romanorumque conſuetudines, ritus, antiquorum monumentorum elucidationes &c. explicarent, & in lucem proferrent.* Quàmvis enim & *hæc* ad veræ eruditionis incrementum multùm faciant; nemo tamen dubita-

dubitaverit, quin opus facerent Deo magis glorioſum & generi humano utiliùs, ſi in debellandis & extirpandis ineptis & ſuperſtitioſis opinionibus, rectæ rationi & caſto Dei cultui contrariis diligentiam ſuam operamque omnem impenderent. Certè hoc eximium & in omne ævum duraturum pietatis monumentum eſſet. Habent *eruditiſſimi viri*, (ut de iis, qui Chriſto nomen dederunt, nihil dicam,) *illuſtre exemplum*, quod ſequantur, *Ciceronem* nempe, *eruditiſſimum olim & eloquentiſſimum Reipublicæ Romanæ Conſulem:* Hic, quàmvis non omnes errores publicè receptos exploſerit, maximam tamen partem miraculorum fictorum, prodigiorum & anilium fabularum *maſculè* exploſit in libris *de Divinatione*. Quòd ſi *ſola ratio* tantum valet ad futiles opiniones & ſtultas traditiones infringendas, facilè conjectu eſt, quid præſtare poſſet *probitas, candor & zelus pro gloria Dei?* Equidem non ignoro, ſi jam mihi reſpondere velint, *abundè illis facundam & compoſitam orationem fore*. Dicent: „ Se quidem eo acumine eſſe præditos, ut ſine nobis videant, cui hæc ſint tribuenda miracula; & quàm ineptæ, inſipidæ & impiæ ſint illæ fabellæ, quæ dicuntur *Legendæ*. At malum adeò altè radices in animis hominum, plebis cumprimis, egiſſe, ut vix evelli ullis argumentis poſſit; periculoſum eſſe, errores, quos longa annorum ſeries approbavit, attentare, mutatiſque ſemel in pravam ſuperſtitionem animis vix ſpem eſſe tanti operis perficiundi. Inſurrecturos contra ſe nobiliſſimarum Factionum cuneos, & tragicis clamoribus, quaſi de interitu

omnis religionis ageretur, optimos conatus ſuf-
flaminaturos, neque paſſuros, ut gloria, quam
familiarum numeroſiſſimarum Duces adepti ſunt,
obfuſcetur. Papam ipſum de palatio ſuo tela
vibraturum, ipſumque Jovem imitaturum, qui
Gigantes ſtygias ad undas detruſit. Notum,
quid optimo *Launojo* aliisque cordatis viris con-
tigerit. Gallicanam quidem Eccleſiam non tanti
æſtimare Papam, ut ſputa ejus lambat; at mul-
tos dari Præſules, qui varias ob cauſſas ipſi ſint
devoti. Bullam *Unigeniti* illuſtre hujus rei exem-
plum eſſe. Multos adhuc dari, qui ſuperſtitio-
nem turpiſſimam defendant & alant. Notum, quid
ante paucos annos cum muliere ſanguinis proflu-
vium paſſa, nuper autem cum ſtultiſſima & fana-
tica muliere *Alacoque*, Abbate item *Pariſio*, in urbe
celebratiſſima contigerit. Periculoſiſſimum eſſe
quidquam mutare; diem & meliorem lucem
fortè ſuperſtitionem deleturam. Se non minùs
in corde explodere ficta miracula & ineptas opi-
niones, quàm illos, qui ab Eccleſia Romana
ſeceſſionem fecerunt, licèt circa alia argumenta
Religionis disſentiant, &c. &c. &c. „ Ita re-
ſponſuros credo, *cordatos & veritatis ſtudioſos
viros*. Non is ſum, qui eruditione & ingenii
acumine cum tantis viris me ullâ ratione con-
ferri poſſe credam. Quantùm tamen video,
rationes allatæ non magni ſunt ponderis. To-
tius ferè ratiocinationis Summa huc redit: *Er-
roribus & ſuperſtitioni tum demum occurendum,
quando id ſine metu & tumultu fieri poſſe credi-
tur.* At ſi hoc axiomatis loco ponendum eſt,
non ſolùm veræ eruditionis curſus, ſed &
omnis

omnis profectus in pietate & negotio Religionis ſufflaminabitur. Secundùm hanc regulam olim Chriſtiani dicere potuiſſent: *Gentiles cum lacte materno hauſerunt turpiſſimæ ſuperſtitionis liquorem, religionemque à Majoribus acceptam pertinaciter defendunt; obſtant conatibus noſtris Decreta Imperatorum, Præfectorum ſævitia, Sacrificulorum rabies; exſpectandum ergo, dum ſuperſtitio mole ruat ſua &c.* At ſi ita ratiocinati fuiſſent ſanctiſſimæ diſciplinæ alumni, nunquàm fœdiſſima ſuperſtitio fuiſſet abrogata. Incredibili labore, periculo maximo, ſingulis annis ad extremos *Indos* mittuntur, qui homines ab erroribus & ſuperſtitione abducant & meliora ſanctioraque doceant. (*) An minorem habet vim ſuperſtitio in animos eorum, qui inter Chriſtianos vivunt, quàm in miſeros Gentiles? Superioribus Seculis in *Gallia* principatum obtinebat in diſciplinis philoſophicis *Ariſtoteles;* nec ſpes erat, eum de gradu ſuo dejectum iri, ut ex ingenioſa *Boylavii* Satyra conſtat; at cedere tandem debuit *Ariſtoteles* cum ſuis defenſoribus; vicit *Carteſius*, ſecutique alii Viri ſummo ingenio præditi, qui *ad miraculum uſque* in *philoſophicis diſciplinis* progreſſi ſunt. Cur igitur dubitarent Viri præſtantiſſimi, de felici ſucceſſu in

 hoc

(*) Loca veræ caſtæque Religionis, novis miſeros homines imbuunt ſuperſtitionibus. Vide Kortens Reiſen nach dem gelobten Lande; Heinſii Hiſt. Eccleſ. Continuat. III. pag. 959. les Lettres édifiantes paſſim; Actorum Weimar. Continuat. LX. & plures alios.

hoc etiam negotio? Perſuaſiſſimus ſum, provi-dam Dei curam conatus optimos non fruſtraturam, ſed defenſuram. Quid generoſus impetus valeat, *noſtro exemplo*, qui ſeceſſionem fecimus ob intolerandum ſervitutis jugum, diſcere poſſunt. Non jam quidem poſtulamus, ut cæteros errores, quibus Religionem Romanenſem *ſcatere* exiſtumamus, abjiciant; non hoc jam agimus; *hoc unum* eos per Deum immortalem rogamus, *ut ficta miracula, ineptiſſimas Legendas, ſuperſtitionem abſurdiſſimam, quibus omnis religio incredulorum cachinnis & ſatyris objicitur, publicis ſcriptis refellant, proſcribant, exſecrentur.* Quò altiùs animis hominum teterrima ſuperſtitio infixa eſt, eò majorem curam adferre oportet, ad eam radicitùs evellendam. Nec hic opus eſt magno ingenio; ſimplex & perſpicua veritatis profeſſio mox ſedibus ſuis expellet monſtrum, cui omne *lumen ademtum. At irruent in nos* (inquiunt) *Monachi.* Sed quid tum? Nùm damnabunt igitur doctiſſimi Viri *Launojum*, & alios ei ſimiles, qui *multos Sanctos* proſcripſerunt; vel ideò & tantùm, quòd Papæ ſervitia, *ſuperſtitionis amici*, in eos inſurrexerunt? Non putaverim. *Veritas alapâ digna eſt.* Non agitur de re nullius momenti, non de quæſtionibus ſcholaſticis, ſed re omnium momentoſiſſima graviſſimaque. Quæritur: *utrùm dicendum affirmandumque ſit, Deum miracula patrare ad turpiſſimas nugas, cultumque Deo & Sacris Litteris contrarium, ſtabiliendum?* Quæritur: *utrùm Franciſcus, Dominicus, Lojola ſint invocandi, eorum merita expetenda; aniles fabulæ,*

quæ

quæ de iis narrantur, pro oraculis habendæ? Is ſanè, cui non perinde eſt, quid de Deo credat, omnem lapidem movebit, ut tot mentibus, ſuperſtitione captis, ſuccurratur. Neque crediderim etiam, nullos planè dari inter *Dominici*, *Franciſci* & *Lojolæ* Socios, qui veſtris, *Viri doctiſſimi!* conatibus album calculum ſint adjecturi, atque faſſuri, multa, quæ de familiarum ſuarum auctoribus dicuntur, ignorantiæ & fraudi Scriptorum nimis credulorum eſſe tribuenda. Tam *præclarè* de eruditis illarum familiarum ſociis ſentio, ut credam, æquiſſimo animo illos laturos, ſi quis neget, fidem eſſe adhibendam ineptis Scriptoribus, qui dum ultrà ſortem humanam fictis mendaciis evehere Duces aggreſſi, eos omnibus, qui ſanâ mente ſunt, ridendos propinârunt. *At Papa, ſi illi tacerent, in diſſentientes aſperrimus, parata tollet cornua, nosque diro anathematis fulmine percutiet?* Quid audio, *eruditiſſimi Viri?* Nùm ita loquuntur *Galli?* inquam, quibus libertate nihil eſt dulcius, quique, ne colla ſua ſubdant Pontifici, toties ei refragati ſunt? Nùm *Galli* metuunt iram ejus, qui nullum planè iis imperandi jus habet? Sanè dignum eſſet florentiſſimum regnum, quòd æternùm ſerviret, ſi Pontificis iram adeò extimeſceret. *Vana eſt ſine viribus ira. Fulmina ex pelvi non nocent.* Neque ſanctam aliquam militiam fortiſſimæ *Gallorum* turmæ metuunt. Sinite, quæſo, Papam in illa ditione, quam *Conſtantinus Magnus* ei donavit, ſe jactare; jura det *Italis* ſuis, aliisque ſervituti, non imperio natis. Certè ab eo

in Religionis negotio nihil unquàm boni poterit exſpectari, niſi Deus ἀπὸ μηχανῆς mentem *hujus hominis* mutet, efficiatque, ut meliora ſentiat. Omnis enim ſuperſtitio, omnes fabulæ, nugæ, turpiſſima mendacia, fraudes in cauſſa Religionis, optimorum Virorum proſcriptiones, oppreſſiones, *ab uno hoc capite* in Religionem & Rempublicam originem habuere. Si *hunc* audiatis & timeatis, nihil egregii unquàm, quod Religioni & Regno prodeſſe poſſit, præſtabitis. *Actum erit cum tantopere laudata Eccleſiæ Gallicanæ libertate.* Imò, ſi convenienter Decretis veſtris agere vultis, non ſolùm Papam non audietis, ſed pro *Hæretico* habebitis; ita enim *Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe* vocandos eſſe decreverunt, *qui Pontificem, ſuperiorem eſſe Conciliis præſtantiſſimorum Præſulum, aſſererent.* Si auctoritati ejus in iis, quæ conſcientiæ contraria ſunt, ceditis, non ſolùm Eccleſiæ veſtræ Decreta contemnitis, ſed & revocatis turpiter omnia, quæ Majores veſtri non ſine magnis laboribus adepti ſunt. Legite, quæſo, & perpendite eruditam illam *Gaſſendi* veſtri ad *Caramuelem* datam epiſtolam; ut de aliis nihil dicam. *Omnes ſcio, pro ſalute Regis veſtri, ſi quidem neceſſe eſſet, parati eſſetis, ſanguinem vitamque veſtram profundere.* An autem æquo poteſtis ferre animo, cum Deo diviſum imperium in creaturas habere *Franciſcum*, aliosque innumeros ſanctos & divos? Novimus miracula *Franciſci* & cæterorum, à Papa editis Bullis *pro divinis* promulgata; ſcimus Feſta in eorum memoriam inſtituta; ſcimus, plebem, (*& utinam*

ſola

ſola plebs!) ad eos precibus in morbis corporis & animi confugere. Hoc ipſum vos ad præſentiſſimum auxilium ferendum inducere debèret. Si Pontifices tam ſtupidi, maligni & impudentes fuerunt, ut omnibus in univerſum Chriſtianis fanaticos homines adorandos & colendos injunxerint; nùm æquum eſt, *tacendo* mentem veſtram conſcelerare, aut impia eorum Decreta approbare? Nùm adeò grave ſcelus morte piandum erit, ſi ineptiſſimis Pontificum Decretis vos opponatis? *Illuſtris Theologorum Societas Pariſiis collecta*, ſtatim ac impia publicis concionibus Monachi de *Ignatio* loquebantur, *indignata*, impudentes homines graviſſimæ cenſuræ ſubjecit. Tempora ſunt mutata. Vigent jam optimarum litterarum ſtudia; Philoſophia, ſuperſtitioni inimiciſſima, in florentiſſimo Regno caput extulit. Eò majora ergo vobis tentanda, quò majori ad peſtilentiſſimos errores profligandos armati eſtis præſidio. Experimini tandem libertatem à Deo & Majoribus acceptam, atque cumprimis in memoriam vobis revocate, quid *Eccleſiæ veſtræ Præſides* Anno 1682. decreverint. Quis, cui virile ingenium ineſt, qui ſanctiſſimæ Religionis amore capitur, ferre poteſt, *Monachos feſtis diebus turpiſſima mendacia, ementita miracula publicè narrare, commendare, hominesque ad divinam imaginem factos fabulis paſcere*, quas nutriculæ ad vagientes pupulos habere ſolent. Vos ipſimet, ſcio, in ſinu ridetis, quoties conventibus illis intereſſe oportet, atque exploditis turpiſſimos hiſtriones; atqui hoc *non ſatis* eſt, *Viri præſtantiſſimi!* Agitur enim *de re*

omnium

omnium ſanctiſſima, *Religione nimirùm & caſto Dei cultu.* Si tacti eſtis divino zelo, publicè, quàm vehementer vobis hæc displiceant, oſtendendum & probra hæc vindicauda. Quod tandem asſeritis, in ipſa *Gallia*, politiſſimorum ingeniorum fœcunda matre, dari multos falſos fratres, qui Papæ potiùs quàm Deo ſervire, ſuperſtitionem potiùs promovere quàm exterminare velint, haud quidem refragamur; ſed dolemus, talia laudari, doceri, quæ vix ab homine mediocris ingenii dici poſſent; qualis v. gr. eſt illa *Alacocque*, *febricitantis fœminæ*, exquiſita laus & commendatio, decantata non à Monacho ſtupido, ſed illuſtris Eccleſiæ Præſule. At quid tandem hæc ad vos? Non uno ictu hydra ſuperſtitionis cadit; reiterandi ictus, fortique animo incipiendum inſtitutum laude digniſſimum. A parvis initiis ad maxima quæque progreſſa eſt generoſa virtus. Incepto tantùm opus eſt, cætera Deus expediet. Mementote, quas clades intulerint ſuperſtitioni *primitivæ Eccleſiæ Patres*, vobis (licèt *Sancti* appellentur) eruditione inferiores. Perſuaſiſſimus ſum, ſi tempore *illuſtris Martyris*, *Irenæi*, à Chriſtiano quodam talia jactata fuiſſent, qualia de *Franciſco*, *Dominico* & *Lojola* (ut de aliis nihil dicam) garriunt Monachi, non *impunè* laturum fuiſſe impudentiſſimum hominem. Si animum ad hæc tentanda adjicietis promptum & timore Domini armatum, ſenſim ſenſimque fabulæ illæ ineptiſſimæ ſordeſcent & ſibilis excipientur. Si hæc vobis curæ cordique erunt, credemus inpoſterùm, *non ſolùm vos eſſe ingenio, eruditione,*

morum-

morumque elegantiâ inſtructiſſimos, nobiliſſim-que, quod lubentes fatemur; ſed & Religio. puræ caſtæque amantiſſimos, Atheiſmi & ſup ſtitionis, quæ graviſſima mala ineptæ fabulæ alun oſores & everſores acerrimos, ſtrenuiſſimosqu Claudamus hanc noſtram opellam iisdem verbis, quibus *Eraſmus Alberus*, qui ex deteſtando Conformitatum Chriſti & Franciſci libro *Alcoranum Franciſcanorum* confecit, præfationem ſuam clauſit, dicens: *Faxit Deus Pater, ut tandem abominationum ac blaſphemiarum omnium finis adſit, ac perficiatur hoc, quod quotidie in Oratione Dominica precamur, ut nomen Domini ſanctificetur, ipſius Regnum veniat; ut quicquid eſt Monachatûs ac hypocriſeos in Papatu, vel in Turciſmo, vel Judaiſmo, vel Chriſtianiſmo tandem, quod addo, aboleatur nunc & in perpetuum! Amen.*

FINIS.



A. 114.5/501

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google